8
58

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
29 H
36

8.-6-c.18

Digitized by Google

XII-4-5
P.10..

Digitized by Google

# PETRI
# MORINI
## PARISIENSIS
PRESBYTERI ET THEOLOGI,
Vaticanique olim Scholaſtici & Secretarii,
Vaticanæ Typographiæ Præpoſiti,

# OPUSCULA
ET
# EPISTOLÆ
NUNC PRIMUM E TENEBRIS
ex fide MSS. Authoris in lucem prodeunt.

*Opera & ſtudio Fr. JACOBI QUETIF, Pariſ. Ord. Præd. Conv. Pariſ. SS. Annunciationis; ex ejuſdem cimeliis.*

PARISIIS,
Sumptibus LUDOVICI BILLAINE,
Pariſ. Bibliopolæ & Typographi,
in Palatio Regio.

M. DC. LXXV.
*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO AC REVEREND D.D.

# FRANCISCO BOSQUETO,

## MAGALONENSIS ECCLESIÆ PRINCIPI MONTISPESSULANO PRÆSULI ET COMITI, &c.

Regi Chriſtianiſſimo à Conſiliis Sanctioribus, &c.

BIBLIOTECA ... ROMA

ILLUSTRISS. REVERENDISSIMEQ. D.

*Non mei unius erga Te ſtudii, ſed officii ſui partes eſſe conſtituit* Morinus *tuus, Te publicè primùm ut proſequi & ſalutare vellet, qui publicam, qua tandem fruitur, tibi*

*fatetur debere lucem. Quorſum enim alium priùs à Te conveniret? quo forte ſine nullum adire potuiſſet. Primam ergo jure duxit à Te ineundam, quam à Te promeruit, optatæ lucis uſuram; Tibique primùm hanc debuit referre lucem & gratulari, quam & à* Prouſto *ſuo, cujus ſe fidei zeloque crediderat, inaniter expectavit, æternùmque etiam inter amicos ac Nepotes tantùm non amiſit. Hâc eò per te gaudere luce lætatur, quò te publicè venerari, tuique tam ſuavi, tam erudito frui illi conſortio datur & colloquio. Aſſuetus enim ille etiam cum eximiis Eccleſiæ tractare viris atque Proceribus: nec inconditis accedit moribus ſenex, delirus, garrulus, aures obtundens & importunus, ſed urbanus, eruditus, candidus, ad quævis honeſta natus & factus, ſuumque qui rebus eſſe ſciat & verbis modum. Quidni tibi gratus adveniat? in quem tranſcriptas & tu videris animi tui dotes: in quo teipſum intuea-*

*ris, prope & metiaris. Adeò Te moribus & ſtudiis vitaque ipſa referre videtur: una te minor & Laticlavi, quam exuiſti, dignitate; & ſacri litui, ad quem evectus & electus, quem & benè collocatum in te gratulatur, ac Infularum majeſtate: qua ſe tamen ille nec ornatum vel oneratum non gaudet modo, tantùm & eò Te feliciorem ſe & tranquilliorem habet.*

*Vide quanta tibi cum illo affinitas? Tecum illi & patria communis & nobilis Gallia. Ad pragmaticam (ut ait ille) vitam & forenſia deſtinatus, ut Tu, à parentibus & inſtitutus à puero: quam demùm ſublimiora ſecutus ſacrarum ſtudio literarum & Eccleſiæ, cujus æſtuaret zelo, poſtpoſitam, abdicavit uterque. Ad literas uterque natus humaniores & Eccleſiaſticas; eruendiſque ac illuſtrandis, non prophanæ tantùm antiquitatis, ſed imprimis Eccleſiaſticæ, Græcorumque maximè monimentis impensè deditus. Vterque no nunà*

*peritus linguâ loqui vernaculâ, ſed Hellenicâ, Latinâ, Hebraïcâ, Italicâ, peregriniſque aliis & exoticis linguis egregiè doctus; leporéque Attico ac Romano cothurno præſtantiſſimus. Ambo pro Romana Fide & Sede propugnatores acerrimi, Cultores perpetui, Scriptores eruditiſſimi. Adverſus Eccleſiæ hoſtes ambo Pugiles aſſidui, inexhauſti, ſtrenuiſſimi, invictiſſimi. Hoc tu certè major illo, quòd præſtantiores utilioreſque Eccleſiæ & Magalonenſi & Catholicæ labores tui: quodque in perduelles calamo tentavit & voluit, ipſo tu opere, verbo & exemplo, ſegreges ad caulas mentemque revocans & inducens, aut pervicaces auctoritate fortiter comprimens, ſtrenuè ac feliciter impleveris. Vno & ille Romæ tam diuturno & perenni, tibi forte diſpar, non certe felicior, incolatu & exitu. Ac ne qua tibi cum illo, vel in ſenili ætate, laborumque fructibus & incommodis nulla diſparitas, laborantem utrum-*

*que, literiſque & Eccleſiæ inſudantem idem inceſſit morbus & occupat, oculorum moleſta gravitas atque caligo; dumque vita & ſcriptis lucere aliis pergit ac Eccleſiæ, Et exiguam hanc corporis, quam in eam impendat, ſibi ſenſim experitur extingui lucem obtundique oculorum aciem. Quam etſi, ac tu, fortiter ille patienterque tulerit: in Epiſtolis humanè aliquando dolet; quòd literis Fideique & Eccleſiæ rebus incumbentem ſe vel eripiat, vel certe moretur & impediat.*

*Hæc cum tibi tanta ſit, PRÆSVL ILLVSTRISSIME,* Morino *tuo ſtudiorum affinitas morumque conſenſio; An ille tibi importunus accedat? aut adhuc tuum moretur obtutum & alloquium? Non anilis illi ſermo, etiam prope capulari; ſed virilis, gravis & præſtans: non ſordidus ille, non indecorus, ſed urbanus & honeſtus; non verboſus, ſed* Μεστιολόγος, *nihil non ad pondus & ad libellam dicens: quod pium, quod ſanctum & honeſtum,*

*quod acutum, comptum & eruditum, quod ſale conditum, tantùm hoc loquitur. An hac tibi metus à Γεροντολογία? Minus certe putem in illo prolixitatem accuſes, quam brevitatem. Βραχυλογίανque potius in eo culpes, quam Αειλογίαν ϗ Στενολογίαν vel futilitatem. Quanquam etſi prolixior dicendo foret, nec ille debeat* ſenili garrulitati veniam orare apud te agens, cui ipſi ſenectus imminet *( ut ad Antonianum olim ille ſcribebat )* morumque ſenilium ſemper affinis gravitas, quæ ſibi nihil ignoſcens, ignoſcit libenter aliis, verboſumque ſenem ferre poteſt.

*Certus ergò ille gratum adveniſſe & expectatum, ad te lætus properat; officiique erga Te ſui partes & urbanitatis implet; pro tandem adepta luce tibi gratias agens, vicemque rependens pro nuper hîc à te recepta privatæ viſitationis atque conſortii gratia: (ejus enim hac memoria cha-*

*ra altúmque repoſta, à qua & ſibi riſiſſe fata probè intelligat:) Senex licet, nec innatam oblitus aut depoſuit humanitatem, atque urbanitatem. Natus ille altuſque Pariſius, ut prima & Vrbium & orbis urbaniſſima: Romanis etiam aſſuetus factuſque legibus & ceremoniis, quibus omninò nefas non repariaſſe convenientem. Occultum tu nuper apud me virum &* incognito *deliteſcentem in muſæo tam humaniter conveniſti, tam feſtivè, tam amanter habuiſti, ut vel me reum apud te furti feceris, ni publicos ei lucis, quam te judice promeritus ille, deferri curaſſem honores.* Et tibi *( nuper ad me Tu de noſtro Ferrarienſi audiens edendo Hieronymo blandius objurgans )* MORINUS adhuc in tenebris ? *Audio, pareo, faxo, fidem libero. Lucem aſpiciat, à te qui accipere meruit: dum, ut ego, & ille apud te ſe liberet. Obſtricti hinc ambo Tibi : ille congreſſus tui gratiâ, & judicio; Ego fidei: Vtrum-*

*quæ ſimul ſolvimus, ille conventionem liberat, ego fidem; unóque obolo geminum, quo tenebamur obſtricti ambo, debitum apud te expungimus: ille te conveniendo, ego edendo. Hac tamen ambo, ſic publica ſolutione liberi, ut pro collatis utrique à te beneficiis & benevolentia, æternùm obſtrictum apud te publica ſinceraque hac uterque ſe confeſſione profiteatur. Vale. Pariſius, ad Prædicatores SS. Annunciationis Prid. Eid. Novembris A. R. S. H.* ∞ IↃCLXXIV.

ILLUSTRISSIMÆ REVEREND. Q. D. V.

Humillimus Devotiſſimus & ad obſequii paratiſſimus in Domino Famulus & filius.

F. JACOBUS QUETIF, P. O. P.

# PRÆFATIO.

FORTUNÆ fuit aut ſupremi certè Numinis providentiæ, *Morinus* hic ut noſter æterna propè jam oblivione ſepultus, *Morinis* aliis apud eruditos in Gallia nuper adeò commendatis haud indecorè componendus, etiamnum exurgat; *Morini*que nominis, quod eruditis ita familiare jam & amicum, augeat laudem. *Morinum* obſervant ſuum & colunt qui Matheſeωn arcana rimantur. *Joannem* nuper indoluere *Morinum* è vivis ereptum non uni gentiles Bleſii, Congregationiſque, quam ornavit & illuſtravit Oratoriæ Preſbyteri, ſed quotquot in Orbe Religionis antiquæ doctrinæque reconditioris amantes, ac ſyncerè Theologi. Unuſque is noſter, à quo *Morini* nomen apud exteros olim Inſubres & Subalpinos Quiritesque ipſos latè diffu-

ſum & celebratum, *Morinis* aliis ætate ſuperior, nec virtutis & eruditionis laude minor; obſcurus ignotuſque ſuis etiam hucuſque latebat; ut propè miraculo ſit poſtliminio tandem apparere redivivum, nec ſuperſtitem & extremam amiſiſſe, ubi primam acceperat, lucem. Adeò magnis plerumque viris eorumque lucubrationibus exitioſa ſors eſt & noverca.

Integrum hîc tamen ne putaveris adeſſe *Morinum*, quem minima ſui parte vides: plura longe ſublimioraque molitus eſt tam vaſti vir ingenii, tamque multiplicis eruditionis & laboris indefeſſi, quorum & ipſe aliqua præfiſcinè ſanè commemorat ad Nepotem & alios ſcribens: unde non parum obſtrictam ei colligimus Eccleſiam literariamque Rempublicam univerſam: cujus ſtudio laboreque reſtituta Gregorii XIII. juſſu *Sacrorum Bibliorum* ad LXX. fidem Interpretum *Editio Græca* anno 1578. uti ad *Antonianum* habet Epiſtola 31. dein & *Latina*: cujus operâ prodiit *Index*: Romanorumque *Pontificum* editæ *Decretales Epiſtolæ*: accurata *Conciliorum Oecumenicorum* Eccleſiæ *Collectio Generalis*, de-

quibus ipſe paſſim in Epiſtolis : pluresque editi Tractatus ad Religionis Chriſtianæ Sediſque Apoſtolicæ commendationem utiles; *De Ærumnis Summorum Pontificum. De rerum Eccleſiaſticarum alienatione. De dicendi figuris & elocutione. Catena Bibliorum :* aliaque id genus innumera Scriptorum Eccleſiaſticorum ab eo jam perfecta, vel affecta, quorum jactura literis & Religioni non gravis eſſe non debet.

Nec hic tacendum putem quod ad *Morini* noſtri nomen & gloriam conferre videtur, ipſum, cum Authore *Baronio*, tam deſideratum Annalium Eccleſiaſticorum opus & *Morino* noſtro deberi plurimum; qui eruendis elucidandiſque veterum Græcorumque monimentis, quibus illuſtrarentur Annales hi, *Baronio* non ſatis in iis exercitato & apud Græcos peregrino pararius fuit & Anagnoſtes : cujus opera, condendis iis, ſtudioque non inutiliter ille uſus eſt, uti & *Smetii* atque *Sirmondi* (quo-cum & arcta *Morino* noſtro literarum neceſſitudo fuit.) Ut iis *Morino*que, quòd è Græcorum maxime cimeliis plurima contulerint, laudati Annalium operis gloriæ pars meritò

decidat: quod & ingenuè fateri ſolet Magnus ille Annalium Parens, *Morini* noſtri non ſemel in vaſto illo opere cum laude memor.

Candidis ingenuiſque vir erat moribus *Morinus* noſter, rectique tenax, doli expers & fraudis, nemini invidus, parvo contentus, inanis auræ deſpiciens, honeſti laboris ac literarii cupidus atque tolerantiſſimus; comis, urbanus, nulli moleſtus, etiam inter ærumnas & ſenii morbos non injucundus: ætate florente modeſtus atque compoſitus, inclinata facilis & blandus: præſtantiſſimi fuit acriſque judicii ac tenaciſſimæ memoriæ: Πολύγλωττος Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritiſſimus, nec Arabicæ, Chaldaicæ & Syriacæ ignarus: Italicam etiam incolatu diuturno, ceu vernaculam, ſibi comparavit. Humanioribus literis excultiſſimus; veterum Oratorum ac Poëtarum opera Græcè Latinéque ſic complectebatur, ut in eis acutum nihil & eruditum, quo non uteretur appoſitiſſimè Legum & juris utriuſque comparandæ ſcientiæ Juvenis, impellente Parente, qui rebus eum forenſibus deſtinarat, incubuit: ſed ætate creſcente

ſublimioribus ultrò ſeſe addixit: viaque facta à prophanis Græcæ Romanæque antiquitatis authoribus ad ſcriptores Eccleſiaſticos & SS. Patres ſacræque Scripturæ ac Theologiæ libros mature ſe contulit. Juris jam ſui factus ac utroque parente orbatus, Italiam, quam ante decennium inviſerat, & urgente parente quinque plus ante annos invitus reliquerat, amicis invitantibus repetiit anno Pii IV. poſtremo, ſive Chriſti 1565.

Clarum jam apud Italos erat & Subalpinos ab eruditione & induſtria *Morini* nomen, qui ante decennium, ut ipſe ait, *Pauli Manutii* viri clariſſimi uſus fuerat conſuetudine Venetiis, & apud Vicentinos Græcas literas atque Coſmographiam publice docuerat; anniſque aliquot apud *Hippolitum* Cardinalem *Herculis II.* Ferrariæ Ducis & Mutinæ Fratrem commoratus Ferrariæ ſubſtiterat. Itaque gratus advenit ejus ætatis ac regionis eruditis omnibus, arctaque illi neceſſitudo fuit cum *Auguſtino Valerio* ejuſdem omnino & ætatis & indolis viro, qui ad Veronenſem infulam, avunculo promovente *Bernardo* Cardinali

*Navagero*, atque ob ereptam ſibi ex improviſo oculorum aciem ſponte cedente, mox & è vivis erepto, recens evectus fuerat: unde & *Carolo* poſtmodum *Cardinali Borromæo*, inter Cælites nunc accenſo, cui *Valerius* intimus erat ac prædilectus, *Morinus* innotuit charuſque fuit, ac utriuſque, *Borromæi* ſcilicet *Valerii*que ſuaſu, *De Elocutione* librum *dicendique figuris* ſcripſit.

Per hæc verò tempora Romæ fuerat inſtituta à Cardinali *Borromæo* Vaticana Academia, *Valeriuſque* literis humanioribus & Theologicis, Græceque & Latinè, atque Hebraicè doctus inter Academicos ab eodem adlectus: cujus amore forte ac neceſſitudine vel hortatu Romam invitatus venit *Morinus* noſter, ubi & poſtmodum ceu ſpontaneus exul à Patria novus inquilinus reliquo ſemper hæſit vitæ ſpatio, hoc eſt annis circiter duodequadraginta, nam hoc ineunte ſæculo Chriſti anno 1608. *Morinum* noſtrum annis fractum atque laboribus prope jam octogenarium Romæ mortem obiiſſe ferunt. Quod ibi deinceps *Morino* noſtro vitæ genus, qui mores & ſtudia, quæ mu-

nia,quibus occupatus,à quibus & quomodo, melius ab ipſo ſinceriuſque in Epiſtolis ejus quam ab alio quovis accipias. Iis enim ille ſeipſum exprimit & luculentiſſime repræſentat, quæque geſſit obivitque munia aut lucubravit ingenii monimenta commemorat, ut vix aliquis legat, qui *Morini* mores, conditionem, modeſtiam, propè & os ac vultum non agnoſcat. In communem Eccleſiæ utilitatem labores ſuos omnes & conſilia direxit, nec exinde ſuſcepit opus, niſi ut hanc ope ſua juvaret & Sedem Apoſtolicam: adeò in eam pronus erat & devotiſſimus, atque in alienos ab ea quam alieniſſimus. Quibus certe præclaris animi dotibus omnium, qui eo uſi ſunt, ſibi conciliavit animos, Optimatum Aulæque Romanæ Principum, ac ipſorum etiam qui Petri Sedem per eam ætatem implevere Pontificum; quibus *Morini* noſtri commendati mores & eruditio, laudataque atque utilis induſtria fuit: à quibus & pluribus affectus ornatuſque muniis atque beneficiis; quamquam, ut ipſe quandoque modeſte conqueritur, aliorum vel iniquitate, vel importunitate, non ſatis cumulatus pro ra-

tione laborum ac perſonæ dignitate & neceſſitate. Ab iis ſtatim inter Academicos, ſeu Scolaſticos adſcitus eſt Vaticanos, ac Secretarius, Vaticanæque & Apoſtolicæ Typographiæ Scriba, unuſque prope ſub Purpuratis & Præfectis Patribus Moderator ejus Ἐργολήπτης & Ἐργοδιώκτης, ſuſceptor operum & exactor. Cum viris omnibus eruditis maxima tunc illi conſuetudo *Bellarmino*, *Baronio*, *Nobilio*, *Odoardo*, *Obrio*, *Poſſevino*, *Sirmundo* ( cujus in Græcis maxime conſilio ſemper uſus ) *Agellio*, *Vrſinio*, *Ciacono*, *Adriano*, *Voſſio*, *Mureto*, *Manutio*, aliiſque ſuæ ætatis prope per orbem innumeris. Vallicellenſibus Oratorii Romani Preſbyteris utebatur familiariſſime, apud quos etiam optarat & Nepotem ſibi tranſiiſſe *Prouſtum*: pluraque demum apud eos ſibi lucubrata ( narrat ut ipſe ) depoſuerat. Arcta illi etiam cum *Oſſato Perronio*que Ebroicenſi Epiſcopo, Chriſtianiſſimi Regis Henrici IV. tunc apud Sedem Apoſtolicam extra ordinem Oratoribus atque Legatis, ad Purpuram poſtea vocatis, animorum literarumque conjunctio, quam mutuis invicem exinde coluerunt officiis & Epiſtolis; atque ex

avunculo fluxit in Nepotem *Prouſtum*, virtutum ejus ac eruditionis æmulum & hæredem, *Perronii* Cardinalis affectus.

Itaque liberalibus ſtudiis occupatum rebuſque Eccleſiaſticis intentum invenit occupavitque ſenecta *Morinum*, atque cum illa vigiliarum laborumque anteactorum & ſenectæ malè-ſana propago, ſenſuum gravitas, ærumnæ, morbi, &c. quibus levandis ſolandiſque anguſtiis quandoque anxius ipſe modum implorare coactus eſt & auxilium: quod certe minus viro pudendum, quam iis qui nec cogitanti quidem, nec quærenti ſponte contuliſſe debuerant & prævenisse. Sed hæc forte nec in eos quos ille convenit & pulſat, aut Pontifices omnino proniſſimos recidit, vel eorum culpa fuerit, ſed æmulorum & accipitrum quorum, nulla unquam immunis & vacua Principum Aula, qui prædam aucupant & occupant, parataque aliis munera ſuas in muſcipulas caſſeſque trudere feſtinant & derivare: quod modeſte *Morino* ſubnotatur, excuſatur, proque candore hominis, plerumque vindicatur: aut accuſanda certè temporum & ætæ-

tis ejus durities & iniquitas in Virum Eccleſiæ reique literariæ commodis natum tantatumque partium ma[illegible]a.

Utcumque fuerit, modico contentus, modico vixit *Morinus*, qui longe majora merebatur accipere, ac hæreditario forte jure parta & adepta olim literarum amore dimiſerat; unoque contentus Anagnoſte Presbytero non inerudito Joanne Meagher Hiberno (cujus & hic aliquæ ſubjiciuntur ad *Prouſtum* Epiſtolæ) cum famulo tranquillam & liberalem cælibemque, ſtudio ſemper intentus, ad annos plurimos produxit vitam, meliori certe demum à Deo donatus: Romæ ſenio confectus obiit & laboribus, Romani Civis jure ſic morte potitus, ortu qui Pariſinus fuit & natione Gallus.

Quæ autem illa à qua Petrus hic noſter apud Pariſienſes *Morinorum* gens atque familia; necdum aſſequi ſedulo conquirenti mihi datum: non quòd obſcura illa viliſque ſit & plebeia (cum ejus etiamnum affines & conſanguinei posteri Pariſiis & per Gallias Militari, ſago togaque clari:) ſed quòd hi longè ſic rerum ſuarum, quàm avitæ laudis ſtudioſiores & cu-

pidi, ut nec importunis ego precibus atque pulſationibus Gentis ſuæ decora, quibus & Petri noſtri fulgeret nomen, aliquando potuerim impetrare.

Optaveram enim *Morino* concivis ego, ſi quid illi forte laudis à claritate generis & ſtemmate foret, in lucem proferre: ut quibus tantum illud virtute ſua contulit & eruditione, tantillum & hoc à Majoribus & domeſticis acciperet. Atque eo ſanè, nec aliô, conſilio labores oblitus atque moleſtias, affinium hîc aliquos & contribulum adii ſuperſtites, *Morini* genus *Prouſti*que Nepotis aſſequuturus? iteratiſque pulſavi vicibus; quibus & *Morinô* ſtudens, officium præſtaſſe putarem: cujus utique decus in eos etiam acceſſurum ceſſurumque videretur. Haud ingrata quidem & injucunda *Briſacio* viſa eſt etiamnum hic ſuperſtiti Nepotum alteri viro gravi ac illuſtri dignitateque conſpicuo, (cui Germanus & alter *Briſacius* etiamnum in tractu Metenſi *Sircenſis* arcis & oppidi ad Moſam in Lotharingia pro Rege Prorex & Toparcha) mea pro *Morini* gloria *Prouſti*que (cui ſe multis obſtrictum

memoriæ nominibus etiam profiteretur) ſollicitudo, in ſui gentiſq; vocanda commendationem: votiſque primùm annuit, ac unà cum affini convivaq; ſuo Domino *De Briou* (cujus & Gentis & nominis olim à Parente, *Morino* delecta Conjunx & affinis, adlectuſq; deinde III. Non. Aug. ∞IↃcxIIx. Pariſienſis Senatus Regii Purpuratis PP. atque CC. ejuſdem ſtirpis & familiæ *Petrus de Briou*) quæ rogabam ultrò præſtiturum in ſe recepit & ſpopondit: longas aſt ego, poſt & iteratas inducias pulſationeſque repetitas & moleſtas, ad *Morini Prouſti*que quod faceret genus & nomen Gentilitiumque decus aut vituperium obtinui nihil. Seu fortè nec exploratus illis compertuſque ſtemmatis ſplendor & ordo: ſeu gravioribus ille detentus & occupatus, ſibi domeſtica proavorumque laude potioribus.

Quare hic à nobis nihil de utriuſque Gente & origine, ab iis quæ ipſi in Epiſtolis & aliis hîc à me productis de ea ferunt operibus. Ex quibus certe liquet *Petrum* ingenua liberalique ſatum origine, Pariſinumque natum ad annum 1531. Patre pragmatico,

forenſibuſque & juri dicundo dedito quibus ab eo parabatur & *Petrus* noſter, amplâ copioſaque familiâ, cui Fratres Sororeſque plurimi. Non anguſta nimis illi domi res fuit aut immodica, ſed honeſta, atque non ad neceſſitatem tantùm, ſed dignitatem etiam omnino ſufficiens & accommoda; cujus ſcilicet parentibus extra induſtriam & adventitia forent, tùm plurium Pariſius etiam ædium annui fructus & cenſus atque urbana prædia; *Morinus* ut ipſe ſuâ ad Nepotem Epiſtola candidè habet & præfiſcine, de herciſcundo data 1598. 25. Octobr. quam habes hic ordine 43. pag. 400. ubi *Briſacium* laudat affinem & ab expreſſa matris virtute commendat. Unde nec erronum inſtar aut decoctorum, afflictiſque rebus domeſticis, urgente inopia, vel mentis inanitate, gyrovagus in Italiam migraſſe ſolumque vertiſſe putandus *Morinus* noſter: qui quòd (ut ipſe narrat) à pragmatica, cui deſtinatus à parente, vita abhorreret, & ad liberales ſacraſque proniſſimus eſſet literas & inclinis, & paternæ domus, & præclari tori & hæreditatis opimæ deſpexit opes & illecebras, vitamque ſuorum ab

omni conſortio deinceps alienam, apud alienigenas ipſe cum piis & eruditis ducere liberalem, utilem & laborioſam ſatius duxit, quàm ſuos inter illiberalem & otioſam; vacare libris, quam liberis; cumulandiſque inſudare virtutibus, quam divitiis & opibus.

Sed ad Petri laudem & *Prouſti* gloria ex ſorore Nepotis, ac propè filii, non parùm addere videtur. Quid enim is *Prouſti* non ſimul audiat avunculus & Parens? cui parentis ubique loco fuit. Cur non genuina *Morini* progenies atque propago *Prouſtus*? *Morinum* qui ſic expreſſit avunculum; qui non ab ejus exciſus inguine fuit, ſed capite; non ab utero, ſed ceu Minerva Jovis, ejus è cerebro, prodiit; atque in ejus ſinu curiſque illius altus & enutritus; ad quem ſic efformatus & eruditus, ut uno illi forte videatur nuptiarum diſſimilis conſortio, quod ad capulum illi cum lectiſſima viragine fuit *Eliſabetha Chappellain*, pari virtutis animorumque conſenſu; purum quidem & tranquillum, ſed ſterile: qui vel in eo *Morino* ſimilis fuit, etiam uxoratus, quòd à ſe nullum hæredem habuerit aut vernaculum, cujus loco *Briſacius*

adoleſcens

adoleſcens affinis, de quo & hîc ſupra egimus, orbitati ſolamen ab eo delectus eſt & vocatus.

Fuit verò *Prouſtus* omni virtutum ſcientiarumque genere cultiſſimus; in humanioribus eruditus, Poëticis, Hiſtoricis atque Philoſophicis, Sacræ prophanæque antiquitatis ſtudioſus, nec Græcè tantùm & Latinè, quibus ſtilo valebat egregie, linguis, ſed Hebraicè, Syriacè & Arabicè, *Morini* ſui provocatus exemplo & oraculo doctus. Eaque virtutis, eruditionis, prudentiæ religioniſque laude fulſit, ut apud præcipuos dignitate ſcientiaque ſæculi viros ac Regem ipſum Galliarum Chriſtianiſſ. *Ludovicum XIII*. charus & in pretio haberetur; à quo & delectus qui pueris Regii ſui minoris Equilis honorariis nobilibuſque Ephebis Moderator eſſet & Præfectus, Regiuſque tum & rerum Francicarum Hiſtoriographus.

Ac horum quidem munus alterum ſumma in Regem fide, pari quin ampliori in Deum pietate in Aula ſupra vitam Aulicam vivens implevit: Poſterius autem, quibus potuit & otio & ſumptu tentavit potius & voluit, quàm obivit. Quæ enim horum in lucem

emiſit, certè mole exigua, ſed Latinis auribus omninò ſuavia, grata & cothurno digna. Qui nuperæ *Rupellenſis Vrbis* ac rebellionis à *Ludovico Iuſto expugnatæ deſcriptionem* ab eo ſcriptam propriiſque ſumptibus editam legerit, ejuſque *Gallorum Regum* initam compendioſius *Hiſtoriam*, dolebit Galliæ utique præreptum in eo Thucididem alterum Liviumque & Salluſtium Hiſtoriæ. Utque Mathemſeωn & Anatomes periti ſolent ex plantæ veſtigio metiri Gigantem, ex paucis quæ prælufit ac velitavit his, qualis quantuſque *Prouſtus*, quamque ſtilo etiam Hiſtorice valuiſſet, facile conſequetur. Viro tamen muneri defuiſſe haud culpa fuit, cui non voluntas defuit, ſed facultas; non animi vires, ſed Aliptes; otium, non genium: impar enim non oneri fuit, ſed ſumptui; quod ſubverecundè aliquandò (quæ fuit in eruditos præſtanteſque viros hujus ætatis & ſæculi durities) apud Optimates & Adminiſtros indicare conquerive coactus fuit. Suam tamen ille rectè inſtituere *Prouſtus*, quam aliorum deſcribere vitam longe ſemper ſollicitus fuit, qui ſuos inter hæc demum implevit in ſenectute

bona dies, Regum noſtrorum dum revocare nititur & cogitaret antiquos. Pariſiis primam ubi lucem hauſerat Chriſtianiſſime functus, VIII. Eidus Junii An. Chr. ∞IↃcIIxL. Septuagenario major, ad S. Nicolai à Campis, vulgò dicti, conditus humo, magna ſuorum eruditorumque jactura & luctu; quo tandem anniſque confecta conjunx *Eliſabetha* ſuperſtes, fide integra, viri pietatem imitata, æqualique propè annorum emendo curriculo deceſſit ibidem & ad virum eſt appoſita, ejuſdem Junii menſis die XIV. Chr. An. ∞IↃcIL.

Atque hæc obiter de *Morino* noſtro *Prouſto*que Nepote & Conjuge dicta, nec conficta: ſed vel ab ipſis, uti perſpicies, eorum operibus & Epiſtolis hauſta, vel æqualibus ac fide dignis nobis audita & accepta, quod boni conſultum velim.

Fortunæ verò quod jam obſervatum initio, Deique Providentiæ fuit in hæc ipſorum incidiſſe me opera, quod quo pacto contigerit, nec legentem audire forte pigebit; fiat ut ipſe qui eruditus, alieno periculo cautus, edatque ipſe, ſi quid dum vitam agit, edendum habet, nec credat ſuis. Hæc enim quæ

tibi nunc primùm profero *Morini* Opuſcula *Prouſti* Nepotis omninò devinctiſſimi (quod initio præfixa ad eum habet *de ſcriptis ſuis* Epiſtola) *Morinus* ipſe commendaverat zelo; publicæ utilitatis, non auræ cupidus, idque ſatis tempeſtivè & commodè, nec aptiorem ab eo aut affectum magis inveniſſe potuerat. Et hæc tamen (quæ rerum ſors humanarum!) ecce in ejus ipſa manibus tantum non intereunt. Edendi fortè *Prouſtus* dum modos quærit, *Morinus* periit: ſuperſteſque Nepos aliò dum avocatus, inducias edendo facit & ipſe cum meditatis edendi conſiliis dilabitur. Hæ (quæ eruditorum fata!) ſuo jam utroque parente orbatæ lucubrationes eruditæ, rudis & ignaræ pendent ab arbitrio & æſtimatione feminæ, Vulcano futuræ vel blattis epulæ. Quid enim aliud mulier, gemmas à vitro diſtinguere neſcia, nec *ſeparare* potẽs *precioſum à vili*, vel margaritaſq; è ſterquilinio colligere docta?

Itaque ſuperſtites hæ *Morini* exuviæ ſub mulieris poteſtate cum pædore ſituque jam certant; ſilentque *Morinus* & *Prouſtus* ab eorum morte, rogo prope (ne pejus quid audias) deſtinati. Quis

credat? *Eliſabetha Prouſti* vidua è vivis abeunte,de herciſcunda,pro more,cogitant hæreditate Nepotes: aperiuntur arculæ,quæruntur numi,gemmæ,uniones & loculi, excutiuntur foruli, proꝺuntur membranæ veteres, libelli, & apochæ atque in ampliſſima Chartarum inutilium & obſitarum ſegete laciniosi prodeunt *Morinus* & *Prouſtus* aliud inquirentibus omninò ignoti, nec inter adſtantes ſortis eorum miſeret ullum; ſelectiſque ac in faſciculos una collectis utilibus quęſtuoſiſve libellis & Chartulis, cæteræ omnes ceu deſpectæ, inutiles & emporeticæ rogo foriciſve deſtinatæ conculcantur, abjiciuntur, abdicantur, atque inter illas & quiſquilias miſere abiguntur & pereunt *Morinus* & *Prouſtus* vel muſis iratis, nihilque juvante illis contra Vulcanum Apolline, vel profutura Minerva.

Piorum attamen hiſce Deus optatus adfuit jam jam perituris vixque ſuperſtitibus adhuc exuviis, cujus puto nutu defunctæ nuper vel imprudens ingreſſus ego & invitatus ad ædes viduæ; ceu otioſo mihi projectas has& inanes quiſquiliiſque & rogo addictas inmentem venit excutere chartas,caſuque ecce in-

cidi in hanc *Morini*, quam primam hic habes ad Xiſtum Pontificum *de LXX. Interpretum editione Bibliorum* Epiſtolam: legi, relegi, ſtilum & manum exploravi, & in ſtercore gemmam unionemque deprehendi: movitque lecta legenti ſalivam, & aliorum in me provocavit orexim. Itaque probata jam & explorata viri manu & ſtilo, hujuſce alias omnes avidus ego diligenterque ſeligere cepi chartulas: occurritque mox, quam initio libri conſultò præfixi, *Morini ad Nepotem Prouſtum de ſuis ſcriptis Epiſtola:* ſed lacera, lacinioſa, atque in fragmenta parteſque varias & incertas diſcerpta atque diſſoluta, quam toto animo niſuque in unum collegi, coagmentavi, legi, contuli, integramque probavi: à qua mihi deinceps lux magna viaque facilis perquirendis, excutiendis, inveniendis, probandiſque quæ ſupererant ibi *Morini Prouſti*que operibus. Utque nihil eorum omninò ſupereſſe comperi, probata collegi, quorum ea tum intererat præſentibus exhibui, quid rei haberent aperui, & ab hæredibus parum ea morantibus atque curantibus facilis impetravì, reverſuruſque mecùm in

Cellam detuli lætus, ac qui agrum fodiens Theſaurum invenit. Tum exinde maturius ea legere cæpi, & attentius, expendi, guſtavi, ſuumque in ordinem, quâ potui, cuncta digeſſi, ſi non edenda, certè cum reliqua literaria librariaque noſtra coacervanda ſupellectili compigendaque, vel deinceps in Bibliotheca ſervanda, atque inter Codd. MSS. reponenda.

Atque hæc hucuſque *Morini Prouſtive* fata ſuperſtitum. Edi quidem & cogitaveram & optaram; ſed, quod forte olim, obſtabat edendi difficultas & ſumptus. Et ecce delapſus è cœlo occurrit, ac utrumq; ſolvit obicem Altiſſimus. Nam & edendi, quam habes, facta facultas à Rege *Montiſpeſſulani Præſulis* in *Morinum*, ejus hîc Pariſiis (dum à grege procùl, apud Regem pro Aris & grege certat) lectis ab operibus optime affecti plurimùm interveniente, quâ valebat apud inclitum & Magnum, heu! nuper Gallis ereptum Themidique *Seguierium* eximiè, commendatione & authoritate: Et edendi ſumptus à Bibliopola ſponte ſuſcepti & miniſtrati. His certe ambobus Deoque maxime, ceu cuicumque fortunæ meæ *Mo-*

*rinum* debet Chriſtiana literariaque Reſpublica, quarum præſertim *Morinum* edentes, *Morinum* imitati, ſtudere voluimus utilitati. Utrique tu Lector, & mihi bene precare. *Morinum* audi, *Prouſtum* lege: utrumque cole, & imitari ſatage. Bene utere & Vale.

# *SVMMA PRIVILEGII Regis Chriſtianiſſimi.*

REGIS cautum Privilegio, ne quis intra Regni ditionumque fines edat editaque aliunde invehat aut vænum habeat *Opuſcula & Epiſtolas* PETRI MORINI *Pariſienſis Presbyteri ac Theologi*, &c. ad annos novem ab hac editione computandos, præter SEBASTIANUM MABRE-CRAMOISY, Bibliopolam Pariſienſem Regiumque Typographum, & Regiæ Luparenſis Typographiæ Directorem aut ejus aſſenſum. Qui ſecus faxit exemplarium amiſſionis damnique & Turonenſium, ter mille librarum multam luito. Literis die XIX. Novembr. Ann. ∞IↃCLXX. Pariſiis datis & ſubſcriptis D'ALENCÉ, in Bibliopolarum Pariſienſium tabularium relatis die XXIII. Decembris ∞IↃCLXXI.

LUDOVICUS BILLAINE, Pariſ Bibliopola, ex SEBASTIANI MABRE-CRAMOISY ceſſione & conventione, PETRI MORINI, &c. *Opuſcula & Epiſtolas*, &c. edidit, hocque, quoad hæc, Regis Privilegio jure fruitur.

*Abſoluta hæc* PETRI MORINI, &c. *Opuſculorum & Epiſtolarum, &c. Editio prima, die* 18. *Novembris anni Chriſti* 1674.

## *LECTORI TYPOGRAPHUS.*

RAri, quod rarum, hoc in opere typorum nævi, iique omnino leves, ut in iis fere nullus vel leviter doctus impingat, otioſumque prope fuerit, uno aut altero forte excepto, ſyllabum errorum hic adnotare. Ne tamen hæc vacet pagina, pauca hæc accipe.

| *Pag.* | *Lig.* | *Sic Erratum* | *Corrige ſic.* |
|---|---|---|---|
| 24 | 31 | convictum | conjunctum |
| 47 | 35 | in Republicæ Chriſtianæ | in Republica Chriſtiana |
| *Ibid.* | 36 | neceſſaria | neceſſariaque |
| 67 | 33 | *Ulpani*, | *Ulpiani*, |
| 86 | 15 | hæreſin | hæreſim |
| 90 | 27 | *Occidete* | *Occidente* |
| 120 | 24 | præ me fero, | præmefero |
| 122 | 7 | Hoco loco | Hoc loco |
| 141 | 7 | verbanitate | urbanitate |
| 143 | 7 | *pasrum:* | *patrum:* |
| 212 | 23 | Spiritum | Spurium |
| *Ibid.* | 30 | deficere | deficeret |
| 270 | 9 | Cedadum, | Cedodum |
| 286 | 15 | craticule | craticula |
| 308 | 35 | Ciaconum | Ciacconus |
| 319 | 27 | *ercnndu.* | *eruendu.* |
| 325 | 14 | *Comlionum* | *Conciliorum* |
| 329 | 24 | *Pontifici* | *Pontifice* |
| 375 | 2 | XXVI. | XX-XIV. |
| 377 | 9 | Pater & Rever. D. | Reverendiſſ. Pater & D. |
| 402 | *ult.* | pervehenor. | pervehetur. |
| 403 | 5 | *à Card.* | *ac Cardin.* |
| *Ibid.* | 6 | *atque* | dele |
| 409 | 10 | *facilsſque* | *facilique* |
| 429 | 11 | trepezitam | trapezitam |

# INDEX
## IN PETRI MORINI PARISIENSIS Opera.

PRÆFATIO *in* Morini *Opera*.
*De Vita & ſcriptis ſuis*. Ad Nepotem ſuum Nicolaum Prouſtum. Pag. 1
*Quâ cauſâ tranſtulerit aliqua è D. Joan. Chryſoſtomi Commentariis*. 3

## De recto Scientiarum uſu Libri tres.

Liber Primus. *De his qui literis abutuntur*. Pag. 10
Liber II. *Quam utilis, & cauta Clericis & Chriſtianis eſſe debeat Priſcorum, Ethnicorumque Librorum lectio*. 35
Liber III. De Studio Theologiæ. *Ac de Nobilium Eccleſiaſticorum Gallorum & Germanorum diſciplina*. 53

## Paræneſis ſive Exhortatio ad Græcos in duas partes diſtincta.

Pars Prior. *De Romanæ Sedis Principatu: Prima Græcorum Schiſmatis cauſa*. Pag. 78
Pars II. *De juſta Occidentalis Imperii ab Orientali, diviſione & inſtitutione: Græcorum altera Schiſmatis cauſa*. 112

## Orat. Auſpicales à *P. Morino* publico Profeſſore, Rhegii Lepidi habitæ.

Oratio I. Auſpicalis 1571. Explicationum initio habita. *De Regienſium laude.* Pag. 119
Oratio II. Ad Æſtivas Ferias 1571. habita. *De proſequendo virtutis ac literarum ſtudio.* 132
Oratio III. Auſpicalis menſe Octobri 1572. habita. *Ut Adoleſcentes & diſcipuli exemplo Majorum ad Virtutem, pietatem ingenuaſque diſciplinas totis viribus incumbere debeant. Ubi & de Calviniſtarum in Gallia Lutetiæque motibus.* 140

## Orationes Publicæ in Conventu Ordinum Galliæ Generali Bleſis habitæ. A *Petro Morino* juſſu Gregorii Papæ XIII. Latinè redditæ.

Oratio I. *Regis Chriſtianiſſimi Henrici III. Die 6. Decembris 1576. Bleſis in Conventu Ordinum habita.* Pag. 151
Oratio II. *Renati de Biragues Franciæ Cancellarii ibidem eademque die habita.* 158
Oratio III. *Petri d'Eſpinac Archiepiſc. Lugdunenſis, atque Primatis nomine Cleri Gallicani Bleſis die 17. Januarii 1577. in eodem Conventu habita.* 178

## S. Baſilii Magni Cæſareæ Archiepiſc. & S. Joan. Chryſoſtomi CP. Archiep. Orationes & Conciones ex Græco Lat. redditæ, *P. Morino* Interprete.

S. Baſilii Magni Cæſareæ Ep. Oratio. *In Sanctos Quadraginta Martyres.* Pag. 226

S. Joannis Chryſoſtomi Sermo I. *De Domini Corpore non indigne ſumendo, deque deſpicientia rerum humanarum.* 239

Sermo II. *De Providentia divina. Curioſè non eſſe quærendum cur alii divites, alii inopes ſunt. Errare homines in dijudicandis bonis & malis.* 245

Sermo III. *De aliorum peccatis reprehendendis. Maledictis abſtinendum.* 250

Sermo IV. *De inſtabilitate rerum humanarum. De imitando Deo. Deque ejus in nos beneficiis.* 259

Sermo V. *In illud ad Coloſſenſes, cap.* 4. *v.* 6. Sermo veſter in gratia ſit ſale conditus. 264

Sermo VI. In illud. *ad Coloſſ* 4. Cum Oneſimo dilecto & fideli fratre. 267

Sermo VII. *In illud ad Timotheum* 6. Qui ſub jugo ſunt ſervi. *Ut ſerviendum ſit Deo.* 271

Sermo VIII. *Sua quemque ſorte contentum eſſe debere, nullamque vitæ rationem doloris eſſe expertem. Qui dolor ſit laudabilis. Aliena vitia corrigenda. De eleemoſyna.* 276

Sermo IX. *Bonos incommoda ſuſtinere. Præmium vitæ æternæ expectandum. De eleemoſyna.* 280

Sermo X. *Militiam hanc vitam eſſe, & divitias eſſe contemnendas.* 285

Sermo XI. *De Humilitate.* 291

Sermo XII. *Ut utendum rebus humanis. Divitiarum incommoda, & rectus earum uſus.* 296

## Epiſtolæ *Petri Morini.*

Epiſt. I. Ad Xiſtum Papam V. *De LXX. Interpretibus, & Græcorum Bibliorum Editione.* Pag. 303

II. Ad Cardinalem de Joyoſa. *De typis Vaticanis non intermittendis.* 312

III. Ad Card. Aſcanium Columnam. *De ſolvendo ſibi debito à Gonſalvo de Caſtella.* 313

IV. Ad Card. Borromæum I. *De Edendis SS. Patrum & Conciliorum Vaticanâ Typographiâ operibus: Deque annona Apoſtolica ſibi providenda.* 315

V. Ad eundem II. *De uberiori annona Pontificia ob officium Scribæ Vaticanæ Typographiæ, & navatam in ea à ſe operam ſibi providenda.* 318

VI. Ad eundem III. *De Actis VII. Synodi Anaſtaſii Bibliothecarii cudendis & è Vaticana Bibliotheca eruendis.* 319

VII. Ad eundem IV. *De menſtruo ſtipendio & annona Scholâſtici Vaticani ſibi à Sanctiſſimo impetranda.* 322

VII. Ad eundem V. *De Scolaſtici Vaticani VI. virûm obtinenda ſibi debita annona Pontificia: Deque navata à ſe Vaticanis typis opera.* 323

IX. Ad eundem VI. *Ne quid à Vaticanis Correctoribus Græcè dubium aut obſcurum in editione Conciliorum Vaticana, ſe inconſulto vel Fulvio Urſino & ſociis, immutetur.* 305

X. Ad eundem VII. *De impetrando debito ſibi ſtipendio Pontificio Ciſalpina Penſione Vaticani Secretarii munere fungenti, ſororiſque filio optimæ ſpei juveni.* 327

XI. Ad eumdem VIII. *De deligendis aliis*

*duobus Græcis Correctoribus Conciliorum editioni, repetendaque editione Vaticana.* 328

XII. Ad eundem IX. *De Ciſalpina ſibi ſeni ſororiſque filio præclaræ ſpei & eruditionis adoleſcenti neceſſaria penſione à Pontifice impetranda.* 329

Epiſt. XIII. Ad Cardinalem Cajetanum I. *De Editione operum S. Auguſtini Typis Vaticanis adornanda.* 231

XIV. Ad eundem II. *De operibus S. Auguſtini recognoſcendis ac diſtribuendis, in editionem Vaticanam VI. viris Scolaſticis Vaticanis.* 233

XV. Ad eundem III. *De eodem argumento, diſtribvendorum in ſingulos D. Auguſtini, typis Vaticanis edendorum operum tomis.* 335

XVI. Ad eundem IV. *Quis Cardinal. edendis operibus D. Auguſtini Vaticanis Typis Præfectus habendus.* 337

XVII. Ad eundem V. *De Scolaſticis Vaticanis occupandis, aliiſque Regularium adjungendis D. Auguſtini recenſendis operibus.* 338

XVIII. Ad eundem VI. *De recenſendis D. Auguſtini operibus & coëmendis exemplaribus, ne operam remittant Vaticani Scolaſtici adornantes.* 340

XIX. Ad eundem VII. *Ut ematur Corpus operum D. Auguſtini Scolaſticis Vaticanis adornantibus, ne cogantur ab opere manum retrahere.* 341

XX. Ad eundem VIII. *De domicilio Vaticano* D. Obrio *providendo.* 342

XXI. Ad eundem IX. *De retinendo Romæ Agellio, ejuſque Typis Vaticanis & utili & neceſſaria opera.* 343

XXII. Ad eundem X. *De annona Scolaſtici Vaticani à Sanctiſſimo ſibi providenda.* 345

Epiſt. XXIII. Ad Cardinalem de Toledo I. *De variis à ſe Typis Vaticanis editis,& edendis Conciliorum operibus.* 346

XXIV. Ad eundem II. *De Concilii Epheſini & Calchedonenſis editione,& annua ſibi Ciſalpina penſione.* 351

XXV. Ad eundem III. *De ejuſdem Epheſini Concilii à ſe accuranda editione.* 353

XXVI. Ad eundem IV. *De Hiſtoria Conciliorum, à Veſtano Epiſcopo &* Odoardo *Carthuſienſi edenda, deque Concilii Epheſini actis à ſe abſolvendis.* 354

Epiſt. XXVII. Ad Cardinalem Cuſentinum. *De proœmio laborum ſuorum in edendis Bibliis Græcis à Smo D. Sixto V. providendo.* 357

Epiſt. XXVIII. Ad D. Bartolomæum Cæſium Theſauratium Apoſtolicum I. *De operibus S. Auguſtini à DD. Correctoribus illuſtrandis & recenſendis, deque ſumptibus in id neceſſariis.* 360

XXIX. Ad eundem II. *De eodem argumento operum D. Auguſtini illuſtrandorum.* 362

XXX. Ad eundem III. *De eodem argumento, Operum illuſtrandorum D. Auguſtini,emendiſque exemplaribus.* 364

Epiſt. XXXI. Ad Silvium Antonianum, Sacri Cubiculi Apoſtolici Præfectum I. *De priſtinæ vitæ ſuæ ratione & laboribus, eorumque obtinenda remuneratione.* 365

XXXII. Ad eundem II. *De edendis à ſe Joan. Chryſoſtomi* de ſacerdotio *& aliis: ac ſibi opitulando.* 371

XXXV. Ad eundem III. *De non movenda Bibliotheca Vaticana, ejuſqne uſu ſibi ſervando.* 373

XXXIV. Ad eundem IV. *De Penſione Ciſalpina,*

*pina, & otio ſeni ſibi & emerito ac impetrando, Nepoti recens appulſo.* 375

Epiſt. XXXV. Ad R. P. Bartholomæum de Miranda, Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtol. Magiſtrum. *De expurgatione Lexicorum & Dictionariorum, & iis utendi facultate Nepoti ſuo concedenda.* 377

Epiſt. XXXVI. Ad Prælatum Pontifici à Secretis. Anepigraphe. *De Gennadio à ſe illuſtrato & edendo.* 379

Epiſt. XXXVII. Ad Joſephum Caſtellanum, Veronenſis Epiſcopi Cancellarium. *De nova ſuæ Rhetorices editione.* 383

Epiſt. XXXVIII. Ad Pruſtum Nepotem. Veronam. I. *De eo cooptando in Vallicellicorum Patrum Congregationis Oratorii Sodalitium, Neapoli: & peregrinatione ejus in Garganum, Barium, &c.* 385

XXXIX. Ad eundem. Lutetiam. II. *De Æthiopicis, D. Pauli Epiſtolis & Sardicenſibus Canonibus à Joanne Maria Æthiope habendis.* 390

XL Ad enndem. Lutetiam. III. *Ut Epiſc. Ebroicenſis* Petronii *conſiliis utatur & conſuetudine, & D. Oratoris Arnaldi* Oſſati *benevolentia.* 391

XLI. Ad eundem. Lutetiam. IV. *Vt Ebroicenſem* Perronium *colat & obſervet, ab eo tandem promovendus.* 395

XLII. Ad eundem. Lutetiam. V. *De eodem argumento: ut* Perronii *benevolentiam obſervantia ſua colat, & alat, ac* Bogium *obſervet.* 396

XLIII. Ad eundem. Lutetiam. VI. *Ut Ebroicenſem colat, & ab ejus benevolentia ſperet. De Commentariis ſuis in ejus gratiam, De compara-*

*tione Hebraicæ linguæ & Chaldaicæ. Item Hebraicæ, Syriacæ & Æthiopicæ. Item de* Petri Fabri, *De Dei nominibus & attributis erudiſſimo libro.* 398

XLIV. Ad eundem. Lutetiam. VII. *Ut Ebroicenſem ſtudioſe, non lucri ſpe colat. De re domeſtica herciſcunda.* 400

XLV. Ad eundem. Lutetiam. VIII. *De acceptis ejus litteris, ac Card.* Oſſato *nuper electo cum munuſculo exhibitis.* 403

XLVI. Ad eundem. Lutetiam. IX. *De Hebraica loquutione & interpretatione. Pſ.* 83. *v.* 7. Benedictionem dabit Legiſlator, &c. *Pſ.* 100. *v.* 9. Non direxit in conſpectu oculorum, &c. 404

XLVII. Ad eundem X. *De Græcorum erroribus, & eorum contra novatores hæreticos odio.* 406

XLVIII. Ad eundem XI. *De neceſſaria facilique Chaldaicæ Syriacæque prolis ejus linguæ cognitione iis qui Hebraicè ſciant.* 409

XLIX Ad eundem XII. *De* Sirleti *editione Concilii Florentini* Fabio Benevolentio *Latinè interprete & Gennadii deffenſionis ejus editione & recenſione.* 410

L. Ad eundem XIII. *De Novi Teſtamenti Syriaca verſione & editione: Deque Calendario Gregoriano Armeno.* 411

LI. Ad eundem XIV. *De* Jacobi Marqueſini *Cardinali Aldebrandino Domeſtici Polymathia: utque eum Dom. Oratori curet commendatum.* 412

LII. Ad eundem XV. *De damnatis à Chryſoſtomo hæreſibus Iconoclaſtarum. De Maria Dei Maternitate, & Primatu Petri.* 414

## Epiſtolæ Nicolai Prouſti Napolis ad *Petrum Morinum.*

Epiſt. LIII. Nicolai Prouſti ad Morinum. I. De *Æthiopico Pſalterio & Oratione* Damaſceni *pro ſanctis imaginibus ad Epiſc. Ebroicenſem miſſis.* 417

LIV. Ejuſdem ad eundem. II. *De actis Chalcedonenſis Concil. è Vaticana* Morino *interprete ad* Oratorem *ab eo miſſis.* 418

LV. Ejuſdem ad eundem III. *De Cenſore Doctrinæ Peripateticæ Ariſt. à* Lælio *repreſſo, &* Laudi *apud* Oratorem *acceptione.* 419

LVI. Ejuſdem ad eundem. IV. *De officiis D. Oratoris apud Pontificem* Morino *à Veronenſi Cardinali felicius præveniendis, ob proximam Pontificis Coronationem.* 420

LVII. Ejuſdem ad eundem. V. *De Græcis Libris Eccleſiaſticis à Librariis Romæ* D. *Oratori coëmendis, & Æthiopicis* D. *Pauli Epiſtolis* D. *Oratori à* D. Zacharia *obtinendis.* 421

LVIII. Ejuſdem ad eundem. VI. *De Cyrilli & Chryſoſtomi Libris à* Morino *datis Epiſc. Ebroic. Deque illius ſtudio, & opera ſua eruendis Vaticanæ Biblioth. Monimentis.* 422

LIX. Ejuſdem ad eundem. VII. *De Carminibus à ſe editis, & judicio* Morini *commendatis.* 423

LX. Ejuſdem ad eundem. VIII. *De ſui &* Morini *conſilio redeundi cum* D. *Oratore in Gallias, eique in Bibliothecarium adhærere.* 424

## Epiſtolæ Joannis Meagher Hiberni ad Nicolaum Prouſtum.

Epiſt. LXI. Joannis Meagher ad Nicolaum Prouſtum. I. *De* Morini *Valetudine affecta, & Libris ſuis Pariſiis repetendis & ſervandis.* 425

LXII. Ejuſdem ad eundem. II. *De difficultatibus, litibuſve & remediis rei domeſticæ* Morini, *& de Prouſti itineris, ex eo ratios audiendæ deſiderio.* 427

LXIII. Ejuſdem ad eundem. III. *De tranſmittendis & committendis impoſterum viciſſim Epiſtolis,* 429

*FINIS.*

PETRUS

# PETRVS MORINUS

## PARISIENSIS THEOLOGUS,

*AD*

NICOLAUM PROUST DESCARNEAUX Nepotem ſuum.

### *De vita & Scriptis ſuis.*

IN tranſpadana Ciſalpinæ Galliæ regione *Vincentia* eſt urbs ditionis Venetiarum. Villa ibi ſuburbana eſt *Cricoli* nomine perquam amæna, abeſtque ab urbe quingentos circiter paſſus: in qua olim proceres Vicentini Academiam inſtituerunt, ingenuarum artium magiſtram, eique Rectorem *Bernardinum Parthenium* præfecerunt. Anno autem Domini 1555. cum Venetiis eſſem apud *Paulum Manutium*, Vincentiam accerſitus ſum, qui Græcas literas, & Coſmographiam Academicis explicarem, cum *Parthenius* Virgilium explicaret & Ciceronem, & Rhetorica Ariſtotelis, & Petrarcham. Cum vero ibi eſſem, ſuaſu cujuſ-

dam amici Ferrariam ſum profectus, ac vixi aliquot annos apud Illuſtriſſimum Cardinalem Ferrariæ Ducis Herculis fratrem: quoad à Patre meo domum ſum revocatus anno 1559. Ad quem cum ſcripſiſſem, cupere me Romam proficiſci, ubi nunquam fueram, neque dum Apenninum tranſcenderam: præciſe juſſit me redire: alias me Romam eſſe iturum.

Itaque quinquennio poſt Parentibus meis mortuis ab amicis Romanis invitatus, Romam veni poſtremo Pij IV. Pontificatus anno Chr. 1565. Hæc verò ſcripſi quod cum Roma Lauretum religionis cauſa me contuliſſem eodem quo Luteciâ Romam vectus eram, equo, atque inde per Piſaurum, Ariminum, Ravennam iter habuiſſem, vt Bononiam pervenirem: dum comites Ravenna Faventiam properantes ſequor, aliquoties equus nimium feſſus lapſus eſt: ut eum Faventiæ vendere coactus ſim dimidio minoris, quam quanti Lutetiæ emeram. Faventia tum Ravennam redij conducto equo, indeque Venetias navigavi, Venetiis Patavium veni ac Vincentiam, ut reviſerem amicos. Vincentiæ igitur aliquot verſus ſcripſi, ubi compluies ante annos fueram: ſed non recte in iis verſibus poſui Vincentinam juventutem fidei meæ commiſſam fuiſſe: Nam ea provincia *Parthenii* fuit, ſenis valde docti & eloquentiæ ac poëſeos laude clari: cujus etiam aliquot præclara ſcripta extant, in quibus eſt egregium opus *De Poëtica imitatione*. Ego vero qui Latinarum literarum & Græcarum, ingenuarumque artium ac Philoſophiæ peritus habebar, vix-dum ex adoleſcentia tum

egreſſus eram : ſtudiorumque cauſa ſeceſſum ac ſolitudinem ſequebar , cujus me non pœnitet , quantumvis id vitio mihi ſemper datum ſit , meiſque fortunis obfuerit. Nec me pœnitet quod cum mihi domum reverſo Pater uxorem dare voluiſſet, puellam nobilem & locupletem , Amitæ meæ *Maria de Briou* privignam : ac præterea bonorum ſuorum præcipuam partem mihi deſtinaret : eam conditionem tacitus recuſavi , quod ſuſcipienda mihi fuiſſet pragmatica vita à qua ſemper abhorrueram.

## *Quæ cauſa fuerit, cur quædam è Chryſoſtomi commentariis in S. Pauli Epiſtolas tranſtulerim.*

SAncti Joannis Chryſoſtomi in B. Pauli Epiſtolas Commentarij olim Græcè Veronæ excuſi ſunt juſſu Clariſſimi viri *Ioannis Matthæi Giberti* Epiſc. Veron. Sed non ſatis emendata exemplaria fuere, quæ Typographiæ ſuppeditata ſunt. Hos poſtea commentarios *Adamus Fumanus* Canonicus Veronenſis, alumnus Giberti vir admodum doctus , ſingulari induſtria emendavit correctionibus margini librorum ſuorum appoſitis. Itaque cum anno Domini 1570. Veronam ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem tum Epiſcopum me contuliſſem *Fumani* libros nactus, operæpretium factum me exiſtimavi , ſi eos commentarios ita correctos perlegerem. Itaque feci , ac pleraque , quæ maxime placerent Latinè tranſtuli: quæ autem Latine edita & impreſſa ſunt , ab illis mendoſis codicibus profluxerunt. Atque

utinam horum Græcorum commentariorum Veronæ excuſorum emendationes tum Romæ factæ à D. Cardinali *Sirleto*, tum Veronæ à *Fumano* conjungerentur atque divulgarentur: dum hi commentarij cæteraque egregij Doctoris ſcripta vel Romæ è Libris Vaticanis, vel Lutetiæ è Regia Bibliotheca Græcè edantur: quod vix ſperandum: ita hæc ſtudia contempta jacent: ita his infeſta eſt pacis publicæque tranquillitatis, perturbatio.

*Orationes* autem in Conventu *Ordinum Galliæ* habitas latinas feci juſſu Gregorij XIII. fel. record. qui eas mallet latinas legere quam Italicas; qui mihi ob hanc cauſſam, obque alia multa officia mea, nonnulla dare voluit, quæ mihi cupiditas hominum eripuit. Ea quidem intelligo apud alios bene collocata fuiſſe; ideoque id æquo animo fero. Mihi tamen videntur nimis cupide expetita alieno damno. Verum hæc bona caduca & fluxa ſunt, nec habentium propria, cum Eccleſiaſtica ſint: ideoque facile iis carere debemus, quorum etiam adminiſtrationis reddenda ratio erit: de qua ratione, qui caruerit, non laborabit. Ac fortaſſe beneficium divinum eſt alicui ea eſſe adempta, Deum modo diligamus, divina veneremur & colamus. Humana vero omnia modice ferenda ſunt: iis facile carendum ſi deſint: ad Dei gloriam, ad Eccleſiæ utilitatem, ſi ſuppetant, utendum eſt. Ac longe errant qui putarunt me illis ægre caruiſſe & indoluiſſe. Nam per multorum annorum ſpatia, vix mihi in mentem venit eſſe illa erepta. Sed alios ex ſe plerique metiuntur; ſuiſque cupiditatibus univerſum genus humanum laborare putant,

nec alia aliorum ſtudia eſſe perſuadere ſibi poſſunt. Omnibus præceptum eſt converſationem noſtram in cœlis eſſe oportere : ad illum finem humana omnia dirigenda, proptèrea quod figura hujus mundi pertranſit : hæc σκηνὴ, hæc brevia: illa æterna, & πολιτεία noſtra ſunt.

Liber *De Elocutione* ſive *De figuris dicendi* in editione primus eſſe debet. Nolo autem prius edi, quam veniam impetrarim, quam brevi petam. Eo in libro eſt quod corrigi velim. Puto enim à me, cum id in animo haberem, oblitum eſſe ac prætermiſiſſe. Id eſt in explanatione figuræ Apoſtrophes : in qua non mihi ſatis probatur exemplum ſumptum à D. Gregorio Nazianzenó de Conſtantio Imperatore quem Nazianzenus mortuum affatur & appellat Chriſti amantiſſimum, eam ut arbitror ob cauſſam, quod Imperator ille Paganiſmo valde infeſtus fuerit, ac idcirco exiſtimatus ſit Religionis noſtræ propagandæ ſtudioſiſſimus. Sed quia is Arianis favit, Eccleſiamque Catholicam ac Doctores ſanctos præſertimque ſanctum Athanaſium oppugnavit : illo exemplo ſuperſedendum eſt, quo is laudari ac celebrari videtur, & alia ejus figuræ exempla ſatis ſuperque ſunt. Vt autem is liber ſcriberetur authores fuerunt Illuſtriſſimi Domini Cardinales *Carolus Borromæus*, & *Auguſtinus Valerius* tum Veronæ jam Epiſcopus . cui probata valde fuit mea induſtria , quod paucis menſibus cum librum abſolviſſem.

Huic adjungendi tres libri *De recto ingenuarum diſciplinarum uſu* : quibus in libris tertius eſt, *De ſtudio Theologiæ*. Eos autem,

*ni*, tum quæ ad Reverendiſſimum *Silvium Antonianum* Præfectum ſacri Cubiculi, in quibus prima ſit illa longiſſima, qua in extrema ejus laudes Sanctiſſimi ac Doctiſſimi viri perſtringo. Is ſibi in Æde B. Mariæ in Vallicula ſepulchrum abhinc ſedecim annis paravit, ſacellumque ornavit, quod ædem ſacram ingredienti ad lævam eſt: quoque in medio eſt elogium ſepulchri, *Antonianus ornavit & ſepulturæ locum elegit.* Ita maturiorem mortem non affert ejus meditatio: feliciorem quidem & vitam facit & mortem. Id ego ſepulchrum velim inviſas vel mea cauſſa, qui *Antonianum* in primis diligo & obſervo. Hæ igitur aliquot epiſtolæ in præſentia poſſunt edi: premi autem volo, nedum vulgari, quas ſcripſi ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem *Aſcanium Columnam*: idque nonnullas ob cauſſas.

Sed tollendæ ex epiſtolis crebræ tricæ *Illuſtriſsimæ, Reverendiſsimæ Amplitudinis veſtræ*, & ad Romanum ſcribendi morem redigenda res eſt: ut hęc honorifica appellandi ratio ſit perquam rara: initio Epiſtolæ & in fine alicubi inſerta.

Oblitus binarum literarum ſum quæ ad Illuſtriſſimum Cardinalem *Aldobrandinum*, priorum quibus univerſe peto ut me commendet: poſteriorum quibus ut mihi honorarium, ob officium meum impetret. Eæ oportet illas ſequantur quas ad Toletum ſcripſi.

In Epiſtolis ſicubi queror erepta mihi quædam aliorum cupiditate: mollienda ſententia eſt: & ponendum apud alios bene collocata. Hæc enim tanti non ſunt, ut amiſſorum querimoniam haberi conveniat. Deinde pro-

miſſa tantum erant, nondum data, nec mea dicere potui, priuſquam haberem.

Fugerat me de his Epiſtolis præcipere, quas ad D. *Ioſephum Caſtillum* olim Veronam Româ ſcripſi : hæ in extremo ponantur : ſed tollatur ubique mentio *Rethoricæ Eccleſiaſticæ* ſcriptæ ab Illuſtriſſimo Veronæ Cardinali.

Neque vero laboro, ut hæc edere matures: edantur oportet, cum tempeſtivum erit, cum tibi commodum, cum vacabis aliorum ac potiorum operum immunis.

Titulum vero, mea quidem ſententia oportet eſſe : *Petri Morini Pariſienſis De Elocutione Eccleſiaſtici Oratoris ; Deque variis dicendi figuris.* Item *De ſtudio Theologiæ* & alia, ſine ullo alio Indice librorum, qualis ſolet plerumque adjungi.

In his ſcribendis meam quoque memoriam fugerant literæ ad te datæ, adeò obliviosi ſunt ſenes, quamobrem hæ poſtremæ ſint & librum concludant.

Cum vero hæc excudenda erunt, noli me conſulere de Præfatione, & cui dicanda. Nam vel Illuſtriſſimo D. Oratori, vel cui tibi viſum fuerit : ac prius huc temere allata videre volo, quam de his audierim. Itaque noli laborare ut habeam : ſtudeo enim nanciſci, quaſi quilibet.

*ni*, tum quæ ad Reverendiſſimum *Silvium Antonianum* Præfectum ſacri Cubiculi, in quibus prima ſit illa longiſſima, qua in extrema ejus laudes Sanctiſſimi ac Doctiſſimi viri perſtringo. Is ſibi in Æde B. Mariæ in Vallicula ſepulchrum abhinc ſedecim annis paravit, ſacellumque ornavit, quod ædem ſacram ingredienti ad lævam eſt: quoque in medio eſt elogium ſepulchri, *Antonianus ornavit & ſepulturæ locum elegit*. Ita maturiorem mortem non affert ejus meditatio: feliciorem quidem & vitam facit & mortem. Id ego ſepulchrum velim inviſas vel mea cauſſa, qui *Antonianum* in primis diligo & obſervo. Hæ igitur aliquot epiſtolæ in præſentia poſſunt edi: premi autem volo, nedum vulgari, quas ſcripſi ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem *Aſcanium Columnam*: idque nonnullas ob cauſſas.

Sed tollendæ ex epiſtolis crebræ tricæ *Illuſtriſsimæ, Reverendiſsimæ Amplitudinis veſtræ*, & ad Romanum ſcribendi morem redigenda res eſt: ut hęc honorifica appellandi ratio ſit perquam rara: initio Epiſtolæ & in fine alicubi inſerta.

Oblitus binarum literarum ſum quæ ad Illuſtriſſimum Cardinalem *Aldobrandinum*, priorum quibus univerſe peto ut me commendet: poſteriorum quibus ut mihi honorarium, ob officium meum impetret Eæ oportet illas ſequantur quas ad Toletum ſcripſi.

In Epiſtolis ſicubi queror erepta mihi quædam aliorum cupiditate: mollienda ſententia eſt: & ponendum apud alios bene collocata. Hæc enim tanti non ſunt, ut amiſſorum querimoniam haberi conveniat. Deinde pro-

miſſa tantum erant, nondum data, nec mea dicere potui, priuſquam haberem.

Fugerat me de his Epiſtolis præcipere, quas ad D. *Ioſephum Caſtillum* olim Veronam Româ ſcripſi : hæ in extremo ponantur : ſed tollatur ubique mentio *Rethoricæ Eccleſiaſticæ* ſcriptæ ab Illuſtriſſimo Veronæ Cardinali.

Neque vero laboro, ut hæc edere matures: edantur oportet, cum tempeſtivum erit, cum tibi commodum, cum vacabis aliorum ac potiorum operum immunis.

Titulum vero, mea quidem ſententia oportet eſſe : *Petri Morini Pariſienſis De Elocutione Eccleſiaſtici Oratoris ; Deque variis dicendi figuris.* Item *De ſtudio Theologiæ* & alia, ſine ullo alio Indice librorum, qualis ſolet plerumque adjungi.

In his ſcribendis meam quoque memoriam fugerant literæ ad te datæ, adeò oblivioſi ſunt ſenes, quamobrem hæ poſtremæ ſint & librum concludant.

Cum vero hæc excudenda erunt, noli me conſulere de Præfatione, & cui dicanda. Nam vel Illuſtriſſimo D. Oratori, vel cui tibi viſum fuerit : ac prius huc temere allata videre volo, quam de his audierim. Itaque noli laborare ut habeam : ſtudeo enim nanciſci, quaſi quilibet.

*ni*, tum quæ ad Reverendiſſimum *Silvium Antonianum* Præfectum ſacri Cubiculi, in quibus prima ſit illa longiſſima, qua in extrema ejus laudes Sanctiſſimi ac Doctiſſimi viri perſtringo. Is ſibi in Æde B. Mariæ in Vallicula ſepulchrum abhinc ſedecim annis paravit, ſacellumque ornavit, quod ædem ſacram ingredienti ad lævam eſt: quoque in medio eſt elogium ſepulchri, *Antonianus ornavit & ſepulturæ locum elegit.* Ita maturiorem mortem non affert ejus meditatio: feliciorem quidem & vitam facit & mortem. Id ego ſepulchrum velim inviſas vel mea cauſſa, qui *Antonianum* in primis diligo & obſervo. Hæ igitur aliquot epiſtolæ in præſentia poſſunt edi: premi autem volo, nedum vulgari, quas ſcripſi ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem *Aſcanium Columnam*: idque nonnullas ob cauſſas.

Sed tollendæ ex epiſtolis crebræ tricæ *Illuſtriſsimæ, Reverendiſsimæ Amplitudinis veſtræ*, & ad Romanum ſcribendi morem redigenda res eſt: ut hęc honorifica appellandi ratio ſit perquam rara: initio Epiſtolæ & in fine alicubi inſerta.

Oblitus binarum literarum ſum quæ ad Illuſtriſſimum Cardinalem *Aldobrandinum*, priorum quibus univerſe peto ut me commendet: poſteriorum quibus ut mihi honorarium, ob officium meum impetret. Eæ oportet illas ſequantur quas ad Toletum ſcripſi.

In Epiſtolis ſicubi queror erepta mihi quædam aliorum cupiditate: mollienda ſententia eſt: & ponendum apud alios bene collocata. Hæc enim tanti non ſunt, ut amiſſorum querimoniam haberi conveniat. Deinde pro-

miſſa tantum erant, nondum data, nec mea dicere potui, priuſquam haberem.

Fugerat me de his Epiſtolis præcipere, quas ad D. *Ioſephum Caſtillum* olim Veronam Româ ſcripſi : hæ in extremo ponantur : ſed tollatur ubique mentio *Rethoricæ Eccleſiaſticæ* ſcriptæ ab Illuſtriſſimo Veronæ Cardinali.

Neque vero laboro, ut hæc edere matures: edantur oportet, cum tempeſtivum erit, cum tibi commodum, cum vacabis aliorum ac potiorum operum immunis.

Titulum vero, mea quidem ſententia oportet eſſe : *Petri Morini Pariſienſis De Elocutione Eccleſiaſtici Oratoris* ; *Deque variis dicendi figuris*. Item *De ſtudio Theologiæ* & alia, ſine ullo alio Indice librorum, qualis ſolet plerumque adjungi.

In his ſcribendis meam quoque memoriam fugerant literæ ad te datæ, adeò obliviosi ſunt ſenes, quamobrem hæ poſtremæ ſint & librum concludant.

Cum vero hæc excudenda erunt, noli me conſulere de Præfatione, & cui dicanda. Nam vel Illuſtriſſimo D. Oratori, vel cui tibi viſum fuerit : ac prius huc temere allata videre volo, quam de his audierim. Itaque noli laborare ut habeam : ſtudeo enim nanciſci, quaſi quilibet.

*ni*, tum quæ ad Reverendiſſimum *Silvium Antonianum* Præfectum ſacri Cubiculi, in quibus prima ſit illa longiſſima, qua in extrema ejus laudes Sanctiſſimi ac Doctiſſimi viri perſtringo. Is ſibi in Æde B. Mariæ in Vallicula ſepulchrum abhinc ſedecim annis paravit, ſacellumque ornavit, quod ædem ſacram ingredienti ad lævam eſt: quoque in medio eſt elogium ſepulchri, *Antonianus ornavit & ſepulturæ locum elegit*. Ita maturiorem mortem non affert ejus meditatio: feliciorem quidem & vitam facit & mortem. Id ego ſepulchrum velim inviſas vel mea cauſſa, qui *Antonianum* in primis diligo & obſervo. Hæ igitur aliquot epiſtolæ in præſentia poſſunt edi: premi autem volo, nedum vulgari, quas ſcripſi ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem *Aſcanium Columnam*: idque nonnullas ob cauſſas.

Sed tollendæ ex epiſtolis crebræ tricæ *Illuſtriſsimæ, Reverendiſsimæ Amplitudinis veſtræ*, & ad Romanum ſcribendi morem redigenda res eſt: ut hęc honorifica appellandi ratio ſit perquam rara: initio Epiſtolæ & in fine alicubi inſerta.

Oblitus binarum literarum ſum quæ ad Illuſtriſſimum Cardinalem *Aldobrandinum*, priorum quibus univerſe peto ut me commendet: poſteriorum quibus ut mihi honorarium, ob officium meum impetret Eæ oportet illas ſequantur quas ad Toletum ſcripſi.

In Epiſtolis ſicubi queror erepta mihi quædam aliorum cupiditate: mollienda ſententia eſt: & ponendum apud alios bene collocata. Hæc enim tanti non ſunt, ut amiſſorum querimoniam haberi conveniat. Deinde pro-

miſſa tantum erant, nondum data, nec mea dicere potui, priuſquam haberem.

Fugerat me de his Epiſtolis præcipere,quas ad D. *Ioſephum Caſtillum* olim Veronam Româ ſcripſi: hæ in extremo ponantur: ſed tollatur ubique mentio *Rethoricæ Eccleſiaſticæ* ſcriptæ ab Illuſtriſſimo Veronæ Cardinali.

Neque vero laboro, ut hæc edere matures: edantur oportet, cum tempeſtivum erit, cum tibi commodum, cum vacabis aliorum ac potiorum operum immunis.

Titulum vero, mea quidem ſententia oportet eſſe: *Petri Morini Pariſienſis De Elocutione Eccleſiaſtici Oratoris; Deque variis dicendi figuris.* Item *De ſtudio Theologiæ* & alia, ſine ullo alio Indice librorum, qualis ſolet plerumque adjungi.

In his ſcribendis meam quoque memoriam fugerant literæ ad te datæ, adeò obliviosi ſunt ſenes, quamobrem hæ poſtremæ ſint & librum concludant.

Cum vero hæc excudenda erunt, noli me conſulere de Præfatione, & cui dicanda. Nam vel Illuſtriſſimo D. Oratori, vel cui tibi viſum fuerit: ac prius huc temere allata videre volo, quam de his audierim. Itaque noli laborare ut habeam: ſtudeo enim nanciſci, quaſi quilibet.

utinam horum Græcorum commentariorum Veronæ excuſorum emendationes tum Romæ factæ à D. Cardinali *Sirleto*, tum Veronæ à *Fumano* conjungerentur atque divulgarentur: dum hi commentarij cæteraque egregij Doctoris ſcripta vel Romæ è Libris Vaticanis, vel Lutetiæ è Regia Bibliotheca Græcè edantur: quod vix ſperandum: ita hæc ſtudia contempta jacent: ita his infeſta eſt pacis publicæque tranquillitatis, perturbatio.

*Orationes* autem in Conventu *Ordinum Galliæ* habitas latinas feci juſſu Gregorij XIII. fel. record. qui eas mallet latinas legere quam Italicas; qui mihi ob hanc cauſſam, obque alia multa officia mea, nonnulla dare voluit, quæ mihi cupiditas hominum eripuit. Ea quidem intelligo apud alios bene collocata fuiſſe; ideoque id æquo animo fero. Mihi tamen videntur nimis cupide expetita alieno damno. Verum hæc bona caduca & fluxa ſunt, nec habentium propria, cum Eccleſiaſtica ſint: ideoque facile iis carere debemus, quorum etiam adminiſtrationis reddenda ratio erit: de qua ratione, qui caruerit, non laborabit. Ac fortaſſe beneficium divinum eſt alicui ea eſſe adempta, Deum modo diligamus, divina veneremur & colamus. Humana vero omnia modice ferenda ſunt: iis facile carendum ſi deſint: ad Dei gloriam, ad Eccleſiæ utilitatem, ſi ſuppetant, utendum eſt. Ac longe errant qui putarunt me illis ægre caruiſſe & indoluiſſe. Nam per multorum annorum ſpatia, vix mihi in mentem venit eſſe illa erepta. Sed alios ex ſe plerique metiuntur; ſuiſque cupiditatibus univerſum genus humanum laborare putant,

nec alia aliorum ſtudia eſſe perſuadere ſibi poſſunt. Omnibus pręceptum eſt converſationem noſtram in cœlis eſſe oportere : ad illum finem humana omnia dirigenda, propterea quod figura hujus mundi pertranſit : hęc σκηνὴ, hæc brevia: illa æterna, & πολιτεία noſtra ſunt.

Liber *De Elocutione* ſive *De figuris dicendi* in editione primus eſſe debet. Nolo autem prius edi, quam veniam impetrarim, quam brevi petam. Eo in libro eſt quod corrigi velim. Puto enim à me, cum id in animo haberem, oblitum eſſe ac prætermiſiſſe. Id eſt in explanatione figuræ Apoſtrophes : in qua non mihi ſatis probatur exemplum ſumptum à D. Gregorio Nazianzenó de Conſtantio Imperatore quem Nazianzenus mortuum affatur & appellat Chriſti amantiſſimum, eam ut arbitror ob cauſſam, quod Imperator ille Paganiſmo valde infeſtus fuerit, ac idcirco exiſtimatus ſit Religionis noſtræ propagandæ ſtudioſiſſimus. Sed quia is Arianis favit, Eccleſiamque Catholicam ac Doctores ſanctos præſertimque ſanctum Athanaſium oppugnavit : illo exemplo ſuperſedendum eſt, quo is laudari ac celebrari videtur, & alia ejus figuræ exempla ſatis ſuperque ſunt. Vt autem is liber ſcriberetur authores fuerunt Illuſtriſſimi Domini Cardinales *Carolus Borromæus* , & *Auguſtinus Valerius* tum Veronæ jam Epiſcopus . cui probata valde fuit mea induſtria , quod paucis menſibus eum librum abſolviſſem.

Huic adjungendi tres libri *De recto ingenuarum diſciplinarum uſu* : quibus in libris tertius eſt, *De ſtudio Theologiæ*. Eos autem,

hoc conſilio ſcribere ſum aggreſſus, ut oſtenderem quam moderationem putarem tenendam in Encyclopædia percipienda. Tum autem cupidus admodum eram ſcribendi: quo ſtudio deſtiti tum propter occupationes commentationis Bibliorum Græcorum & Latinorum, tum quod obſcurè quidam obijcerent in ſcribendo me aliena ſcrinia compilare: à quo longiſſime aberam, exemplaque & ſententias clarorum Scriptorum ſumebam è commentariis meis.

Inſequi poteſt Libellus ſcriptus ad Xyſtum V. fel. record. *De LXX. Interpretibus.*

Tum quæ ſcripta ſunt *De ærumnis Summorum Pontificum*: Ubi vero mentio fit Reverendiſſimi D. *Baronii*, adjungenda mentio R. P. *Thomæ Boſſii*, qui cum pleraque egregia ſcripſit, tum præclaros & copioſos libros *De ſignis Eccleſiæ*, idque argumentum luculenter eſt proſequutus.

Addendus Liber *De rerum Eccleſiæ alienatione*: Quo neminem offenſum iri puto: quamvis universè avaritiam eorum perſtringam, qui Eccleſiæ bonis inhiant, & has alienationes occaſionem eſſe putant amplificandarum ſuarum fortunarum.

In extremo edi poſſunt quæ Veronæ olim nactus emendatos codices commentariorum *Sancti Ioannis Chryſoſtomi in B. Pauli Epiſtolas Latine tranſtuli*, ex Ethicis illorum commentariorum ſermonibus excerpta. Pervulgatæ enim tranſlationes mendoſos codices ſecutæ ſunt, ut multa in iis vitia eſſe oporteat. Prætermitti autem poteſt *Oratio B. Baſilii in X L. Martyres*, quòd ſola ſit.

Cæterorum editio, *Orationum* Regij-Le-

pidi habitarum, cum ibi publicum munus Encyclia explicandi Græcè & Latinè in triennium ſuſcepiſſem. Item Latine verſarum earum *Orationum* quæ in Conventu Ordinum Galliæ ſunt habitæ & *Epiſtolarum* in aliud tempus eſt differenda :-ſed in præſens Eccleſiaſtica tantum edenda ſunt.

*Ex multis* tamen *Epiſtolis* aliquot carpi poſſunt quæ in hoc libro ponantur in extremo : ut ſcriptæ ad Illuſtriſſimos DD. Cardinalem *Caietanum* , *Borromæum* , *Cuſentinum* , *Toletum*. Nam quæ ad *Caietanum* de operibus ſancti Auguſtini eruendis recte conjungentur : ut longiſſima quæque antecedat. Ad *Borromæum* , prætermittendæ , quibus laborum peto præmia : eſt enim φορτικὸν & propemodum ἀνελεύθερον οὐ γὰρ αἰτητικὸς inquit Ariſtoteles ὁ ἐλευθέριος , Sed cum facultatem mihi deeſſe viderem voluntati navandi parem, coactus ſum petere , quæ ſatius erat non petenti ultro dari. Itaque ad *Borromæum* edi poteſt, qua peto ne correctores Vaticani in Conciliis , arbitratu ſuo quicquam mutent, quod obſcurum aut dubium ſit. Ejuſmodi Epiſtolæ poſſunt evulgari, & ſi quæ aliorum commendatitiæ ſunt. Item ad *Cuſentinum* edatis, quamvis aliquid petat. Si quæ ſunt ad Illuſtriſſimum *Ioyoſam* , primæ ponantur. vel potius primæ quæ ad Illuſtriſſimum *Sanctæ Severinæ* commendatitiæ : eaſque ſequantur quæ ad *Ioyoſam* tum ordine antepoſito. Ad *Toletum* longiſſima quæque, prima ponatur.

Has excipiant quæ ad Illuſtriſſimum *Caſium* Quæſtorem & Theſaurarium Apoſtolicum. *De Corpore operum ſancti Auguſti-*

*ni*, tum quæ ad Reverendiſſimum *Silvium Antonianum* Præfectum ſacri Cubiculi, in quibus prima ſit illa longiſſima, qua in extrema ejus laudes Sanctiſſimi ac Doctiſſimi viri perſtringo. Is ſibi in Æde B. Mariæ in Vallicula ſepulchrum abhinc ſedecim annis paravit, ſacellumque ornavit, quod ædem ſacram ingredienti ad lævam eſt : quoque in medio eſt elogium ſepulchri, *Antonianus ornavit & ſepultura locum elegit*. Ita maturiorem mortem non affert ejus meditatio : feliciorem quidem & vitam facit & mortem. Id ego ſepulchrum velim inviſas vel mea cauſſa, qui *Antonianum* in primis diligo & obſervo. Hæ igitur aliquot epiſtolæ in præſentia poſſunt edi : premi autem volo, nedum vulgari, quas ſcripſi ad Illuſtriſſimum D. Cardinalem *Aſcanium Columnam* : idque nonnullas ob cauſſas.

Sed tollendæ ex epiſtolis crebræ tricæ *Illuſtriſsima, Reverendiſsima Amplitudinis veſtra*, & ad Romanum ſcribendi morem redigenda res eſt : ut hęc honorifica appellandi ratio ſit perquam rara : initio Epiſtolæ & in fine alicubi inſerta.

Oblitus binarum literarum ſum quæ ad Illuſtriſſimum Cardinalem *Aldobrandinum*, priorum quibus univerſe peto ut me commendet: poſteriorum quibus ut mihi honorarium, ob officium meum impetret Eæ oportet illas ſequantur quas ad Toletum ſcripſi.

In Epiſtolis ſicubi queror erepta mihi quædam aliorum cupiditate : mollienda ſententia eſt : & ponendum apud alios bene collocata. Hæc enim tanti non ſunt, ut amiſſorum querimoniam haberi conveniat. Deinde pro-

miſſa tantum erant, nondum data, nec mea dicere potui, priuſquam haberem.

Fugerat me de his Epiſtolis præcipere, quas ad D. *Ioſephum Caſtillum* olim Veronam Româ ſcripſi: hæ in extremo ponantur: ſed tollatur ubique mentio *Rethoricæ Eccleſiaſticæ* ſcriptæ ab Illuſtriſſimo Veronæ Cardinali.

Neque vero laboro, ut hæc edere matures: edantur oportet, cum tempeſtivum erit, cum tibi commodum, cum vacabis aliorum ac potiorum operum immunis.

Titulum vero, mea quidem ſententia oportet eſſe: *Petri Morini Pariſienſis De Elocutione Eccleſiaſtici Oratoris; Deque variis dicendi figuris.* Item *De ſtudio Theologiæ* & alia, ſine ullo alio Indice librorum, qualis ſolet plerumque adjungi.

In his ſcribendis meam quoque memoriam fugerant literæ ad te datæ, adeò obliviofi ſunt ſenes, quamobrem hæ poſtremæ ſint & librum concludant.

Cum vero hæc excudenda erunt, noli me conſulere de Præfatione, & cui dicanda. Nam vel Illuſtriſſimo D. Oratori, vel cui tibi viſum fuerit: ac prius huc temere allata videre volo, quam de his audierim. Itaque noli laborare ut habeam: ſtudeo enim nanciſci, quaſi quilibet.

# PETRI MORINI PARISIENSIS THEOLOGI LIBRI TRES DE RECTO SCIENTIARUM USU.

## DEQUE HIS QUI LITERIS Abutuntur.

### *LIBER PRIMUS.*

EA Eccleſiæ, parentis optimæ atque ſapientiſſimæ, indulgentia, erga nos eſt, ut quæ artes vel non utiliſſimæ ſunt, vel in magna utilitate modice attingendæ propter brevem conceſſum nobis hujus vitæ curſum, in iis interdum ferat nonnullorum operam paulo diutius & liberius conſumi. Nam cum intelligat, ad æternam ſalutem, & Dei gloriam, Chriſtianorum omnia conſilia factaque dirigenda, ejus conſequendæ vias omnes rationeſque monſtrat, ac præſcribit, in iiſque nos varie, nullo errore, Spiritus ſancti numine afflata, exercet. Inſtituta præterea omnia, & diſciplinas probat, quæ vel ad ſalutem adipiſcendam conferant, vel hanc vitam excolant, ornent, tueantur. Verum

horum modum aliquem habendum eſſe, prudenter decernit, ne in levioribus, & minus utilibus occupati, in iiſque ſtudium immoderatius ponentes, melioribus excidamus. Quod ſi qui vel propenſionem naturæ ſuæ ſequentes, vel animo ſuo & delectationi paulo ſolutius indulgentes, nimium operæ ſuæ & temporis in iis, quæ non optima ſint, collocent, otioque intemperanter abutantur, eorum ſæpe inſcitiam diſſimulandam ſibi eſſe intelligit, & exſpectandum, ut ipſi ſua ſponte ad meliorem frugem utilioraque convertantur. Quid nos? An non officium noſtrum eſſe, exiſtimare debemus, ea matris pietate, indulgentia, patientia non abuti? Nobiſque potius temperare, & moderari ſtudia noſtra, ut illius voluntati atque vtilitati obſequamur? Equidem eorum conſilium laudo, & ad Eccleſiæ ipſius tempora vel maxime accommodatum eſſe arbitror, qui primum pueritiæ, & adoleſcentiæ ſuæ ſtudia quo referenda eſſent intellexerunt, deinde illis ſtudiis perfuncti, maturam ætatem ad graviores artes, utilioreſque contulerunt.

Puto autem bonis omnibus, & ſana mente præditis eorum non probatum iri rationem, qui cum intelligant ſe ab Eccleſia, & à parentibus ſuis ad ſalutem æternam conſequendam, & ad utilitatem publicam augendam eſſe ſuſceptos, in levioribus literis diutius, quam eorum ætas ferat, conſiſtere animum inducunt. Nobis non libido ſequenda, non voluptas conſectanda eſt, non delectationes undique aucupandæ. Ad gravitatem nati ſumus, ad virtutem atque honeſtatem. Majorum idcircò noſtrorum

exempla tenenda ſunt, & ad eorum imitationem vita omnis noſtra dirigenda. Sanctum Athanaſium Patriarcham Alexandrinum ſcribit Divus Gregorius Nazianzenus ( nam tum ex ipſius egregiis factis, quæ hominum ejuſdem ordinis officia ſint, intelligi poteſt, tum exemplum ab eo in cæteris vitæ
„ partibus ſumi ) Eumdem igitur ſcribit divi-
„ nis inſtitutis diſciplinisque ſtatim eruditum
„ fuiſſe, encyclia modice attigiſſe, & eouſque
„ ut ne eorum prorſus ignarus eſſe videretur:
„ neque enim, inquit, bona ipſius, & præſtans
„ natura, ingeniique indoles liberalis ferebat,
„ ut in levioribus diutius occuparetur, & idem
„ ei, quod imperitis athletis accideret, qui
„ aërem magis, quam corpora, ferientes, propo-
„ ſita pręmia non adipiſcuntur. Theologię ita-
„ que capita omnia, ſacras Literas, vetus Teſta-
„ mentum, & novum ſtudioſe meditatus, rerum
„ cognitione, & contẽplatione ſeſe locupletat,
„ locupletat item ſplendore vitæ, & mirifice
„ utrumque connectit, aurea ſanè cathena,
„ cum vitam, contemplationis ducem, con-
„ templationem, vitæ obſignationem haberet.
Tanti viri inſtitutum laudat, & ſequendum proponit mater Eccleſia, cum modum finemque nobis cujuſque diſciplinæ præſtitit.

Dicet aliquis. Eum ne finem igitur, quem modo expoſuiſti, nunquam prætergrediemur? & his cancellis circumſepti, cum primas literas, & artes vix imbiberimus, tum ab iis immatura properatione depellemur? Minime vero. Hæc enim ἐν πλάτει ut veteres Juriſconſulti locuti ſunt, intelligi oportet, nec ita anguſtum, latum potius, & ſpatioſum campum habent, in quo varie ex-

currere noſtra induſtria poſſit, & alij propiores ſibi fines circumſcribant, alij liberiùs evagentur. Ad eum ſanè finem ſpatiari omnes debemus, ut hęc primum aliò dirigamus, deinde ut in iis ne hęreamus, ſed mature animum, ſtudiumque eò conferamus, quò priora illa ſpectabant. Nam quid idem Nazianzenus de æquali ſuo, Baſilio Magno, in laudibus ejus ſcripſerit, non alienum huic » loco eſt, intelligere. Patre, inquit, ſuo Ma» giſtro utens, quem eo tempore Pontus » communem virtutis Doctorem habebat, » quaſi primis faſciis involvitur, & diſci» plinis optimis ſanctiſſimiſque informatur, » ut hac prima imbutus doctrina, paulatim » ad perfectionem adduceretur. Deinde adjungit: Non levi eum, & ſubita opera bonarum artium cognitionem percepiſſe, ſed dicendi cupiditate inflammatum, Cæſaream primum veniſſe, inde Bizantium, poſt Athenas ipſas diſciplinarum omnium Altrices. Quo peregrinandi labore, incenſoque doctrinæ ſtudio, quantum progreſſus ſit, quoſque ex ſingulis artibus fructus ſibi carpendos duxerit, jam ex ipſius Gregorij verbis intelligamus, &, quem ſtudiis noſtris ſtatuamus modum, tanti viri exemplo diſca» mus. Hic, inquit ibidem, literarum, artium» que omnium ſcientiam in parergis habe» bat, tantumque decerpebat ex ſingulis, » quantum adjumento eſſe poſſet Philoſo» phiæ Chriſtianæ. Quod genus doctrinæ non » perluſtravit? Quis ei in Rhetoricis, quis « in Grammaticis par fuit? Quis in Philo» ſophia, quæ vel in agendo poſita ſit, vel in » contemplando, vel quæ diſputationes ſuſ-

» cipit, & demonſtrationes ratione conclu-
» dit, & ſolvit contraria, quam Dialc-
» cticam appellant? Ut facilius labyrintos
» evadere poſſes, quam illius ſermonum la-
» queos effugere. Aſtronomiæ quidem, &
» Geometriæ, & numerorum rationis tan-
» tum percepit, ut ne ab iis qui carum
» artium gloria ſe jactant, exagitari poſſet:
» quodque in illis ſupervacaneum eſt, repu-
» diavit, ut inutile profitentibus pietatem,
» ut id magis, quod ſumpſit, admirari
» poſſis, quam quod prætermiſit, atque id,
» quod omiſit potius, quam quod ſibi aſcivit.

Quis ex his S. Gregorij verbis non intelligit, ea præcepta florenti ætate ſequutum eſſe Baſilium, quæ ſenior adoleſcentibus dedit: Scripſit enim librum ad Juvenes; eoſque docet, quam ex Græcorum diſciplinis utilitatem caperent, quamque in iis moderationem adhi-
» berent. In eo, omnia (inquit) Chriſtiani
» ad alteram vitam comparandam facimus,
» quæ igitur ad eam vitam nobis conſe-
» rant, amare; & omni ope ſequi nos opor-
» tere affirmamus, eaque prætermittere, &
» pro nihilo habere, quæ nullo modo eò
» pertineant. Quænam hæc vita ſit, & quâ,
» & quomodo eam degamus, pluribus ver-
» bis explicandum eſt, quam inſtitutæ à
» me diſputationi conveniat, quamque in
» vos Auditores poſſit cadere. Tantum di-
» cam idque vobis fortaſſe in præſentia ſa-
» tis erit, quicquid poſt homines natos fæ-
» licitatis, oratione complecti quis poſſit,
» & in unum conferre, illorum bonorum
» vel minimæ particulæ nullo modo exæ-
» quari, tantoque intervallo, à minimo,

quod ibi ſit, bono, quæcunque hic præ-
» clara ſunt, dignitate ſuperari, quantum &
» umbra & ſomnium à rebus veris abſunt.
» Quinimò, ut veriori exemplo utar, ut ani-
» ma omnibus modis precioſior eſt cor-
» pore, ita maximum inter utraque bona
» diſcrimen eſt. Ad illam igitur vitam nos
» ducunt ſacræ literæ, & abditis myſteriis
» erudiunt. Quamobrem donec ſententiæ
» ſcriturarum, altitudinem intelligere per
» ætatem poſſimus, in aliis, quæ non om-
» nino diſtent, veluti umbris & ſpeculis
» mentis noſtræ oculos prius exercemus;
» eorum imitatione, qui aciei inſtruen-
» dæ ſcientiam meditantur, qui cum certa
» manuum motione, quam *Chironomiam*
» appellant, & ſaltatione peritiam compara-
» rint, in ipſis demum certaminibus prio-
» ris ludi fructum percipiunt. Nobis om-
» nium maximum certamen propoſitum eſſe
» exiſtimare debemus, propter quod om-
» nia nobis facienda, labores omnes ma-
» gna ope ſuſcipiendi ſunt. Ad hoc ineun-
» dum certamen, in eorum libris, qui vel
» ſoluta oratione, vel verſu ſcripſerunt, in
» Oratorum quoque ſcriptis opera ponen-
» da, undecunque ad animi curam, & di-
» ligentiam utilitas aliqua poſſit exiſtere.
» In Poëtis, non ad omnia, quæ ſcri-
» bunt, animum adjungite. Verum cum
» virorum bonorum facta, aut dicta nar-
» rant, amare debetis, atque imitari. At
» cum ad malos venerint, imitationem fu-
» gite, & aures veſtras, ut olim Ulyſſes
» Sirenum carminibus, obſtruite. In lite-
» ris, apum exemplo, verſandum eſt. Hæ

» enim nec flores omnes petunt, nec inde,
» quo advolarint, omnia auferre conantur,
» ſed eo ſumpto, quod ad opificium ido-
» neum videatur, reliqua ſinunt. Nos,
» eodem more, ſi ſapimus, quod veritati pro-
» pinquum eſt, & affine, ab illis capie-
» mus, cętera tranſgrediemur; & quemad-
» modum in roſario florem carpimus, evi-
» tamus ſpinas, ſic ex ejuſmodi literis,
» quantum uſui eſſe poteſt, decerpemus, quod
» noxium eſt, cavebimus.

His vir Sanctiſſimus præceptis clariſſimum lumen nobis præfert, veterum ſcripta evolventibus. Hunc ſi audiemus bene diſcendi Magiſtrum, cum decerpſerimus ex antiquis monumentis, quæ ad finem nobis propoſitum referantur; ad ea, quæ veriora ſunt, atque certiora, quæque nihil fraudis & vitij admiſtum habent, nos tempeſtivè vertemus, nec ætatem omnem in illis conſumemus. Apud Platonem ſenem quemdam legimus ſolere dicere, *Græcos ſemper eſſe pueros, nec ullum apud illos ſenem eſſe.* Græcos videlicet ſignificabat ille ſenex diſciplinis uti puerilibus, eas non tenere, quæ certiſſimæ indagatrices veri, ætati virili magis convenirent. Cum igitur Chriſtiana ſapientia, Græcorum doctrinam omnem & Gentilium contemnat, ac pro nihilo putet, iis exceptis: ſi qua finem, quem ſequimur, attingant, quid à pueris aberimus, ſi à pueritiæ ſtudiis nunquam avellemur? At in iis voluptas eſt, & liberalis oblectatio. Iſta voluptas ſi à melioribus ſtudiis, & ſanctioribus abſtrahit, prope eſt, ut qui eam ſequuntur, puerorum ſimiles ſint, quos à ludo, à

laſcivia, & intemperantia vix gravium hominum aſpectus, & verecundia revocat. Eudoxius olim per litteras. S. Gregorium Nazianzenum rogabat utendos libros quoſdam Rhetoricos. Commodare ſtudebat Gregorius homini amico vir humanus & bonus, ſe eos libros miſſurum reſcripſit. Sed tamen epiſtolæ(57.) initio eum objurgans, ſtudiumque intempeſtivum reprehendens.
„ Nos, inquit, oportebat aliquando finem
„ facere ludendi, & quaſi balbutiendi pue-
„ rurem morem. Non hæc igitur ſtudia im-
„ probantur, ſed iis modus præſcribitur.
„ Utilia ſunt iſta, ait Sanctus & gravis au-
„ thor Auguſtinus, nec diſcuntur illicite,
„ nec ſuperſtitione implicant, nec luxu ener-
„ vant, ſi tantum occupent, ut majoribus re-
„ bus, ad quas adipiſcendas ſervire debent,
„ non ſint impedimento.

Servire igitur, ex ſancti Auguſtini ſententia, debent hæ literæ, quibus pueritia informatur, ad religionem adhibendæ ſunt, ad res divinas celebrandas, ad vitam humanam colendam, atque exornandam. Alio referuntur, non propter ſe diſcuntur. Si quæ in his ſententiæ ſunt proditæ convenienter religioni, & diſciplinæ Chriſtianæ, iis, eodem ſancto Auguſtino authore, utendum eſt; earum accommodatione vita & conſuetudo communis tuenda eſt atque munienda.
„ Quicquid, inquit, de ordine temporum
„ tranſactorum inducat ea, quæ appellatur
„ hiſtoria, plurimum nos adjuvat ad libros
„ ſanctos intelligendos, etiam ſi præter Ec-
„ cleſiam puerili inſtitutione diſcantur. Phi-
„ loſophi quoque qui vocantur & maxime

„ Platonici, ſi qua forte vera, & fidei no-
„ ſtræ accommodata dixerunt, maxime Pla-
„ tonici, non ſolum formidanda non ſunt,
„ ſed ab eis etiam, tanquam ab injuſtis poſ-
„ ſeſſoribus in noſtrum uſum vindicanda.
Authoritatem ſancti Auguſtini ſi ſequemur, & intelligemus, ad quam quæque ſtudia metam dirigantur, in his non conſiſtemus, horum voluptate capti, meliora, quò illa pertinebant non faſtidiemus, ſententias falſas, abſurdas, inanitatis pleniſſimas repudiabimus, à quibus communis Chriſtianorum ſenſus, vel judicibus nobis, abhorreat. Quis enim me ferat, Jovem, & Bacchum, & hujuſmodi monſtra celebrantem, eorumque nominibus in re præſertim ſeria utentem? Nam gratulari debemus, & lætari, ſenis optimi doctiſſimique cauſa *Laurentii Gambaræ Brixiani*, qui cum à prima pueritia ætatem magna ex parte conſumpſiſſet, in ſcribendis ejus generis carminibus, quibus veterum Poëtarum falſa imbutorum religione, ſententia, & ratio exprimerétur, in eoque magnum ſe putaret operæpretium facere, tandem exacta ætate ad ſe rediens, & quaſi depoſito veterno excitatus, intellexerit, operam ſe in rebus leviſſimis & futilibus, & in inſano ſtudio luſiſſe; damnavit nuper ſcripta ſua, quicquid multis annis verſuum ad undecim milia, elucubraverat, non ſolùm contempſit & pro nihilo habuit, ſed etiam combuſſit, & ex ſua memoria deleri, ſempiternoque interitu mactari voluit. Quid tu ne fœtus tuos, tot exhauſtis laboribus editos, in ipſo maturitatis articulo perimis? & laudem ingenii, doctrinæque & eloquentiæ gloriam tibi ipſi

infeſtus extinguis, tu debita induſtriæ tuæ præmia immortalis nominis, & æternæ me-
„ moriæ prodis? Ita, inquit, ego potius im-
„ mortalitatem, vitamque æternam hoc fa-
„ cto adipiſcor. Laudem illam nihil moror
„ ingenij, artificiique Poëtici: caduca hæc
„ ſunt, fluxa, inania. Stabilis eſt, & ve-
„ ra illa gloria, quam recte factis, & con-
„ venienter legi Chriſtianæ vivendo ſequi-
„ mur.
„ Artem igitur faciendorum verſuum, &
„ poliendorum improbas? Vtinam eam in
„ optimis ſententiis, non in fabulis ina-
„ nibus poſuiſſem. Jovem mea carmina per-
„ ſonabant, & Apollinem, & Mercurium,
„ & cæteram turbam falſorum Deorum.
„ Calliopen, & Erato, & alias muſas, au-
„ thorum meorum exemplo, invocabam,
„ contra ſententiam meam, quaſi ipſi au-
„ thores non ex ſententia ſua iſta celebraſ-
„ ſent, aut quaſi in illis nugis & ineptiis,
„ ſi quod veræ religionis lumen affulſiſſet,
„ perſeveraturi fuiſſent. Debui ego in diſ-
„ ciplina Chriſtianorum natus, & educatuss
„ ex iis, quæ apud nos in communi ſenſu
„ & conſuetudine poſita ſunt, ex his, quæ
„ vera eſſe à prima uſque ætate didicerim
„ à Parentibus, à Magiſtris, à neceſſariis
„ omnibus, argumentum ſcribendi capere,
„ & de medio ſumptis uti, eaque poëticis
„ ornamentis, quæ in quamvis ſententiam
„ convenire poſſint, illuſtrare. Muto vel ſe-
„ nex ſententiam: ſero quidem conſilio ſed
„ neceſſario, in illis nimium multus fui,
„ pœnitet, pigetque; meliora paro, & di-
„ gniora me, atque hac ætate.

& apta collocatione verborum, rationibus, ſententiis. Ducebant, inquam, ex mentibus & intimis ſenſibus hominum, quæ ſcriberent, eaque ante oculos pręclara imitandi facultate proponebant. Et cum intelligerent, pictura capi homines, non ſolum propter venuſtatem & artem, ſed multo magis propter imitationem & agnitionem & ſubitum reminiſcendi motum, qui motus jucundus eſt, quod doctrinam facit, quodque diſcere delectat hominem, in pingendis rebus, atque imitandis maximum ſtudium, operam, diligentiamque poſuerunt. Hæc quo pertinent? Ut ſecernamus, quæ nobis in ſcribendo ab illis ſumenda, quæ repudianda ſint. Ingenita fuit primis hominibus Dei religio, qui univerſitatem condidiſſet, qui viſibilia creaſſet. Poſt, errore aſcititio, invidiâ fraudeque dæmonum, imbecillitate hominum, exorta falſa religio eſt. Lex à Deo per Moyſen Iſraëlitico populo data; Gentes adulterinam religionem imbiberunt, de pluribus Diis, iiſque facinoroſis, deque temeritate fortunæ: flagitiis & ſceleribus, quod ea etiam ipſi Dij in ſe ſuſcipere putarentur, authoritas data eſt, errore prauitateque opinionum imbuti hominum animi. Hæc Poëtæ verſibus expreſſerunt, quod de medio ſumptis, & hauſtis ex opinionibus hominum, multum honoris accedere poſſe judicarent, ſi luminibus omnibus, & inſignibus poëticis ea exornarent. Nondum dico hæc à Chriſtianis reſpuenda eſſe. Jam ipſum ſanctum Baſilium, egregium Doctorem,
„ præcipientem audiemus. Tantum dico,
„ nihil abeſſe, quin, ſi ad illos veteres Poë-
„ tas referamus, plane judicent ejuſmodi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

„ rerum non ſolum imitationem, ſed uſur-
„ pationem etiam obſoleviſſe, & vetuſtate
„ ita deletam, ut vulgo non intelligatur, re-
„ novandam non eſſe. Illi à populari ſenſu
„ ſumebant, quæ arte tractarent: nos ea
„ in ſcripta noſtra inferciemus, & populo
„ obtrudemus, quæ vix intelligat? quæ re-
„ pudiet atque aſpernetur? ut religioni &
„ veritati, atque adeo ſenſui communi con-
„ traria? Quæ non ſolum impia, abſurda,
„ inepta ſint, verum & antiquata, & jam ſitu
„ ipſo vetuſtatis horrida? Auratum, inquit,
„ ſanctus Hieronimus, ſquallet capitolium.
„ Fuligine, & aranearum telis omnia Romæ
„ templa cooperta ſunt. Solitudinem patitur
„ & in urbe gentilitas. Dij quondam natio-
„ num cum bubonibus, & noctuis in ſolis
„ culminibus remanſerunt. Iſta igitur contra
ſententiam Doctoris Sanctiſſimi, & Doctiſ-
ſimi nos celebrabimus? & in antiquum ſplen-
dorem, ac nitorem ſcriptis noſtris revocare
ſtudebimus? Nihil videlicet cultum eſſe poteſt,
nihil elegans ac politum, niſi quod redolet ve-
tuſtatis errorem. At idem Sanctus de obitu
„ *Paulinæ*. Cæteri, inquit, mariti ſuper tu-
„ mulos conjugum ſpargunt violas, roſas,
„ lilia, floreſque purpureos, & dolorem
„ pectoris his officiis conſolantur. Pam-
„ machius noſter ſanctam favillam oſſaque
„ veneranda eleemoſynæ balſamis rigat: his
„ pigmentis atque odoribus fovet cineres
„ quieſcentes, ſciens ſcriptum, *ſicut aqua*
„ *extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum*.
„ Quod ſi ego more Chriſtiano, ſanctis ſacri-
„ ficiis, & eleemoſynæ balſamis irrigo ſepul-
„ chra defunctorum, cur muſam meam ine-

„ ptire patiar, & roſas, lilia floreſque purpu-
„ reos ſpargere? Communis enim vita, mores probi, ſancta & pia inſtituta literis, & verſibus exprimenda ſunt, non aſpergenda maculis impiæ, jamque extinctæ ſuperſtitionis. Scribebant veteres illi, quæ in vulgus probarentur, quæ viris Principibus, quæ multitudini placerent, quibus aſſentirentur omnes: In Regum & Procerum gratiam noli ea ſcribere, quæ cum ipſi legant, nec intelligant, jam ſibi idiotæ eſſe videantur, nec dum ſatis literarum habere, & Ariſtarchum quendam, aut Servium accerſiri jubeant: mirentur non à publicis & Chriſtianis moribus, ſed à pravis gentilium opinionibus, ſcribendi argumentum duci, falſorumque Deorum ſcelera & flagitia uſurpatione noſtra perverſaque veterum Poëtarum imitatione renovari. Jam enim, quam hæc nobis aſciſcenda non ſint ab opinionum errore nata, & hominum mores, vitamque labefactantia, Sancti Baſilij ſenten-
„ tiam attendamus. Malarum, inquit, fa-
„ bularum conſuetudo, ad ipſas res viam
„ quandam munit. Quare omni diligentia
„ cuſtodiendus eſt animus, ne ſermonum vo-
„ luptate capti, deteriorum aliquid in nos
„ admittamus, ut qui feralia, & mortifera
„ venena una cum melle ſumunt. Non ergo
„ laudabimus Poëtas, cum imitantur con-
„ vitiantes aut cavillantes, aut amantes,
„ aut ebrios; cum lauta, & copioſa menſa,
„ cantileniſque diſſolutis fœlicitatem defi-
„ niunt. Omnium autem minime attende-
„ mus eos de Diis diſſerentes, iiſque non
„ concordibus. Frater enim apud illos cum
„ fratre ſeditione conflictatur, parens cum

„ liberis, & hi contra implacabili mente bel-
„ la cum parentibus ſuſcipiunt. Adulteria
„ vero Deorum, & amores, & coïtus in pro-
„ patulo, maximèque Principis eorum Io-
„ vis, ut ipſi dicunt, quæ vel quemvis de
„ pecudibus narrare pudeat, iis relinquemus,
„ qui in ſcena verſantur.

Num aperte ex his Baſilij verbis intelligimus horum vel mentionem, niſi forte in deteſtatione, pietati Chriſtianæ alienam eſſe? Labem morum, peſtem adoleſcentiæ, flagitiorum omnium hortatricem? Hi vitandi in doctrina ſcopuli, in quo navis ſemel illiſa, ægre optatum portum ſalutis tenebit. In his abjecto admodum, anguſtoque animo conſiſtitur & male omnis à pleriſque conſumitur ætas.

In hoc Poëtarum campo eligenda bona ſunt, & carpenda, tum ad meliora veniendũ Si quis in arena aurum legens, inde nunquam diſcedat, varie aurum illud cum arena pertractans, ſatiſne ſanus eſſe videatur? Inventis ſanè frugibus, glande veſci homines deſtiterunt. Qui ſi oblatam meliorem vitæ colendę rationem aſpernati eſſent, in eo non multum inter eos, & pecudes interfuiſſet. Ægyptum male deſiderabat Iſraël, & vilia Ægypti obſonia, cum in ſolitudine à Deo, Rectore Moyſe duceretur: Nos perverſe delicati manna faſtidimus, Ægypti monſtra, portentaque reſpicimus, ciſternas diſſipatas amamus, fontem aquę vivæ relinquentes. His deliciis convictum eſt faſtidium eorum monumentorum, quæ à viris eximia ſanctitate, & doctrina ornatis relicta poſteritas ad Theologiæ, legumque Eccleſiaſticarum ſummam cognitionem, orationis lepore, pigmentiſque fucata non

non ſunt, & ſua ſe ſimplicitate, gravitate, veritate commendant: qualia veterum acroamatica fuere. Hæc politulis nobis horridiora paulo eſſe videntur, offenduntque aures teretes, & religioſas, & elegantiæ conſuetudine imbutas. Vocabula etiam poſt exortam Chriſtianæ diſciplinæ lucem vel expreſſa de Græcis, vel facta utiliter ad res novas declarandas, communique orbis terræ conſenſu probata, nobis ſordent, & licentius uſurpata videntur, quod veteres ea Latinæ linguæ principes non ediderint, à quorum loquendi conſuetudine, & verbis diſcedere religio eſt. Ita pro tritis atque uſitatis in Eccleſia verbis, quædam è vetuſtate depromuntur, quæ quam vim habeant, quidve declarent, ipſimet eorum authores exponant neceſſe eſt: nec jam penes uſum arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi. Hanc rationem, faciendum mihi non videtur, ut pluribus verbis refellam: de vocabulis tantopere laborare, ineptum eſt: communem uſum repudiare ſtultum, ne dicam impium, in rebus præſertim Eccleſiaſticis.

Ex ſimplicitate autem ſcribendi oritur ordo, & diſtincta deſcriptio rerum & ſubtilitas; quæ ad docendum omnia accommodatiſſima ſunt. Haneque ob cauſam S. Thomæ ſcripta non ſolum Latinorum hominum manibus teruntur, ſed à Græcis etiam ipſis græce verſa, & ſumma cum utilitate atque admiratione lectitata ſunt.

Quod ſi qui ornamenta deſiderant, nec vident ea à tenuitate & ſubtilitate diſſerendi, quam ejuſmodi ſcriptores ſuſceperunt, aliena eſſe: His ſatisfaciet Arnobij clari Rhetoris, & ſcriptoris luculenti authoritas & ſententia: Puerilis, inquit, eſt & anguſti pectoris

„ hæc reprehenſio. Cum de rebus agitur ab „ oſtentatione ſubmotis, quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, „ nec quid aures commulceat, ſed quas afferat „ audientibus utilitates, maxime cum ſciamus, quoſdam etiam ſapientiæ deditos, non „ tantum abjeciſſe ſermonis cultum, verum „ etiam cum poſſent ornatius, atque uberius „ eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, „ ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, „ & ſophiſtica ſe potius oſtentatione jactarent.

Hæc Arnobij defenſio ſatis, meo quidem judicio, à delicato faſtidio, & contemptu optima ſcripta vindicat: in quibus multo utilius adulta & matura ætas operam poneret, quam in Poëtis, atque Oratoribus identidem ad ſenectam uſque evolvendis. In illis nihil vitij, nihil erroris eſt: in his non-nulla bona, quæ à malis internoſcenda ſunt, quæque cum delecta fuerint, aliò ſtudium conferendum: pleraque mala in quibus ſi cupide hæſeris, vix fieri poteſt, quin animum moreſque inficiant.

Cur igitur ſunt in manibus, cur leguntur Poëtæ? cur in celeberrimis Bibliothecis, etiam Eccleſiaſticis habentur? Eam ſanè ob cauſam, ut ſi qua veteres ſcriptores memoriæ commendarunt, quæ ad ſapientiam, & diſciplinam virtutis pertineant, ea delibemus, & in rem noſtram utilitatemque vertamus. Nam eodem in libro, cujus ante mentio facta eſt, Sanctus Baſilius, poëſim Homeri, virtutis laudem eſſe, audiſſe ſe affirmat ex eo, cui ſciret ejus poëtę mentem, atque ſententiam bene perſpectam: Vlyſſis exemplo, virtutis diligentiam nobis ſuſcipiendam, quod ea cum naufrago enatet, feceritque ut ſui ſtudioſus

Ulyſſes, quam beati illi Phæaces, longe pluris fuerit: Prodicum Chium recte ſcripſiſſe, viſas Herculi in ſomnis, voluptatem, atque virtutem, quarum utraque illum ſtudio ſui inflammaret; ſe denique honeſtatis omnia præcepta, undecumque colligantur, probare. Modus itaque rerum omnium habendus, non res ipſæ, vel penitus repudiandæ, vel immoderato ſtudio complectendæ.

Ad hæc, linguę Latinæ integritatem, intelligunt omnes, in orbe Latino retinendam eſſe, atque idcirco bonos, ac Principes Latinitatis Authores idoneos eſſe, in quibus adoleſcentum labor & opera ponatur. Nam in hac vulgaris linguæ colluvie & labe, qua Itali, Galli, Hiſpani, ſeneſcente Latinitate, varie & inconſtanter uti cœperunt; Quis tam imperitus rerum æſtimator eſt, quin fateatur, eum ſermonem, cujus conjunctione Occidentales omnes Provinciæ olim devinctæ & conſociatæ fuerunt, nobis omni diligentiâ excolendum eſſe? Niſi forte perturbationem linguarum, qua pœna olim turris Babel ædificatores affecti ſunt, ultrò aſciſcere & amplecti malumus.

Vnum potiùs labium ſit, uno omnes ore, unâ voce Deo ſupplicationes, ſacrificia, preces, gratias, laudes habeamus. Hoc communi vinculo pax & concordia provinciarum omnium ſancienda, indicendi & habendi Eccleſiaſtici conventus, celebrandę Synodi, conferendi ſermones de rebus divinis, de hęreſibus extinguendis, de Eccleſiæ Catholicę moribus, legibus, inſtitutis.

Prę clarum eſt, & imprimis beatum unius linguæ imbutos conſuetudine, tam multorum

populorum, tamque inter ſe disjunctorum; Principes & Paſtores & Doctores ita convenire & conſentire, ut unius omnes civitatis eſſe videantur. Et verò unius civitatis ſunt, quæ Civitas Dei eſt, Eccleſia ſancta, quæ ideò ſermonis unius uſum tam diligenter & ſanctè retinet.

Quare nihil eſt, cur quiſquam rationem noſtrum tetricam nimis & ſeveram, & à muſis alienā putet. In veteribus enim latinæ orationis Autoribus ſcimus pueritiæ ſtudia, & adoleſcentiæ rectè poni, certoſque eſſe ſcriptores, à quibus bene loquendi, & ſcribendi exempla » prima ætas utiliter petat. Qui in ſola vitæ » ratione (*ait Gregorius Nazianzenus, orat. 20. » de laudibus Baſilii magni*) vel in ſolo ſermone » laudem ſunt aſſecuti, nihil mihi ab iis diſ» ferre videntur, qui altero capti ſunt oculo. » Eruditio imprimis bonis eſt habenda: non » hæc ſolùm quæ noſtra eſt nobilior, ac melior, » quæ venuſtatem omnem, & gloriam aſper» nans, ſalutem ſolam ſequitur, & ſententia» rum pulchritudinem, ſed etiam externa, » quam Chriſtianorum nonnulli reſpuunt, ut » inſidioſam & lubricam & à Deo abducen» tem, idque faciunt inſcitè. Quemadmodum » enim cælum, & terram, & aërem, & cætera » ejuſmodi, non idcircò contemnimus, quòd » ea nonnulli malè exceperint, & pro Deo, quæ » Dei ſunt coluerint: ſed quod ex iis uſui eſt, » carpentes ad vitam, & ad fructum, quod » periculoſum eſt fugimus, non res conditas, » inſipientum more adverſùs Creatorem ſoli» citantes, ſed ex opificiis ſummum Opificem » percipientes, & quod divinus ait Apoſtolus, » captivantes omnem intellectum in Chri-

» ſtum : ut etiam nec ignem, nec cibum, nec » ferrum per ſe utiliſſima eſſe ſcimus, aut per- » nicioſiſſima, ſed pro utentium opinione, & » voluntate. Quinetiam ſerpentes nonnullas ad » ſalutem in medicaminibus temperavimus. » Ita ex his doctrinis, quod in quærendo poſi- » tum eſt, & contemplando accepimus : quod » autem ad dæmones fert, & in errorem du- » cit, exitiique gurgitem, deſpuimus, niſi » quid fortè utilitatis ad Dei cultum ex iis » cepimus, ex deteriori id, quod melius ſit, » cognoſcentes, atque ex illorum infirmitate » doctrinæ noſtræ robur adjungentes. Quam- » obrem doctrina deſpicienda non eſt, ut non- » nullis videtur; ſed leves eos, & imperitos » eſſe exiſtimandum, qui ad exemplum ſuum » omnes revocent, ut in communi vitio ſuum » lateat, atque inſcitiæ ſuæ argumentum ef- » fugiant.

Qui igitur Nazianzenum Doctorem noſtrum liberaliores diſciplinas retinendi authorem habemus, an imperitiæ poſſumus argui, quod ei ſtudio modum præſcribamus? Imbuendi priùs teneri & dociles puerorum animi, religionis, innocentiæ, caſtimoniæ ſtudio : præcipienda antidotus ad ea cavenda venena, quæ in priſcorum libris variè ſparſa ſunt. Falſarum opinionum labes in legendo prætereunda eſt, aſpernanda, refutanda. Nam in ipſo artificio poëtico fatentur omnes boni & fructum eſſe, & oblectationem non illiberalem : ab ipſa arte proficiſci, quod divinas laudes hymnis concinamus, quod egregiis ſanctorum meritis gloriam, celebritatemque pangendis verſibus addamus, ſicque eorum tum ope juvemur, tum imitatione erudiamur.

Sanctum denique Paulum, vel poëtarum teſtimonia interdum uſurpaſſe, quæ omnia S. Hieronymus, ad Magnum Oratorem ſcribens perſequitur; &, ut cæteros omittam, quantum in Pantæno literarum fuerit, commemorat, quantum in Clemente Alexandrino, in Origene, Tertulliano, Arnobio, Lactantio, Victorino, Cypriano, Hilario: ubi etiam ſive ludens, ſive adverſarium perſtringens monet Hieronymus, ne veſcentium dentibus edentulus invideat, neve oculos caprearum talpa contemnat.

Quamobrem S. quoque Hieronymo authore, probantur ab Eccleſia hæc adjumenta doctrinæ, quæ cum olim Imperator Julianus, impius deſertor & transfuga Chriſtianis per ſummam invidiam, atque obtrectationem eriperet, ac ſcelus ſuum, quo à Chriſtiana Religione nefariè deſciverat, hac impietate, malitiaque cumularet: doctiſſimi ejus ætatis viri, tyranni poteſtatem ac ſævitiam nihil reformidantes, publicam libertatem, & communem literarum fructum aſſeruerunt, in iiſque & ſe & juventutem exercere perſeverarunt, cum Athenas externarum doctrinarum altrices quaſi compilarent, & in pietatis Chriſtianæ utilitatem, dignitatemque transferrent.

Monſtrum illud immane, ac ſcelus, Antichriſti ſigniferum, ejuſque conſilia, factaque omnia deteſtatur Eccleſia; & quibus ille nos privare conatus eſt, ea retinenda, excolendaque eſſe judicat, ſuum cuique relinquit ſtudium: ad optima quæque adhortans, vim tamen nullam affert hominibus, neminem cogit aliena ingenio ſuo ſtudia ſequi, modo à perniciofis abſtineat: uſu denique intelligit

plerumque evenire, ut qui ſe in iis, quæ non utiliſſima ſunt diu contriverint, ad meliora tandem ſitientes accedant, & in iis maximo reipublicæ Chriſtianæ bono verſentur. Moderatio adhibeatur, meminerit quiſque quid ſuſceperit, quid profiteatur, quid ſibi conveniat, quid à perſona ſua abhorreat; cumque multa nos Eccleſia tacita moneat, & ſui verecundiam ſtudeat afferre, ejus nutus vereamur omnes, filiorumque pietatem indulgenti matri præſtemus.

Alia communia ſunt omnium Chriſtianorum officia, alia ſacris initiatorum, hos vel maxime ſequi oportet, quod de ſe ſcripſit » Gregorius Nazianzenus: Linguam, *inquit*, » puram puris ſacrificiis cuſtodiam, quibus » magnum Regem ad homines adduco. Puto » enim, ab aliena lingua, & impura mente » non allegabo ſacrificium vivificum. Per eun» dem rivum, non & dulcis aqua ducitur & » amara; purpureæ veſti cœnum alienum eſt.

Hujus S. Confeſſoris & Epiſcopi & Doctoris exemplo vita nobis inſtituenda, temperanda ratio conſiliorum ſtudiorumque omnium. Hic etiam parentem cum adoleſcente filio, incenſo cupiditate doctrinæ, ita loquentem facit, ut hiſtoriam temporis partum eſſe agnoſcat, hiſtoriæ ſapientiam, diſciplinam vitæ fundamentum: fontem ſe non obſtructurum, quem videat plurimum aquæ continere, nec commiſſurum ut lucernæ lumen, deficiente oleo, moriatur. Nec ultra Gades progredi » cupientem prohibiturum. Modo, *inquit*, » Chriſtum egregiæ iſtius voluntatis ducem » habeas, nec improbos tibi ſocios adjungas. » peſtis vel robuſta membra afficit: cave, tam

» honeſtum ſtudium ſtudia mala expellant.

Qui ad hanc normam commentationum S. Gregorii, vitæ ſuæ conſilia diriget, quibuſcunque animum ſuum dedat diſciplinis, omnia tandem ſibi experietur proſperé, ac feliciter evenire: cùmque ſui quiſque judicii, & ſtudii natura retinentior ſit, nec ſua nimium amabit ſtudia, nec aliena reprehendet, veterum monumenta perluſtrabit, optima quæque diligenter ſecernet, iiſque ad propoſitum finem tenendum utetur. Doctrinę omnes Gentilium, *ait S. Auguſtinus*, non ſolùm ſimulata, & ſuperſtitioſa figmenta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris habent, quæ unuſquiſque noſtrûm duce Chriſto de ſocietate Gentilium exiens debet abominari, atque devitare, ſed etiam liberales diſciplinas uſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima continent, deque uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos.

Hæc Auguſtinus. quo authore diſcamus rerum, ſententiarumque delectum habere, neque omnia, in quæ incidamus, paſſim probare, ſed juſtis quamque rem ponderibus, & Chriſtiana trutina examinare. non omnia, in quibus auri ſit ſpecies, pro auro habemus; attentéque diſcernimus, quodnam purum aurum ſit, quod ære miſtum, & adulteratum. Puerorum eſt, tanti vitrum, quanti pretioſiſſimam gemmam putare; gravis & experientis viri, varia ſingularum rerum pretia, dignitatémque expendere, atque intelligere, quantum in quaque re operæ temporiſque ponendum ſit.

Nam ſancti Hieronymi, ſingularis Docto-

ris, authoritatem & ſententiam Chriſtiani omnes maximi facere debemus, qui ad Ruffinum ſcribens, quamvis præ ſe fert, non pœnitere, quod literas olim ſeculares, ſtudiosè didiciſſet, caſque oblivisci ſe nolle, ne poſſe quidem, adeò in teneris aſſueſcere multum eſt, & aſſeverat Feſtum pro tribunali multarum literarum ſcientiam verè S. Paulo tribuiſſe, cum ille gentium & univerſi orbis Doctor, Græcam facundiam contemneret, vel certè, quod erat humilitatis, diſſimularet: tamen graviſſimo ſupplicio, & cruciatu ſe divinitus affectum confitetur, quod ea ſtudia diutiùs retineret, quàm perſona ſua pateretur & ætas, eaque pœna perterritum ſpopondiſſe literas Gentilium poſtea non eſſe tractaturum. Se enim quiſque, perſonamque, & officia ſua metiri debet, & ad eam vitam, cogitationeſque omnes & facta ſua accommodare, nec committere, ut in tam brevi vitæ curriculo, quæ optima ſunt, & utiliſſima, & ad officium ſuum pertinentia, leviorum ſtudio prætermittat.

Ita ſui quiſque juris eſt, & arbitrii, ut poteſtate ejus teneamur omnes, à quo ſumus conditi. ab eo in ſtatione aliqua, tamquam ab Imperatore, & in certo munere collocati, id munus tueri, & ornare debemus, atque ad ipſius Imperatoris nutus, conatum omnem noſtrum, & voluntatem conformare. Qui ita affectus eſt, animo ſuo & voluptati non obſequetur, nec erit infructuoſus orbi terræ, deque præſtantia Chriſtiani hominis, & dignitate cogitans, erga Deum, cui tam multa debet, gratum ſe præbebit: ad ejus ſanctificandum nomen & gloriam illuſtrandam referet om-

nia, aſpernabitur quæ religioni & legi Chriſtianæ videat repugnare, eamque normam habebit cogitationum tuarum, atque actionum: Hæc ratio animos hominum errore liberat, hæc verè nos docet, quemadmodum non ſolùm literis, atque diſciplinis, ſed etiam cæteris rebus omnibus uti debeamus.

# PETRI MORINI

## DE RECTO

## SCIENTIARVM VSV

## LIBER SECUNDUS.

*Quàm utilis, & cauta Clericis & Chri-ſtianis eſſe debeat Priſcorum, Ethni-corumque Librorum lectio.*

QVò ingenuarum artium diſciplina referenda ſit, cum magnus ille Baſilius in eo libro, quem adoleſcentibus ſcripſit, copioſè diſſeruit, tum ipſius Eccleſiæ uſus, atque inſtitutio argumento nobis eſſe poteſt. Maxima in omnibus vitæ partibus utilitas inde ab eo percipitur, qui, quò dirigenda hæc omnia ſint, intelligit, nec errore & imperitia aut inſolentia ductus alio confert. Vitæ communis, & humanitatis omnis, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, hæ artes fundamentum rectè appellari poſſunt: Nam cum vita noſtra ratione & conſilio gubernetur, prudentiæque temperetur habenis, prudentia autem vivendi dux, atque magiſtra,

nia, aſpernabitur quæ religioni & legi Chriſtianæ videat repugnare, eamque normam habebit cogitationum tuarum, atque actionum: Hæc ratio animos hominum errore liberat, hæc verè nos docet, quemadmodum non ſolùm literis, atque diſciplinis, ſed etiam cæteris rebus omnibus uti debeamus.

# PETRI MORINI

## DE RECTO

# SCIENTIARVM VSV

## LIBER SECUNDUS.

*Quàm utilis, & cauta Clericis & Chriſtianis eſſe debeat Priſcorum, Ethnicorumque Librorum lectio.*

QVò ingenuarum artium diſciplina referenda ſit, cum magnus ille Baſilius in eo libro, quem adoleſcentibus ſcripſit, copiosè diſſeruit, tum ipſius Eccleſiæ uſus, atque inſtitutio argumento nobis eſſe poteſt. Maxima in omnibus vitæ partibus utilitas inde ab eo percipitur, qui, quò dirigenda hæc omnia ſint, intelligit, nec errore & imperitia aut inſolentia ductus alio confert. Vitæ communis, & humanitatis omnis, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, hæ artes fundamentum rectè appellari poſſunt: Nam cum vita noſtra ratione & conſilio gubernetur, prudentiæque temperetur habenis, prudentia autem vivendi dux, atque magiſtra ſ-

# PETRI MORINI
## DE RECTO
# SCIENTIARVM VSV
## LIBER SECUNDUS.

*Quàm utilis, & cauta Clericis & Chriſtianis eſſe debeat Priſcorum, Ethnicorumque Librorum lectio.*

QVò ingenuarum artium diſciplina referenda ſit, cum magnus ille Baſilius in eo libro, quem adoleſcentibus ſcripſit, copiosè diſſeruit, tum ipſius Eccleſiæ uſus, atque inſtitutio argumento nobis eſſe poteſt. Maxima in omnibus vitæ partibus utilitas inde ab eo percipitur, qui, quò dirigenda hæc omnia ſint, intelligit, nec errore & imperitia aut inſolentia ductus alio confert. Vitæ communis, & humanitatis omnis, qua ſocietas hominum inter ipſos continetur, hæ artes fundamentum rectè appellari poſſunt: Nam cum vita noſtra ratione & conſilio gubernetur, prudentiæque temperetur habenis, prudentia autem vivendi dux, atque magiſtra,

quam-plurimarum rerum caſuumque humanorum periclitatione conſtet, multaque experiendo, ſeſe confirmet, & præterita jamque percepta cum præſentibus comparando, futura præſagiat, eaque conjecturis & conferendis exemplis aſſequatur: an non maxima habenda gratia eſt diſciplinis liberalioribus, quæ rationem, aciemque mentis ad res diſpiciendas excitant, rerumque humanarum varietatem ſub unum aſpectum proponunt, & exempla memoriæ veteris explicant, quibus inſtructi homines ad res gerendas, & ad vitam colendam idonei eſſe poſſint? Itaque veteri proverbio, duplo amplius, quàm cæteri videre ij perhibentur, qui literarum ſcientia ſunt imbuti. Lucullus vir clariſſimus, cùm ei bellum adverſus Mithridatem eſſet decretum, cumque non magnum rei bellicæ uſum tam haberet, adeò multa legere, & ſe vetuſtatis exemplis ad capeſſenda bella inſtruere cæpit, ut ad exercitum ita paratus venerit, quaſi plurima jam bella virtute maxima geſſiſſet, atque confeciſſet.

Hæ igitur artes ſingulari ſtudio nobis colendæ ſunt, ex quibus tantæ ad vitam degendam utilitates oriuntur. Nec vero ſolùm nos ad bene vivendum erudiunt literæ, ſed etiam facultatem offerunt ad animorum noſtrorum ſenſa aperienda, & alteri ſignificanda, ut quæ ſcientia comprehenderimus, & nobis & cæteris fructum ferant.

Quæ cùm ita ſint, cumque tam multa capiamus ex adjumentis doctrinæ commoda, omni ope niti debemus, ne quæ vitæ ad utilitatem communem donata ſunt, in peſtem & exitium vertantur. Divinorum enim mune-

rum non ſolùm nobis poſſeſſio grata & jucunda eſſe debet, ſed etiam rectus optandus uſus; quod quo meliora ea ſunt & præſtantiora, quæ benignitate divina conſecuti ſumus, eo majus incommodum ac detrimentum violata afferant.

Cum autem hęc liberalium diſciplinarum tractatio à veteribus Græcis & Latinis hominibus nulla vera Religione imbutis, ad nos pervenerit, ſitque in illorum monumentis ſtudium ei conſumendum, qui in horum cognitione progredi cupiat, magnopere ei providendum eſt, ut illa ſic attingat, eamque moderationem & cautionem illis percipiendis adhibeat, ut quæ vitæ communi uſui eſſe poſſint, ſeligat, eaque in ſe transfundat; quę vero ſuperſtitionis maculis aſperſa, aut flagitio & turpitudine oblita, aut charitati Chriſtianę contraria ſunt, ea ut infeſta & periculoſa devitet, & tanquam Sirenum ſcopulos prętervehatur. Hoc pluribus verbis non arbitror explicandum eſſe, quod de iis ſatis à S. Baſilio præceptum ſit. quæ anteà iccirco in medium attuli, ut tanti viri authoritatem potiùs quàm meam ſententiam ſequendam proponerem.

Non ergo debet quiſque Chriſtianis ſacris initiatus, & Chriſti lege Sacramentoque adſtrictus, aut falſorum Deorum laudes veterum exemplo celebrare, aut vetuſtos mores imperitiæ tenebris offuſos, quaſi ex illis progenitus vel loquendo vel ſcribendo uſurpare, aut laſciviam ullam, & intemperantiam in ſe ſuaque ſcripta admittere.

Non meliores ſumus, non prudentiores patribus noſtris, non denique plus literarum, &

doctrinę habemus. Quòd ſi verum fateri volumus, ſi vero judicio perſpicere, quantum liberalis eruditionis veteres Doctores noſtri, lumina & ornamenta Eccleſię Catholicę, ſcriptis ſuis expreſſerint; inanem quandam doctrinæ umbram prę illis omnes aſſecuti eſſe videbimus. Non illi Jovem, non Mercurium, non Muſas, non Parcarum fata ſcribendo celebrant, non cupidinem, à laſcivis amoribus abhorrentes; Venerem tamen & Amores per ludum jocumque uſurpant: fortunæ temeritatem & inconſtantiam ſcriptis ſuis ullo modo ſancire metuunt, fortuitos rerum humanarum caſus nullos agnoſcunt, non divitias, paupertatem, nominis vel gloriam vel obſcuritatem, non honorem, non repulſam, cæca quadam & inſtabili ratione in vita humana verſari, aut ſentiunt aut ſcriptis ſuis vel ſerio vel joco ſignificant. Ejuſmodi næniis & anilibus nugis & fabularum prope puerili uſurpatione contaminari ſe & dedecorari arbitrati eſſent.

Dicat aliquis: nemo eſt in Chriſtiano nomine qui iſta ſentiat. Modo vera ſententia teneatur, cur referre putandum eſt, quid quiſque ludens ac ſe oblectans uſurpet? Primum, ea ſcribere quæ non ſentias, & tamen ita exprimas, ut de ſenſibus tuis, & veritate ducta videantur, an non ineptum & abſurdum, & à conſuetudine vitæ alienum eſt? Mentis enim interpres atque internuncia oratio eſt, inventaque rerum, & ſententiarum noſtrarum ſignificandarum gratia: deinde repertę hæ quę vel ſermonis vice inter abſentes fungerentur, vel memoriæ ſubſidio eſſent, vel ad poſteritatem rerum & temporum cognitione informandam valerent. Hoc denique ordine Philoſophi iſta

deſcripſerunt, ut rerum naturam ſententia, & cogitatio noſtra complectatur, ſententiam vocabula exprimant, vocabulorum hæ ſint indices.

Quæ igitur ratio eſt, ea vel loqui vel ſcribere quę non ſentias? Nam cum alteri & ſermo & literæ ſerviant, iſto modo fallitur alter, & luditur: non edocetur. Et quemadmodum facete & verè quidam olim reprehenſus eſt, quod priſco ſermone & obſcuro uteretur. *Quaſi cum matre*, inquiunt, *Evandri, non nobiſcum loquaris*. Ita in vitio ſit qui quaſi rationem cum Veteribus & Ethnicis habeat, ita ſcribat & loquatur. Nec vero diſſimile eſt, *ac ſi quis, unde panis petatur, pro pane lapidem porrigat*. Iſtę detrahendæ perſonæ ſunt, verè loquendum, & ad animos, aureſque hominum accommodate. Conſuetudo vitæ & expectatio hominum in literis ac ſermone ſequenda eſt. Vitæ humanæ, & Chriſtianæ religioni perniciem graviſſimam ab iſta perverſitate inferri, poſt explicabitur.

Hoc loco planè oſtenditur, ſermonis uſum, & humanitatem omnem ab iis, qui illa ſe tenere profitentur, evertendam non eſſe: Deinde, cur iſta ludantur à vita & religione noſtra aliena, nihil cauſæ eſſe puto. Non enim Chriſtiani ad ludum & lenitatem & laſciviam nati ſumus, ſed ad gravitatem atque virtutem: cælum nobis petitur, cæli cives etiam in hac vita eſſe poſſumus, hic advenæ, hic exules filii Evæ, in hac lachrymarum valle peregrinamur. *Advena*, inquit Pſaltes, *ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei*.

Mirum autem eſt, ſi incolatum noſtrum prolongari conquerimur, ſi hic gementes, & flen-

tes lætantium in Deo habitationem expectamus, & tamen quaſi certum in hac vita & ſempiternum domicilium poſſimus habere, voluptates undique conſectamur. Cum enim anguſtis terminis ſint vitæ noſtræ ſpatia circumſcripta, non ludere hîc & inſanire, & tempus fruſtra terere; ſed ut qui nundinas obeunt, negotium nobis aliiſque diligenter & utiliter gerere debemus, & intelligere, excluſis tempore, negotiandi locum nullum eſſe reliquum. Labores ſane & negotia humana aliquam oblectationem & jucundum otium deſiderant. Nec deſunt honeſtæ oblectationes, atque etiam utiles, quibus intervallo ſuſceptis labor noſter & contentio remittatur. Jocari licet & ludere; ſed tamen qui per jocum & ludum aliquid facit, voluntatis & inſtituti ſui aliquam dat ſignificationem. Cæteroqui feſtivitas omnis amittitur, ſi is qui-cum ludas, te seriò agere ſemper exiſtimet, nec quiſquam præter te ludum tuum animadvertat. At hæc quæ iſto modo ſcribuntur, nullam ludi ſignificationem habent, atque ita accipiuntur, quaſi ſerio vel maxime agantur.

Quod ſi quis iſta omnia ludi defendat, quid quæſo ſalis, quid veneris habere poteſt, contra ſententiam perpetuò aliquid aut dici aut ſcribi? inſulſum potius & infacetum videtur: Et tamen ferri poſſet, ſi nihil inde mali, nihil vitii naſceretur. Nam ut detur, falſorum deorum mentione Chriſtiani hominis animum non infici, quam multa præterea ſunt, quorum prava commemoratio vitiis animos imbuere poteſt?

Nec verò crebra ethnicæ ſuperſtitionis uſurpatio vitio caret. Quam enim indignum eſt,

hominem ſacris Chriſtianis initiatum, templum Dei viventis, Spiritus ſancti domicilium perceptâ Baptiſmi ſanctitate, ſolenni renuntiatione facta diabolo & omnibus ejus pompis, dato nomine Chriſto Domino, ſuſcepto ejus ſacramento, tantum fidei ſplendorem ſubita impietatis labe fœdare? Ab iis enim omnibus, quæ tam ſanctæ profeſſioni inimica ſunt, animo, oculis, auribus, voce, abhorrere debemus: Siquidem intelligimus quam magnam legem nobis indixerimus ſanctitatis, integritatis, innocentiæ. Devotum Chriſto pectus, & Sacramenti divini religione obſtrictum, an aliquid ultrò debet admittere quo magis in illud idem cænum, unde emerſit, revolvatur? Sed pravitate conſuetudinis imbuti, profeſſionis noſtræ recordationem negligimus, & Chriſtiani ita plerumque vivimus quaſi Chriſto nulla promiſſi ſanctitate ſimus addicti. ita & hæc à nobis aliena uſurpamus, & mores noſtros iſtorum turpitudine inficimus.

Nihil veteres Ethnici homines, quod Diis ipſis convenire aliquo modo crederetur, turpe ducebant, non amores inſanos, non ſcortationes, non adulteria; Deoſque illos ſuos, earum rerum concelebratione coli putabant; plerique Deorum flagitia non ſolùm non erubuerunt, ſed laudibus etiam perſecuti ſunt; nonnulli etiam ſua literis prodiderunt. Nonne Chriſtiani animi eſt, cùm in ea fortè incurrit, repudiare, aſpernari, & tanquam Sirenum ſcopulos devitare? miſerari offuſas illis temporibus tenebras? Deo maximas gratias agere; quod ex illis tenebris erepti tantum lucis ſplendorem aſpexerimus? Flagitioſum eſt illa imitari ſtudere, quæ authores ipſi reſpuiſſent,

ſi meliore diſciplina inſtituti fuiſſent.

At tetrica eſt, nimiſque ſevera hæc ratio: voluptatem homines natura ſequuntur, ejuſque blanditiis capti, ab ea quam diſciplinæ Chriſtianæ ratio poſtulat, gravitate deflectunt.

Hoc ſi ita eſt; primum imbecillitatem naturæ noſtræ deflere debemus, & divinam opem implorare, ut ea ſubnixi, fidem Chriſto datam ſervare poſſimus.

Deinde ſi fragilis & flexibilis natura hominum eſt, ſi ad peccandum proclives ſumus, cur externum etiam adhibemus flagitii atque intemperantiæ inſtrumentum? cur faces ſubjicimus ipſi, quibus faciliùs flamma concipiatur? Cur ultrò periculum arceſſimus, & impotentiam naturæ noſtræ adjuvamus? Nam ſi ingenita nobis ſunt multa incentiva vitiorum, ſi proclivis lapſus; diſciplina certe publica, mores communes, parentum magiſtrorumque præcepta, leges, præmium, pœna, literæ denique ipſæ adjumento nobis ad virtutem & honeſtatem eſſe debent. Ne littera quidem ferenda, qua aliquid flagitii in animum poſſit influere.

Tum ſi quis intemperans eſt, & ad ea propenſus, quæ non fert Chriſtiana diſciplina, ſummę inſaniæ eſt, atque amentię, vitium ſuum ita eum amare, ut & literis mandari velit, & verò ipſe ſuis ſcriptis immortali hominum memoriæ ultrò commendet.

Nocet enim ſibi, qui admiſſo in ſe flagitio glorietur: nocet aliis, qui exemplum ſuum & præſenti memoriæ, & poſteritati tradi ſtudeat. Si ex animi ſententia te ipſe non geris, ſi tui impos in vitia laberis, pœniteat quidem

te, pudeat tui, corrige ſi potes, quod tibi vitii eſt, noli flagitium ſcelere cumulare, & parum intemperantiam tuam procedere putare, niſi ad exemplum quoque alteri prodatur; noli ſcandalizare puſillos, qui in Chriſtum credunt, & interminationem Chriſti Domini revereri, qui expedire magis docet, ut mola aſinaria ſuſpendatur de collo ſcandalizantis fratrem, & exemplo literiſque ſuis ad flagitium adhortantis.

Si quid tenera ætas in poëtis legit, quod à Chriſtiana lege abhorreat, id facilè & ſua ſponte, & aliena diſciplina ſecernit, doceturque ab inquinato impuroque fonte hauriendum non eſſe. At quæ Chriſtiani homines ſcripſerint, an non credibile eſt à recta caſtaque diſciplina ea promanare?

Ita vitia imbibuntur, dum ab authoribus non ſuſpectis nec alienis prodita exempla cupide accipiuntur, nec mala à bonis internoſcuntur.

Sic quæ Catullus flagitioſè ſcripſit, quæ Martialis, quæ cæteri, ſi imitatione à Chriſtianis hominibus exprimantur, an non authoritatem & pondus accipiunt? an non influunt in animos hominum? nonne bonos mores depravant? Permulta illi quidem facetè, venuſtè, ſalsè ſcripſerunt, pleraque graviter & prudenter, quæ & bene, & ſalutariter ab illis accipiuntur, & utiliter proponuntur ad imitandum: ea ſumamus, ſatis ea nobis ſint ſcribere aliquid meditantibus, vel conſumendi otii, vel oblectationis noſtræ vel utilitatis alienæ cauſa: quæ ad depravationem morum pertinent, vel prætermittamus, vel intelligamus idonea non eſſe, unde argumentum ſcri-

bendi ducatur: Adulterina eſſe, vitioſa, inania, indigna quæ Chriſtianis auribus accipiantur.

Non ſumus majoribus noſtris ſapientiores, nec humanitate literiſque elegantiores. Animadvertamus, quæſo, quam verſuum ſcribendorum materiam *Gregorius Nazianzenus* ſumpſerit, quam *Prudentius*, *Sedulius*, *Iuvencus*, *Arator*, quam *Paulinus Nolanus* Epiſcopus, quam *Proſper Aquitanus* Epiſcopus Regienſis, *Avitus* item, & *Damaſus* Summus Pontifex, & *Nonnus* Monopolitanus Epiſcopus, qui omnes artem poëſeos ad Diſciplinam Chriſtianam tranſtulerunt, & veterum nequitia, levitateque repudiata, in optimis ſanctiſſimiſque argumentis ſtilum exercuerunt, multaque nobis pietatis ſuæ, doctrinæ, prudentiæ, religionis monumenta reliquerunt.

Fatendum ſane eſt non omnium eſſe hominum, non omnium ætatum, non cujuſvis loci atque temporis de Deo rebuſque divinis verba facere: propterea quod in animis hominum inſitum eſt, ut quæ nimium vulgari, & ſermonibus populi teri videant, ea propter crebram & temerariam uſurpationem negligant, & contemnant. Hancque ob cauſam Theodoretus in eo explicando, *Non aſſumes nomen* » *Domini Dei tui in vanum*. Ego arbitror, *inquit*, » jubere legem; non niſi in diſciplina aut » oratione aut aliqua neceſſitate divina, res di» vinas appellari. Si enim elegantiorem veſtem » ad dies feſtos plerique reſervant, multò magis » divinum nomen orationibus & doctrinæ con» ſecrari æquum eſt. Nam ſolent nonnulli in » joco ac ludo venerandum nomen linguâ te» mere uſurpare.

Ex hac Theodoreti, vel potius traditionis Eccleſiaſticæ authoritate in publicis Gymnaſiis inſtitutum videmus, ut diebus feſtis ſpecimen ſui edant adoleſcentes, in divinis rebus, ſanctorumque laudibus, vel verſu vel oratione ſoluta celebrandis, magna hominum coròna circumſiſtente, reliquo verò tempore in levioribus argumentis umbratili ludo exerceantur; ut diſcant quid ſit inter ſacra & prophana; quid inter ludum, ſeriamque vitam diſcriminis.

Verum in eo exemplum nobis proditum eſſe exiſtimare debemus, ut pueriles commentationes maturior ætas aſpernetur, earum ſibi aliquem ſtatuat modum, ſtudiumque ſuum ad meliora & veriora conferat. Hi enim quos antea commemoravi, nobis authores ſequendi ſunt, horum ratio vitæ, literarumque omnium tractandarum imitanda eſt. Veteres imitandi, ſed horum exemplo, quos meliores authores, & propiores, & magis neceſſarios habemus. Si quis literarum ſcientiam profeſſus, non ſe & alios tractandis litteris meliores facit, iis intemperanter & nequiter abuti putandus eſt.

Datur otium huic hominum generi, ſuppeditantur liberaliter ſumptus, vacatio à turbulentis Reipublicæ muneribus conceditur, ut veteribus monumentis explicandis, repetenda memoria ſæculorum omnium, virtutis diſciplina, omnique prudentiæ ratione pervestiganda hominibus proſit, ut legant quęcunque tradita ſunt à veteribus, utque in optimo literarum genere ſtudium ſuum collocent, vel rebus divinis percipiendis, vel juriſprudentię pręceptis, vel Medicorum, ac Mathematicorum theorematis.

Quod ſi plerique attingendi libri qui ab hominibus veræ religionis expertibus ſcripti ſunt, quod ab iis humanitas, omnis ratio vitæ, Reipublicæ gerendæ diſciplina, res in omni ſeculorum memoria geſtæ traditæ poſteritati ſint, inſanit plane, qui hæc lectitando non decernit, quænam utiliter legenda, quæ prætereunda, & aſpernandæ ſint. Ac ſi quis aliquando in nimio otio, ſtuduit ingenium ſuum facultatemque in nonnullis argumentis exercere, quæ veteribus illis ſcribendi materiam ſuppeditarunt, in ſuperſtitioſis ſententiis, levibus, vanis, ineptis: ille certe nimium ineptus eſt, nimis leviter laudis cupidus, ſi talia ſcriptæ premere neſciat, ſi geſtiat edere in vulgus. Sint iſta elegantia, ſint arguta, ſint compoſita lepide: ſatis habeto, à gravioribus ſtudiis remiſiſſe in illo ludo animum. Quid attinet hæc edi populo, quorum ſententia nulli bonæ frugi futura ſit? Promat quæ oblectatione illa recreatus, graviter poſtea & ſecrete, & ſancte ſcripſerit, hæc edat, quibus nos juvemur & fruamur. Illa enim ingenii laudem aliquam fortaſſe habere poſſunt, nihil preterea.

Atque utinam nequid ſubſit, quod & officiat ei, qui ſcripſerit, & ei qui legendum ſumat. Ingenii quidem laudem & famæ fructum ex qualicumque ſcriptione conſectari, anguſti videtur & perquam puſilli animi, & diſciplinarum ingenuarum dignitati, atque exiſtimationi parum conſulentis. Docet enim nos artes liberales, utilitati ſervire communi, ſocietatem humanam adjuvare, aliquid ſemper vel inveſtigare, ac meditari, vel facere, vel in medium afferre, quod proſit

omnibus, quod mores hominum informet, quod propaget, & amplificet ea bona, quæ antiqui labore ſuo parta poſteris reliquerunt.

Quod ſi quem ea intemperantia inceſſit, ut quæcunque chartis illuſerit, properet in lucem afferre; publicæ certè leges ita temperare huic cupiditati debent, ut ejuſmodi ſcripta, quando ita libet, edat proximis ſuis, aſſeclis, fautoribus: divulgari autem & typis mandari, ut in orbem terrarum efferantur nulla ſcripta debent, niſi quæ aperta utilitate commendantur. Quorum vero ea ſententia eſt, quam ante ſignificavi, ſuperſtitioſa, inepta, proterva, levitate & procacitate imbuta, ea in umbra ſi ludantur, in lucem quidem ac celebritatem nunquam veniant, & domeſticis ſcriniis contenta, dominum ſuum intus canentem oblectent.

Nam hoc optimo jure omnes conqueri poſſumus, & ſuperiore memoria licentiam nimiam ſcriptorum, cujuſque generis fuiſſe, & hoc tempore à viris prudentibus, atque religioſis ægre huic temeritati & cupiditati obſiſti: In cujuſvis poteſtate eſt, quid ſcribat, qua in re otium ſuum ponat, quo literarũ genere ſe oblectet. Ferri hoc poteſt; verum ab iis omnibus, qui in ſcribendo operam ſuam, & ſtudium collocant, ratio impetrare debet, ut quemadmodum voluptati ſtudioque ſcribentium venia dari poteſt, ita placide ac leniter ferant, cum ſua edunt, graves & experientes viros judicare, quid in lucem prodire reip. conducat, quid privatis parietibus contineri ſatius ſit. Horum enim in Republicæ Chriſtianæ judicium neceſſaria imprimis authoritas eſt, & cenſu-

ra, ut cum publici mores iis, quæ lectitantur ab hominibus, & paſſim in manibus ſunt, imbuantur, magnus habeatur delectus, cujus generis ſcripta foras exire, & in communi luce collocari debeant.

Huc accedit quod brevis hominum vita eſt, breve tempus ad uſum literarum datur pleriſque hominibus, quos reſp. ad ſe vocat, & neceſſariis muneribus diſtinet, nec patitur arbitratu ſuo literis uti, & ſtudio ſuo, lectionibuſque crebris indulgere. Itaque optima quæque & utiliſſima ad manum nobis eſſe expedit, & ad explendam diſcendi & cognoſcendi ſitim divulgari. Studio enim plerunque homines efferuntur; ut quæ prompta atque expoſita eſſe vident, velint cognoſcere; vixque eſt, qui ſibi ita temperare poſſit, ut in legendo parcendum eſſe & à multis abſtinendum, & præſtantiſſima quæque ſumenda ſtatuat.

Quamobrem, hoc de ſe quiſque ſcriptiſque ſuis judicium permittere debet iis, qui huic muneri præfecti ſunt, nec tantopere rerum ſuarum amori indulgere. Hic enim amor ſui plerunque efficit, ut moleſti ſint, atque importunio ſcriptores, ſi quando ad publicos probatores ventum eſt. Hoc enim in animis hominum videtur inſitum, ut ſibi quiſque faveat, ſua probet, ſua laudari, atque efferri velit, alienamque exiſtimationem non libenter ſubeat. Simia, quamvis deforme ſit animal, ſuos tamen catulos cæteris animantibus pulchritudine anteponit, eos verſat, in manibus habet, contemplatur, admiratur. Nos noſtra qualia ſint, vix exiſtimare poſſumus, eaque amamus vel ſine rivali.

Itaque

Itaque magnam, gravemque provinciam ſuſceperunt, quorum hoc munus eſt, de alienis ſcriptis judicandi. Nimium ſeveri habentur, nimium critici, nimium faſtidioſi, & lenti probatores. Palatino enim illo Apolline ſe quiſque dignum putat, nec æquo animo plerique alienæ cenſuræ, & animadverſioni ſe committunt. Et tamen non agitur capitis cauſa, non dignitatis, non exiſtimationis: hoc agitur, quid ad publicas lectiones divulgandum, quid comprimendum, & domeſticis tenendum capſis, ne vel communibus moribus damno ac detrimento, vel occupationibus hominum oneri ſit. Denique hæc levis jactura eſt, æquiſſimoque animo ferenda. Hac autem æquitate qui erit, tum ut inquit Flaccus,

*Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti*; tum alterius cenſuram facile patietur, illi uſque erit diſſimilis, quem idem Poëta ita præ cæco ſtudio loquentem facit.

*Prætulerim ſcriptor delirus, inerſque videri,*
*Dum mea delectent mala me, vel denique fallant..*
*Quam ſapere.*

Malum hoc auxit facultas maxima, & expeditiſſima ratio Typographicæ artis. Nam cum nihil negotii ſit recentia ſcripta divulgare, hoc inſtrumentum aucupandæ popularis auræ, & conſequendæ laudis arripuere homines, & certatim omnes ſcriptitare cæperunt. Plurimum autem ea prælis commiſſa, non quæ utiliſſima eſſent, ſed quæ maxime vendibilia, popularia, jucunda, quæque voluptate aliqua aures, animoſque hominum permulcerent.

Huic artificio non præfuere graves, & proſi Cenſores, qui omnia ad publicam utilitatem, & ad vitam inſtruendam referrent. Ad quæſtum hæc atque ad rem faciendam plane collata ſunt. Ita non ſolum bona multa, & commoda inde profecta, negari enim id non poteſt, ſed etiam multa mala, peſtifera, periculoſa ſuborta: Cum nulla animadverſione coërcerentur, & impune in vitam moreſque bonos graſſarentur.

Vix explicari poteſt quanta ob eam facultatem & licentiam detrimenta accepta ſint, & ſenſim in communem conſuetudinem invecta; dum non ſolum bonarum artium & diſciplinarum ſtudioſis faciles literæ ſuppeditantur, ſed etiam nequitiæ, ignaviæ, levitati, impietati quoque, proh nefas! argumentum præbetur. Hæc autem ars eſt, cui vel maxime certos homines præeſſe oporteat, qui eam prudentia ſua & religione, & publicæ ſalutis, atque utilitatis ſtudio moderentur: nec patiantur quidvis impune ac licenter efferri. Ipſa enim per ſe cæca eſt, quæſtum tantummodo ſpectat, quicquid oblatum fuerit, magno cum lucro ſuo, ſed ſæpiſſime maximo publico detrimento, in quaſcunque terras invehens.

Cæteræ artes non temere moliuntur, quod vitæ communi ſit infeſtum. Ac ſi quæ efficiunt, quæ peſtem inferre poſſint, non tamen artium ea culpa eſt, ſed hominum rebus ipſis abutentium. Hæc verò conflare poteſt, & citò excudere, quæ noceant, quæ ferali veneno interimant, inducant homines in errorem, in laqueum, in exitium, reip. incredibilem perturbationem & interitum

afferre poſſint. Quam multæ falſæ, impiæque ſententiæ ſuperiore memoria inde proditæ ſunt? quam multa exierunt preterva, obſcena, viruſque occultum inferentia populi moribus? hæc ab aliis ferebantur, ab aliis ne animadvertebantur quidem, alios perverſe oblectabant.

Quamobrem gratulari nobis debemus, quorum memoria deprehenſum hoc malum, & periculum eſt, & inſtituta cenſura, quæ juſtiſſima nota à peſtiferis, levibus, inutilibus, ſupervacaneis, ſalutaria & utilia diſcerneret, ſuaque animadverſione ſuperiorem licentiam reprimeret.

Nec vero ſolum hujus artis induſtria certis terminis circumſcribenda, ac definienda eſt, nec amplius ſibi committenda, ſed etiam à Principibus ſuſcipienda Viris, à Magiſtratibus, & Rerumpubl. Rectoribus, certiſque hominibus dandum negotium, ut conſiderent, quorum librorum copiam omnibus fieri Reip. maximè expediat. Cum enim hæc ars per ſe nihil videat, quæſtuque tantum & mercede ducatur, & tamen incredibilem utilitatem habeat, ſint neceſſe eſt, qui illi imperent, eaque uti ſciant in illis divulgandis, quæ ad pietatem celebrandam valeant, ad accendendum virtutis religioniſque ſtudium, ad nequitiam improbitatemque comprimendam, ad mores denique publicos bonis ſanctiſque præceptis informandos. Suppetunt ſane pleraque ejuſmodi: Verum à privatis authoribus nata vel negliguntur, vel etiam ignorantur à multis: eadem à publica profecta authoritate vim magnam, & pondus haberent, ac pro dignitate ſua, pro-

que auctorum majeſtate celebrarentur; certatim in ea incumberent homines, ea non deguſtaſſe, non didiciſſe puderet, eorum ſe nemo expertem vellet eſſe.

Quam multa utiliter colligi poſſent, ad ſingula hominum genera, ſingulos ordines inſtruendos, & ſuis accommodatiſque præceptis ac diſciplinis inſtituendos. Ea tum arriperent homines, ſummæ authoritatis commendationem habentia, & ab iis edita, qui ſua virtuti laudique præmia poſſent dare. Quæ nunc prodeunt, ea quidem patrocinio, ac defenſione muniuntur clarorum hominum.

Verum quia dicis modo cauſa ea patrocinia quæſita videntur, perſpicuum eſt, quantulam vim ad commendationem habeant, quamque parum vel optima ſcripta ſoleant celebrare. Quæ autem vel olim, vel his temporibus publicum authoritatis teſtimonium habuerunt, incredibiliter commoverunt ſtudia hominum, atque induſtriam. Hoc Romæ ætate noſtra inſtitutum maximos fructus Chriſtianæ reip. attulit. Hoc editum exemplum in ſanctiſſima arce domicilioque Religionis ac Virtutis, cæteros Principes Chriſtiani orbis excitare debet, ut literarum tractandarum orationem, omniaque ejus inſtrumenta, atque adjumenta ad curam quoque ſuam pertinere putent. Nam quoniam ad felicitatem, quæ Principi reique pub. Rectori propoſita eſt, mores probi, & pietate imbuti imprimis valent, reguntur que conſuetudine, legibus, diſciplina: quibus quodque hominum genus diſciplinis ac præceptis informetur, tum ad beatæ vitæ ſummam pertinet, tum in Viris Principibus maxime ſitum eſt.

# PETRI MORINI
## DE RECTO
# SCIENTIARUM USU:
## LIBER TERTIUS.

### DE STUDIO THEOLOGIÆ.

***In quo de Nobilium Eccleſiaſticorum, Gallorum, ac Germanorum diſciplina.***

EX his, quæ ante expoſita ſunt, facile intelligi poteſt, quænā hac ætate Procerum Eccleſiæ Catholicæ ſtudia eſſe debeant. Exiſtiment enim oportet, qui columen eſſe ſe & haberi volunt reipub. Chriſtianæ, eos ad imitandum ſibi eſſe propoſitos, eorumque veſtigiis inſiſtere eſſe tutiſſimum, quos fidei Chriſtianæ, rerumque omnium divinarum præclaros Doctores habemus, quoſque Eccleſia mater noſtra, ad perpetuum vitæ doctrinæque exemplum anniverſariis feſtivitatibus concelebrat, *Athanaſium* nempe, *Baſilium*, *Gregorium Nazianzenum*, *Ambroſium*, *Hieronymum*, *Chryſoſtomum*, *Auguſtinum*, cæteroſ-

etari. Divitias enim & honores ſi reſpiciunt, ſi ſuorum modo utilitati conſultum volunt, nihil detracta commodorum opportunitate, addicturi Deo, anguſto plane animo ſunt, nec intelligunt, magnitudini divinorum erga ſe beneficiorum, mentis altitudine, & omnia in eum à quo ornati ſunt, conferendo, reſpondendum eſſe.

Nihil igitur cauſæ eſt, cur quiſquam conqueratur quod Eccleſiaſtici honores deferantur Nobilitati: ſed faciendum, ut qui claro orti ſanguine, multiſque divitiis & facultatibus prædit in Eccleſiaſticum ordinem vel parentum aut conſanguineorum voto, vel ſua ſponte aſciſcuntur, iis excolantur ſtudiis, quæ eos ad tuendum munus ſuum & ad Eccleſiam regendam, propagandam, illuſtrandam poſſint adjuvare.

Quæ illa ſtudia ſint, pluribus verbis hoc loco proponendum eſſe non videtur: eadem videlicet, quæ Partum noſtrorum, Doctorum Eccleſiæ Catholicæ. Literis Latinis à prima ætate optimè imbuendi ſunt, item Græcis, quòd ab iis Latinæ magna ex parte profectæ ſint, quòd res ſacræ pleræque Græcis nominibus declarentur, quòdque evolvenda ſint egregia vetuſtatis Eccleſiaſticæ monumenta, Græcis literis perſcripta, & Latine vel non verſa, vel multis locis ab iis depravata qui tranſtulerunt.

Quid præterea enumerem ingenuas omnes diſciplinas? Quæ ſanè variæ ſunt, & inter ſe genere, ſententiis, tractatione disjunctæ: verum utilitate ita connexæ, ut uno artium nomine comprehendantur, utque in celeberrimis Academiis earum paſſim ſint Profeſſores.

Ex his quis non intelligit, quam perfectè Dialectices præcepta omnia percipienda ſint, quibus vel probabilium diſputationum, vel rationum neceſſariarum, vel fallacium captionum ac ſtropharum argumenta explicantur? Mihi quidem hæc ars à Theologis non ſatis excoli, & à Juris-Conſultis male negligi videtur. Hujus ope & præſidio confutandæ omnes hæreſes, & captioſarum diſputationum aucupia patefacienda, confirmandæque eæ rationes, quibus veriſſimis ac certiſſimis fides ortodoxa nititur. Itaque S. *Baſilius* diſciplinas ſeculares, & hanc præcipue aſſeruit Eccleſiaſticorum dogmatum firmiſſimuum murum eſſe. Sic enim in commentariis in Eſaiam Prophetam. *Facultas externa ſcientia dogmatibus pro muro eſt, nec ſinit ea quorumlibet captionibus ac direptioni expoſita eſſe & obnoxia.* Quæ verò ars huic diſſerendæ facultati ex altera parte reſpondet, vis nempe, & facultas dicendi, magno quoque iis adjumento eſt, qui Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepturi ſunt. Compeſcendi enim ſunt & confutandi Orthodoxæ Fidei obtrectatores: item alii nimis interdum curioſi earum rerum inveſtigatores, quæ ſola fide ſunt complectendæ. His enim, ut dicit S. Joannes Chryſoſtomus lib. 4. de ſacerdotio, *magna cum authoritate opprimendum eſt os, & auxilium à dicendi facultate petendum: quaſi quis careat, illorum animi, qui in ejus poteſtate ſunt, non meliore erunt ſtatu, quam Naves crebris fluctibus exagitata: infirmiorum nempe hominum, & curioſorum.* Itaque ſacerdoti omnino faciendum, ut hanc vim dicendi ſibi paret.

Ab hac primæ ætatis diſciplina ad Philoſo-

phiam capeſſendam eſt aditus. In quo ne nimium onus diſcendi cupidis imponeretur, majores noſtri ſingulari religione & ſapientia præditi, viam invenerunt, qua, circumciſis multorum Philoſophorum Platonicorum & Stoicorum diſputationibus, Peripatetica celebraretur diſciplina, & ab Ariſtotele preſſo ſcriptore & attenuato ea peterentur quibus adoleſcentum ingenia, priuſquam graviores ſcientias aggrederentur, imbui expediret. In his igitur Procerum teneri animi exercendi, ac in iis potiſſimum, quæ de Moribus ſcripſit, quæque de Republica.

Nec cætera negligenda, quæ ad naturæ inveſtigationem pertinent: ſed in his, ut labori parcatur, & ut meliora magiſque neceſſaria perdiſcantur minus operæ ponendum. Nam dum hæc Philoſophica percipiuntur, veterum hiſtoriarum monumenta cognoſcenda, Græcarum, Romanarum, ratioque habenda omnium temporum, quæ *Chronologia* appellatur: nec prætermittenda *Geographia* eſt, perquàm neceſſaria ad omnium hiſtoriarum cognitionem. Hanc antecedant oportet liberaliores illæ artes, quæ à veteribus *Mathematicæ* appellatæ ſunt. Verum ex his, quod Gregorius Nazianzenus feciſſe ſcribit, ſanctos Athanaſium, & Baſilium, ea tantùm decerpenda, quæ ingenuos ſcire pulchrum, commodum, ac penè neceſſarium eſt. Hæc inter ſe omnia conjuncta ſunt, alia ex aliis pendent, mutuamque veluti operam & adjumentum præbent.

His non ſolum veteres illi Græci Romanique proceres excolebantur, ſed etiam majores noſtri, Eccleſiæ Catholicę lumina atque

ornamenta. Ab his ad ſacras literas, & ad res divinas cognoſcendas via munitur. Nam hæc veluti hera & Regina, & ut veteri vocabulo utar, Architectonice in cæteras diſciplinas imperium habet, iis ſe inſtruit, ſe exornat: Urbis celeberrimæ illa quaſi ſuburbia ſunt. Agar ancillæ illa ſimilia; hæc Saræ uxoris decus & honeſtatem habet, ut olim Philo, S. Hieronymo auctore, ſuppar Eccleſiaſticis ſcriptoribus, egregiè expreſſit.

His artibus ornati, qui ad Eccleſiæ gubernacula acceſſuri ſunt, quanto faciliores habebunt ad Theologiam, quæ illa hera & domina eſt, capeſſendam aditus? Nulli eos anfractus, nullæ ſalebræ morabuntur, quo minus in ea ſine tædio, ſine ulla offenſione pergant. Quid cauſæ afferri poteſt, cur clariſſimis orti majoribus, & ingentibus divitiis inſtructi, cùm ad Eccleſiarum moderandas habenas comparantur, deſerantur ab hoc pulcherrimarum artium adjumento? Valent plerumque ingenio; nec otium iis deeſſe poteſt, nec ſumptus: copiam doctiſſimorum magiſtrorum habere poſſunt, qui præclara induſtria laborem eorum in diſcendo minuant ac ſublevent: vel potius qui faciant, ut ludus ipſe diſcendi ſit, labor. Nobilibus diſciplinis expolitos excipiet artium omnium Regina, Theologia.

Quæ cum cæterarum ut præſtantiſſima, ita difficillima ſit, gratiæ Deo maximæ habendæ, qui pro ſumma indulgentia ſua & benignitate erga nos, eam difficultatem emollierit, Clariſſimoſque Theologos proximis ſæculis excitarit, qui de omnibus ejus ſcientiæ partibus diſtinctè, enucleate, optimaque via, &

ratione differerent, definirent omnia, dividerent, exequerentur, multiplicifque diſciplinæ Summam quandam egregio artificio diſpertitam ſub diſcentium oculis proponerent. Hos cum nihil vetuſtorum Eccleſiæ monumentorum fugeret, cum omnia perluſtraſſent, legiſſent, intellexiſſent, quæ majores noſtri, veteres Doctores poſteritatis memoriæ mandarunt, cum ſuperiorum Eccleſiæ Conciliorum ordinem, rationem, & decreta cognoviſſent, hiſtorias Eccleſiaſticas perluſtraſſent, ſacraſque potiſſimum literas penitùs imbibiſſent, quantum quidem infirmitas humani ingenii ferre poteſt: varietatem locorum, omniumque ſummam, ut perviderunt, ita ſcriptis commendarunt ſuis, & ſibi eâ induſtriâ, auditoribuſque, ac diſcipulis ſuis, atque adeò univerſæ poſteritati incredibiliter profuerunt.

Quis his Ducibus, atque authoribus, & inviam tantæ ſcientiæ certiſſimam inducentibus, ab ea abhorreat? Difficultatem prætexat? hiſque rudimentis & quaſi incunabulis libenter non utatur? Exemplo ſit Clariſſima nominis Jeſu Societas, quæ poſtquam adoleſcentes aliquot annos his in ſtudiis tenuit, eos ita dimittit, ut ipſi, quod aiunt, ſine cortice mare, ac immenſa Eccleſiaſticæ vetuſtatis volumina in manus ſumere, & ab his fontibus ſine ullo periculo, ac ſine errore haurire facile poſſint, veteres Theologos per ſe evolvere, ac intelligere, perluſtrare Conciliorum varias ſanctiones, hiſtoriaſque Eccleſiæ omnes cum admirabili utilitate ac voluptate cognoſcere. Quod ſi celeberrimum illud Sodalitium & ſanctiſſimum poſſet

adoleſcentes datos in diſciplina pluſculis annis retinere, eoſque exercere in veteribus monumentis lectitandis, ſi diſciplinam illi ad maturiorem ætatem ferrent; abſoluti planè & perfecti Theologi ab illa diſciplina, quocunque terrarum profecti uberrimos fructus ferrent, erudiendis populis, propaganda orthodoxa fide, hæretica pravitate refutanda & profliganda. Verumtamen utut hæc ſunt, qui ab his dimiſſi, ſibi poſtea per ignaviam & inertiam deeſſe nolunt, tuenturque ea quæ percepere, multum in doctrina ipſi per ſe progredi poſſunt, ac ſe poſt aſſiduum aliquot annorum ſtudium, populorum doctores ſine temeritate profiteri.

Hos autem, de quorum diſciplina nunc diſſeritur, quid vetat in eo curriculo ad extremum uſque perſeverare? Quibus & otium ſuppeditat, & ſumptus ad libros, doctoreſque parandos; quibus denique ad ſummum doctrinæ faſtigium nihil deeſt. Hi igitur liberalibus diſciplinis, Philoſophiæque præceptis inſtituti, cum divinarum rerum Summam à doctis Theologis aliquot annos perceperint: cætera aggreſſi, quæ illa Theologiæ fundamenta conſequuntur, quæque jam explicata ſunt, longe in doctrina paucis annis progredi queant, cum ea, quæ pleroſque deſtituunt, librorum doctorumque hominum ſubſidia deeſſe non poſſint.

Quod ſi hæc Doctorum Eccleſiæ eſſe ſtudia S. Auguſtinus in uberrimis libris de doctrina Chriſtiana oſtendit: & poſt eum Magnus *Caſſiodorus*, Monachorum: tum inferiore memoria *Rabanus Maurus*, Archiepiſcopus Moguntinus, Clericorum:

quanto magis eorum eſſe ducendum eſt, qui nobiliſſimarum Eccleſiarum gubernaculis admovendi ſunt, quique præſertim ſumptu, otii facultate, ingenio, magiſtris abundant? Nam hanc magna ex parte proximarum Galliæ, Germaniæque calamitatum cauſſam eſſe, meritò queri poſſumus, quòd ſatis diligenter ratio habita non eſt, ut Procerum Eccleſiæ religio, pietas, doctrina ſpectaretur: quæ cum deeſſent, cumque interim parvuli panem peterent, vix erat qui frangeret illis. Mercenarii tum contemni cæperunt, tum ipſ non ſatis habuerunt animi, doctrinæ, authoritatis, ut tantam provinciam, mercedula ſibi commendatam ſuſtinere poſſent. Dominorum nobilitas modo, & potentia ſuſpici: aſſeclæ boni, improbi, paſſim iis inſervire: aſtutiores & ad ſua commoda attentiores, palpare atque aſſentari.

Quod autem omnium miſerrimum, & calamitoſiſſimum, inimicus zizania interea ſuperſeminavit: exorti Eccleſiæ Catholicæ obtrectatores, cum à principio res ſacras convellere non poſſent, propter ſummam populorum pietatem, religionem, obſervantiam: primores Eccleſiæ inceſſere cæperunt, & eorum mores, vitam inſcitiam carpere: ac ne id novum atque impium idcirco videretur, quòd divina lex Principibus populi maledici vetat, inſolentiæ ſuæ, & procacitati divinam ipſam legem obtenderunt: ſe charitate Dei & proximi ductos & melioris ſtatus cupiditate, vitia & peccata procerum reprehendere, bellumque non hominibus, ſed ſceleribus & flagitiis indixiſſe.

Ea religionis & charitatis ſpecies ſtatim

in vulgus probata : diabolus transfiguratus in angelum lucis hac patefacta rima, penitus irruendum eſſe conſtituit, ac rerum ſacrarum fidem atque authoritatem putavit labare poſſe per eorum invidiam, qui eas populis impertirent. Ita miſeri populi, fallaciis ac ſtrophis verſutiſſimis inducti, ſanctiſſima quæque à Chriſto, ab Apoſtolis, à viris Apoſtolicis Eccleſiæ tradita & perpetua conſuetudine firmata, ſuſpecta habere cœperunt; quaſi novella eſſent, & ab iis profecta, in quibus nihil penſi ſanctique eſſe falsò ſibi perſuaſerant.

Hæc ſceleſtiſſimæ defectionis, & immanis veſaniæ origo, hæc Eccleſiaſtici fundi calamitas: ut jam peſtiferum ſomnum ac veternum excutere nos oporteat, & de eorum diſciplina cogitare, qui in pleriſque Chriſtiani orbis Provinciis Nobilitati ſuæ afferunt Eccleſiaſticos honores. Nihil illis ingeniis felicius, nihil ad virtutem, & eruditionem flexibilius, non magnum negotium eſt eos adducere, ut credant optimarum rerum cognitionem dignam ſplendore natalium ſuorum : ſe in hanc lucem editos, ut Deo, cui amplitudine proximi ſunt, virtutibus omnibus ſint quam ſimillimi, ut populis & hominibus inferioris loci & fortunæ præſint, conſulant, opitulentur : hac ſe in ſtatione à Deo eſſe collocatos, quam omni ope tueri atque ornare debeant : omnia caduca & fluxa & dignitate ſua inferiora, contemnenda: non honores per ſe, non divitias expetendas, ſed in Dei cultum, & in Eccleſiæ utilitatem conferendas : id agendum, ut Deo chari ſint, & in eum de tot tan-

tiſque beneficiis grati, ut ejus Eccleſiam colant, amplificent, ornent; ut denique ea doctrinæ virtutumque ſubſidia parent, quibus inſtructi conſiliorum ſuorum & præclari religioſique propoſiti tandem fiant compotes. An non hæ cogitationes à prima ætate animis eorum inſinuatæ, voluptatum illecebras, & pravam deſidiæ, inertiæque dulcedinem, & avaritiæ ſtudium expellent?

Quamobrem faciendum eſt, ut eorum pueritiæ atque adoleſcentiæ diſciplinam imprimis deberi intelligatur: utque hominibus perſuadeant, hoc maxime ad Remp. Chriſtianam & ad Catholicam fidem ſtabiliendam, hæreſeſque extinguendas pertinere, nullique ſumptui parcendum eſſe, ut docti illis magiſtri adhibeantur, qui eos utilium artium diſciplina informent. Nec verò tantum ſingulis addendi doctores, ſed gymnaſia etiam inſtituenda, in quibus unà plures educentur, labor diſcendi ſocietate levetur, & præclara inter ipſos æmulatione certetur. Eo accerſendi clariſſimi Profeſſores, & præmiorum ubertate alliciendi, atque invitandi. Atque ea gymnaſia rectè patebunt etiam iis, qui Clero Eccleſiaſtico non deſtinentur, quoſque quantum ea in diſciplina perſiſtere oporteat, quid literarum & doctrinæ ſatis ſit, arbitrabuntur, qui eos in poteſtate habeant.

Quantum hac ſtudiorum ratione profectum in ſperandum eſt? quam magnæ utilitates ab hac inſtitutione expectandæ? Non unus ſanè idemque omnium progreſſus eſſe poteſt: Nec ij omnium generum literis, diſciplinisque æquè excolendi. Nam Latinarum

quidem literarum, conſtat, nimium ſtudium eſſe non poſſe: his penitus imbuantur, oportet: & benè, copioſe, eleganter & loqui & ſcribere diſcant.

Græcas litteras non attingere inertiæ ducendum eſt. Ac erunt fortaſſe nonnulli, qui ingenii acumine, ardore diſcendi, magiſtrorum hortationibus & diligentia adjuti, eas ita cum Latinis conjungant, ut in earum cognitione longiſſime progrediantur. Quid ſi etiam ſint, qui ſacrarum litterarum, & rerum omnium divinarum cupidiſſimi, Hebraicas quoque literas imbibere velint? In omnium enim rerum ſtudiis voluntati & diſcendi cupiditati propemodum ſolent pares exitus reſpondere: nec ferè ullum unquam egregii conatus fefellerunt.

Jam in Dialecticis magna exercitatio ſuſcipienda, nec indulgendum, quin, prout quiſque capere poteſt, ejus ſcientiæ faſtigium adipiſcatur: quod tùm doctrina, tùm aſſidua exercitatio perficiet. Nam in reliquo etiam diſciplinarum curſu ejus exercitandæ locus deeſſe non poteſt. Hæc incredibiles & uberrimas utilitates habet, hæc ad expediendos captioſos hæreſeon nodos imprimis eſt commoda: de hac potiſſimum intelligendum, quod Clemens Alexandrinus primo ſtromatum libro ſcribit: *Veritati quidem, quæ per ſe firmiſſima eſt, vires non addit, ſed ſophiſticas aggreſſiones infirmans, ac fraudulentas veritati factas inſidias dimovens, proprium ſepimentum & vallum eſt Dominicæ vineæ.* Hæc igitur ſummo ſtudio capeſſenda: item ejus compar, dicendi ſcribendique copia & facultas. Diſciplinarum cæterarum hæc velu-

ti incunabula ſunt, hæc primæ ætatis eruditio.

Ad Philoſophiam ab his progreſſus eſt, quæ tum vitam, moreſque hominum conformat, tum reip. gerendæ variam!, prout ſubjecta res eſt, adminiſtrationem proponit. Non multis literis ab Ariſtotele comprehenſa utraque diſciplina eſt: quæ dum percipitur, exiſtere poſſunt adeò doctrinæ cupiditate inflamati juvenes, adeòque laboris, vigiliarum, difficultatumque omnium patientes, ut quæ copioſiſſimè à Platone his de rebus diſputata ſunt, ignorare nolint: erunt etiam qui & Cyri Perſarum Regis diſciplinam à Xenophonte pluribus libris explicatam cognoſcere ſtudeant, & præclaras Plutarchi de omni hoc argumento diſputationes, itemque Senecæ. Nam hæc ſtudia ſunt, quibus S. *Baſilius* recte adoleſcentes erudiri atque expoliri, priuſquam ſanctiora ac veriora attingant, oſtendit eo libro, quo diſſeruit, quæ utilitates è Græcorum libris percipiantur. Quare qui intellexerint plurimarum optimarumque rerum cognitione pectus eſſe complendum, ne hæc quidem prætermittent.

Nec tamen nihil ij navarint, vel potius cauſſa non erit, cur eos ſui pœniteat, qui ſolis Ariſtotelicis bene imbuti fuerint: adeò vir ille omnia complecti ſtuduit quæcunque ad argumentum, quod ſibi propoſuiſſet, pertinerent. Quæ quidem de rerum natura ſcripſit, ſi quis accurate meditatus fuerit, vix quicquam eſt præterea deſideraturus.

Et tamen in hismodum rectè tenebit, qui vel ad Juriſprudentiam, vel ad Theologiam

aſpirat. Si quis vero ſtudio elatus, in Phyſicis ne ſibi quidem moderari poteſt, gratulandum etiam eſt, & adjuvandum ejus ſtudium. Eademque *Mathematicarum* diſciplinarum ratio. Nam ad cognoſcendum orbis terrarum ſitum iis artibus erudiri imprimis expedit, & ſphæræ rationem ſummatim cognoſcere, & numerorum, & magnitudinum.

Quid vero? Si cujus animum hæ artes ita cœperint, ut & *Euclidis Geometrica* omnia, & *Ptholomei Aſtronomica*, atque *Aſtrologica*, & quæ *de Numeris* Latina lingua *Boëtius*, Græca *Nicomachus* ſcripſere, perluſtrare ardeat: ei nec deeſſe diſciplinam oportet: incitandus etiam & laudandus, qui ſtudio ſuo nullum ſtatuat modum. Immenſa enim eſt ingenii humani cupiditas addiſcendi, eaque vix ullis terminis circumſcribi poteſt: quod in omni doctrinæ genere uſu venire animadvertitur.

Optimi ſcriptores penè innumerabiles extant tum Græci tum Latini: omnium ſeculorum hiſtoria iis libris, qui in manibus ſunt, quorumque maxima eſt facultas, comprehenditur; quæque vel injuriâ, & calamitate temporum, vel vetuſtate, monumenta ſcriptorum veterum interciderunt: eorum argumentum ſi quis deſiderat, ab aliis authoribus, iiſque bonis, ſupplere poteſt. Nec tamen, hac copia factum eſt, ut non ſummopere deſiderentur, quæcunque perierunt. Si quis omnes T. *Livii* hiſtorias nunc afferat, ſi quis *Saluſtii*, *Trogi Pompei*, *Cornelii Taciti*, ſi quis Varronis illos rerum divinarum & humanarum libros, quorum ta-

men magna ex parte argumenta bene obſoleverunt, quantam gratiam ineat ab hominibus ſtudioſis? Qui modo-non cum lachrymis plerumque eam jacturam conqueruntur. At omnium temporum, omnium rerum geſtarum, quæ certè ad exemplum inſignes ſint, memoria extat. Sed quid ſtudio hominum facias, qui omnia legere avent? Quibus labor ille jucundus eſt? Qui ſcientiæ amore inflammati ſæpe nec valetudini ſuæ parcunt, nedum ſumptui ac labori?

Quid Juriſconſulti? Immenſa volumina habent, *Iuſtiniani* Imperatoris juſſu laborioſiſſimè confecta, & decerpta, quod ad Pandectas attinet, è Veterum Juriſconſultorum, doctiſſimorum hominum, & omni doctrina excultorum, innumerabilibus libris. E Rep. duxit eſſe Imperator, Juris Romani prudentiam in ordinem ac veluti artem redigere, diſperſa ac diſſipata complecti, eaque ratione laborem diſcentium ſublevare. Vetera illa ſcripta cum jam nemo deſideraret, cum legi frequentarique deſiiſſent, vetuſtas ipſa conſumpſit: multaque ſecula interceſſere, quibus Juſtiniano magna habebatur gratia, quod ne illorum neceſſarius eſſet uſus, effeciſſet, Juriſque diſciplinam collegiſſet.

An verò illa ratio potuit noſtræ ſuperioriſque memoriæ Juriſperitorum ſtudia explere? annon illa, quæ interciderunt, deſiderantur? annon etiam plerique, ſi renaſcantur *Vlpani*, *Pauli Africani*, cæterorumque commentationes, eas vel Pandectarum, in quibus etiam multum operæ poſuerunt, interitu paciſcantur? Omnes verò illa

ſalua eſſe, & ſibi & Univerſæ Juriſpruden-tiæ gratulentur ? eaque avide ſtudioſeque pervolutent ? Nec verò libri eis, in quibus ſe conterant, deſunt. Nam cum Juſtinianea Prudentia Juris Civilis in orbe Latino aliquot ſæcula continuiſſet, ſive ob tranſlatam in Græciæ oras ſedem Romani Imperii, ſive propter bellorum diuturnos motus, & importatum ab aliis nationibus novum Jus, novamque Reip. & Judiciorum, & poſſeſſionum rationem ac formam: tandem reſtituta illa Juriſprudentiæ monumenta, cum naturalis quidem & gentium Juris præcepta in omni genere perſpicua complecterentur, cætera verò quæ ad res ſingulas pertinent, qæque varie ex temporum & Rerump. inclinationibus ac momentis decernuntur, obſcuriora eſſent, aliis moribus, atque inſtitutis: extitere diligentes, & acuti Viri &, ut illis temporibus, doctrina inſtructi, qui ad lucem Pandectis illis, & Univerſo Juri afferendam ſe compararunt, & veteres mores cum novis conferendo, excerpendaque ab iis, quæ Priſci illi quaſi majorum gentium Juriſconſulti edidiſſent, utilitate, juſtitiæ ſtudioſis valde commodarunt, foraque & judicia incredibiliter adjuverunt?

Hæc recentia ſcripta alia ex aliis nata immenſum quantum amplificata ſunt & propagata: ut eos etiam plerunque tædeat, quorum in iis neceſſario ad res judicandas opera ponenda eſt. Cur igitur tanta veterum ſcriptorum ſitis? nonne hæc recens exorta, & magis neceſſaria ſatis ſunt ad vitam hominum, valetudinemque conterendam? Satis, ſuperque ſunt, inquam, ut eorum jam

modus à pleriſque valde deſideretur.

Verum ut eo redeam, unde digreſſus ſum, præterquam quod vetuſta idcirco requiruntur, quod hæc, quæ ex illis ſumpta ſunt, jam propter mutationem temporum, & propter librariorum inſcitiam & pravitatem, obſcuriora facta illuſtrarentur: præterquam quod etiam illa ab hominibus acutis, prudentibus, & optimarum artium ſcientia inſtructis, diſtincte, eleganter, ſubtiliter deſcripta, non ſolum juvarent, ſed liberalem quandam delectationem afferrent: præter illas, inquam cauſſas hæc communis eſt, quòd ſcire, quòd addiſcere unumquemque juvat, etiam ſi interdum ex ſciendo exiguus fructus capi videatur.

Hujuſmodi cupiditas alia in aliis major eſt, faciendumque, ut varia hominum ſtudia alantur, educentur, nec à ſuis præſidiis adjumentiſque deſerantur. Tutum eſt ac verum, ad ſumma omnes hortari: admirari & laudare qui ad ea enitantur; non contemnere neque deſtituere, qui inferiore loco ſine ignavia conſiſtant. Nam ab ingenuis artibus, & ab ipſa Philoſophia jam inſtituti adoleſcentes nobiles, Eccleſiarum tutelæ & adminiſtrationi dicati, cum ad Theologiam, ſcientiarum omnium faſtigium, pervenerint, ac cæperint imbui vel *Magiſtri Sententiarum*, vel S. *Thomæ Summa Theologiæ*: qui illa bene perceperint, exiſtimare poterunt jam præclara fundamenta jeciſſe. At erunt, qui cum S. *Thomæ* diſciplina conjungere ſtudeant *Alexandri Alenſis* doctas, & copioſas diſputationes, & ejus Summam Theologicam, multis voluminibus compre-

henſam evolvere: quique non ſatis habeant, Doctores ſuos Magiſtri doctrinam explicantes, audiſſe, ſed doctiſſimos quoque in eas Sententias eximiorũ Theologorum commentarios perlegere velint. Imprimis S. *Thomæ*, deinde Clariſſimorum authorum è B. Franciſci ſancta Familia, S. *Bonaventuræ*, *Richardi*, *Scoti*. Nec *Durandum* ſibi prætermittendum putabunt, quem Academia Pariſienſes cum primis celebrat. Ita varii fient progreſſus, pro cujuſque ingenio atque ſtudio.

Hac diſciplina inſtitutis quam faciles erunt ad ſacras Scripturas perſcrutandas aditus, ad veterum Doctorum monumenta, ad Conciliorum, Summorumque Pontificum decreta cognoſcenda? In quibus omnibus cum multum ſtudii conſumpſerint, ſi in manus ſument, quæ ſcite ac diligenter collecta à *Gratiano* ſunt, quæque ab *Ivone*, & à *Burchardo*, quanta cum utilitate recognoſcent, quæ ab illis uberrimis fontibus hi recentiores peritè, diſtinctè, ſolerter derivarunt? Hanc deſcriptionem, hunc mirabilem ordinem lætabuntur memoriæ ſuæ magno adjumento eſſe. Hæc ab *Auguſtino* ſumpta, hæc ab *Hieronymo*, hæc à *Magno Gregorio*, quam aptè locus ille Scripturæ hic poſitus, illius Concilii decretum huc tranſlatum? Sic juvabit, eorum, quæ legerint, reminiſci, & ea carptim à viris doctis collecta, ad utilitatem Eccleſiæ facile poſſe accommodare. Sic conſtitutiones ſummorum Pontificum, unde profluxerint, & à quibus natæ principiis, exiſtimare poterunt, eaſque ſine errore tum intelligere, tum ad

Remp. Chriſtianam adminiſtrandam referre.

Quantopere ergo ſibi gratulabuntur, quantas habebunt Deo gratias, & parentibus, vel propinquis, & doctoribus, & parentibus vel propinquis, & doctoribus etiam ſuis, quod hanc ſcientiæ facultatem ad munus ſuum recte obeundum fuerint adepti? Hoſcine putamus ita inſtitutos, averſuros Eccleſiarum opes in quæſtum ſuum? Nonne potius arbitraturos *quæſtum magnum eſſe pietatem cum ſufficientia*? A turpi & ſe indigna nundinatione procul abhorrebunt; hoc enim officium cauponandum non eſſe: non ſane clericis omni lucro interdictum, ſed ea lucra captanda, quæ B. Maximus hac Homilia oſtendit.

Non incommode, ante dies paucos, proſequuti ſumus functionem hanc ſacerdotalem, vicem quandam negotii retinere, & quæſtum eſſe non modicum hoc clericatus officium: Eſt quæſtus planè non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, ſed acquiritur animarum; eſt magna negotiatio, ubi redemptio hominis conſtat, non annunciatione pretii, ſed annunciatione præcepti. Ita longe ab avaritia aberunt, quorum animi diſciplinæ hujus aſſiduitate informati fuerint, quique crebrò S. Paulum prædicantem audierint, *radicem omnium malorum eſſe cupiditatem, & eos in laqueum diaboli incidere, qui volunt fieri divites*.

Ad hæc, incredibili lætitia afficientur, quod hanc Domini gravem comminationem, quæ nimis periculoſe contemnitur, reveriti fuerint. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*: quodque huic S. Pauli præcepto obſecuti ſint: *Attende le-*

*ctioni, exhortationi, doctrinæ* : ac ſe compararint, ad hæreticorum fallacias redarguendas, ex hac S. Pauli ſententia : *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Nam ſe Deo adjuvante, *pro Chriſto legatione eſſe functuros*, ut docet S. Paulus, & duces futuros cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditores inſipientium. Sævientibus enim hoc ſeculo hæreſeon procellis faciendum eſſe, ne hi qui ſuæ fidei & poteſtati committentur, ſint veluti *parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ. Obſtruendum* denique eſſe *iniqua loquentium os*, & calumnias maledictaque obtrectatorum Eccleſiæ Catholicæ, vitæ integritate, ac doctrinæ luce eſſe refutanda; ut, quemadmodum monet B. Paulus, is qui ex adverſo eſt, vereatur nihil habens mali dicere de nobis.

Quamobrem non minimum hæc ratio conferet ad Germaniæ, Galliæque ſananda vulnera, ut cum ad clariſſimas familias honores & magiſtratus Eccleſiæ, merito deferantur, conſtituatur eorum diſciplina, qui eos geſturi ſint, & Eccleſiarum Epiſcopi futuri. Ipſe Nobilitatis ſplendor, ſi nihil aliud cauſſæ eſſet, eorum animos doctrinæ ſtudio deberet inflammare, cujus cupiditate in omni ſæculorum memoria viri principes flagrarunt. Ideo Ariſtotelis diſciplinam adamavit olim Alexander Rex; ac cæteri Græciæ Primores Philoſophorum præceptis inſtituti ſunt. Idem exemplum olim ſequuti ſunt, & , florente Romana Repub. viri nobiliſſimi, & , ea in unius Imperium redacta, Imperatores Romani, cæterique claro ſangui-

ne

ne orti. Ex iis, qui Divi Fratres appellati ſunt, memoriæ proditum eſt, *Marcum* tantum laboris ſtudiis impendiſſe, ut corpus afficeret. *Conſtantinum Magnum*, *Gratianum*, Chriſtianos Imperatores ſtudiis fuiſſe deditos, hiſtoriæ loquuntur: illum nutriiſſe artes bonas, præcipue ſtudia literarum: legiſſe, ſcripſiſſe, meditatum eſſe: hunc fuiſſe literis haud mediocriter inſtitutum, carmen feciſſe, ornatè loquutum, explicaſſe controverſias rhetorum more: de quo etiam patrem Valentinianum hanc orationem ad milites habuiſſe ſcribit Ammianus Marcellinus.

Humanitate & ſtudiis diſciplinarum ſolertium expolitus librabit ſuffragiis puris merita rectè ſecuſvè factorum. & quod pietatis ſummum primumque eſt, rempub. ut domum paternam diligere poterit, & avitam. Quid *Auguſtus*? quem, traditum eſt liberalibus ſtudiis tantum incubuiſſe, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, ſcriberet, declamaret. Et *Gordianus Senior*? qui cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio, & Arato, ad hoc ſcripſit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur; qui *Antoninos* Imperatores admirans, ſcripſit Antoniniados libros XXX. & hæc puerulus: ſcripſit & laudes ſoluta oratione Antoninorum. Et *Numerianus*? qui & eloquentiâ præpollens fuit, & verſu talis fuiſſe prædicatur, ut omnes poëtas ſui temporis vicerit. *Annibal* ipſe, tantis bellis diſtrictus, non nihil temporis tribuiſſe literis fertur, ejuſque aliquot libri eſſe Græco ſermone confecti. atque is *Soſilo* literarum

Græcarum uſus eſt doctore. Longum eſſet cæteros commemorare. Memoria quidem dignum eſt, quod *Alexander Severus*, cum inter ſuos convivaretur, doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari dicebat, & paſci: habebat quoque, cum privatim convivaretur, librum in menſa, & legebat. Ac fortaſſe huic, quòd, quamvis non Chriſtianus, non alienam tamen habuit à Chriſto voluntatem, hæc ac cæteræ quibus floruit virtutes inſitæ fuerunt.

Chriſtianos quidem commovere hæc debent, eoſque præſertim, qui in Clerum Domini aſciſcuntur, quique nobilitate, & opibus cæteris antecellunt. Nam ſi illi ſua profundebant, nec ulli parcebant ſumptui, quo præclararum artium doctores haberent: quid eos facere oportet, à quibus ſcientiam requirit Dominus, quique plerunque facultates Eccleſiaſticas habent ad eam adipiſcendam? Hi potiſſimum quibus copiæ ſuppetunt, urgendi, his conſulendum, his adhibenda diſciplina. Hi proprios doctores accerſere, & apud ſe habere poſſunt, iiſque commodiſſime uti, plurimumque progredi in eo, quod ipſis propoſitum eſt, optimarum artium curriculo. Cæteris omnibus Clericis, Academiarum celebritas publicique Doctores, homines in ſua quique arte perfectiſſimi deeſſe non poſſunt: exercitationes, plerumque & hortationes, & ſolemnia gymnaſia deſunt.

Itaque adoleſcentes ſui planè juris, atque arbitrii, non omnes ad frugem perveniunt: qui verò ad id doctrinæ faſtigium aſcendunt, quod Clero propoſitum eſt, per quàm pauci

aperiuntur. Nam ea quæ antea expoſita ſunt, totius Cleri ſtudia eſſe, intelligi poteſt ex majorum noſtrorum inſtitutis, ac præceptis. Eorum egregia ſcripta teſtificantur, quibus diſciplinis imbuti fuerint.

Ac ſi qui ex iis diſciplinam Clericorum explicare ſunt aggreſſi, non aliam inſtituerunt, quam quæ modo commemorata eſt. In iis *Rabanus Maurus*, cujus aliquanto ante mentio eſt facta, vir doctus, ac diligens, tres libros ſcripſit *De Inſtitutione Clericorum*, ac vix quicquam omiſiſſe videtur, quod iis inſtituendis neceſſarium ſit. Artes omnes liberales percenſet, eaſque oſtendit, quid adjumenti ad ſacras literas capeſſendas afferant. De quibus poſtmodum intelligendis, quæ præcepta proponit, ſatis fortaſſe pleriſque eſſe poſſint, ſi quis ea bene rimetur, ſeque in iis aſſidua meditatione exerceat.

Poſt illa vero tempora, cum ſacra Theologia, à Clariſſimis Viris, & Sanctiſſimis, & ſingulari eruditione ac diligentia præditis, incredibiliter illuſtrata ſit, à *Magiſtro Sententiarum*, à *S. Thoma*, cæteriſque quorum ante mentio eſt facta; cumque noſtrâ etiam, patrumque noſtrorum memoriâ, multa egregie ſcripta ſint, quibus huic doctrinæ lux affertur, atque imprimis *Romanus Cathechiſmus*, authoritate editus Apoſtolica: hæc tanta diſcendi facultas nullo modo prætermittenda, ſed certandum cum veteribus, quibus longe inſtructiores ſumus, modo nos ignavia non retardet.

Quid quod hanc olim Monachorum fuiſſe diſciplinam, magnus *Caſſiodorus* oſtendit? hanc enim in libris *de inſtitutione divinarum*

*ſcripturarum* rationem fere ſequitur, quæque legenda ſint, quaſi digito commonſtrat, liberales omnes doctrinas, non ſolùm memorat, ſed earum quoque dat brevia præcepta. De litteris ſacris diligentiſſimè præcipit, de ſynodis, de Hiſtoricis Chriſtianis, de Doctoribus.

Ab illa diſciplina præſtantes eruditione viri omnibus ætatibus prodierunt. *Sidonius* quidem *Appollinaris*, Arvernorum Epiſcopus, *Claudiani* mortem hendecaſyllabis exornat: in quibus hæc ſunt.

*Triplex bibliotheca quo magiſtro,*
*Romana, Attica, Chriſtiana fulſit,*
*Quam totam monachus virente in ævo*
*Secreta bibit inſtitutione:*
*Orator, Dialecticus, Poëta,*
*Tractator, Geometra, Muſicuſque,*
*Doctus ſolvere vincla quæſtionum,*
*Et verbi gladio ſecare ſectas,*
*Si qua Catholicam fidem laceſſunt.*

Verum *S. Auguſtinus* his viam præmonſtraſſe videtur quattuor copioſiſſimis *de Doctrina Chriſtiana* libris, ut qui pòſt de eodem argumento ſcripſerunt, permulta ex iis hauſerint. Itaque cujus diſciplinæ tantum virum authorem habemus, de ea jam nullo modo dabitandum eſt: ſequendum, quo egregius Doctor vocat.

Nemo jam ſit, qui ullam à diſcendo vacationem ſibi tributam putet. Nam valde periculum non eſſe, qui vel Clero nomen ſuum dat, vel beneficium accipit Eccleſiaſticum, ferri poteſt: ei vero, qui nihil addiſcere ſtudet, nihil meditatur, qui ingenio, & otio, & facultatibus datis uti negligit, quæ dabitur

venia? Se, ſuaque quiſque metiatur, nemo ſibi deſit. Nobiles, & clari adoleſcentes infinitam diſcendi ſitim concipiant oportet, quibus multæ ad id ſuppetunt copiæ: cæteri pro ſe quiſque eandem capeſſant viam, eodem ſpectent omnes, ſeque Dei gloriæ, & Eccleſiæ Catholicæ utilitati dicatos eſſe meminerint, terrenaque omnia & caduca indigna putent, in quibus ſtudium ſuum conſummatur. Ita & hæc adjicientur illis, & tandem regnum cœleſte, à quo excidere ſumma miſeria eſt, Deo adjuvante, adipiſcentur. M. D. LXXVIII.

# PETRI MORINI
## PARISIENSIS THEOLOGI
# PARÆNESIS,
## SIVE
# EXHORTATIO AD GRÆCOS.

Hæc Paræneſis videtur meditata Præfatio Florentini Concilii actis ac *Gennadii* libro Gregorii XIII. juſſu, Cardinaliſque Sirleti cura, & *Morini* noſtri Virorumque doctiſſimorum ſtudio accuratis & Romæ editis præfigenda, cujus in priori parte *Morinus* de Romani Pontificis primatu & auctoritate multa præclarè & eruditè ex Patribus, in altera verò Græcorum invidiam ex Occidentalis ab Orientali, diviſione Imperii, ſolerter & amice conatur emollire.

## PARS PRIOR.

*De Romanæ Sedis Principatu: Prima Græcorum Schiſmatis cauſa.*

CUm jampridem Schiſma deplorandum inconſutilem Chriſti tunicam diſcindere, Eccleſiæque pulchritudinem & gloriam obſcurare conatum ſit: periculum eſt, ne vos inveterati mali diuturna conſuetudine triti, & graviſſimis interea uſi calamitatibus, ſævæ peſtis curam & concordiæ ſarciendæ diligentiam pro nihilo ducatis, nec ad conſequendam ſalutem magni referre putetis, totius fraternitatis, & Eccleſiæ Dei unitatem ſancire.

Quod ſi in hac ſententia eſſetis, nec, quemadmodum nos ad conſenſionem fidei &

doctrinæ plurimum ſtudii adhibemus; ita cuperetis nobis quamprimùm reconciliari : ob mali ſenſum amiſſum miſeri eſſetis, ac præter libertatis & omnis fœlicitatis jacturam, propter quam veſtri jure miſeremur, paulùm ab eo abeſſetis, ut miſerrimum animarum exilium ſponte ſubiretis. At ſi ita non ſentitis, verùm conjunctionis par ſtudium, atque nos habetis : agedum veluti apud Brabeutam & arbitrum Chriſtum pacificationis conſilia inituri, leniter & quietè conſideremus, quænam vera & incorrupta dijudicatio eſſe poſſit controverſiarum noſtrarum. Quis enim ſana mente præditus, utrorumque hoc magni intereſſe non putet ? Pax nobis à Chriſto Domino ac Deo noſtro, cum in cœlum aſcenſurus eſſet & ſeſſurus ad dexteram Patris, relicta eſt, ut res ſtudio noſtro digniſſima, & maxime neceſſaria Eccleſiæ ſaluti : pacem habere juſſi ſumus, & omnium maximè eſſe pacifici, ſi filii Dei vocari cupimus, ac hæreditatem adipiſci, quæ nos in cœlis manet. Quæ vero diſcordibus pax eſt & inter ſe diſjunctis ? Quamobrem conſenſionis eos ſtudioſos eſſe convenit, qui cœleſtia æternaque bona appetant, & hujus vitæ fœlicitatem vel præſentem tueri vel amiſſam revocare velint. Magna Dei noſtri miſericordia eſt : ac *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*

Itaque iis, qui ad concordiam prudenter ac ſobriè animum applicuerint, ſpes reliqua eſt, fore, ut nefarii dirique tyranni dominatio evertatur, & converſio rerum nec opinata fiat, benigno Domino exorato, noſtra voluntate reconciliandæ pacis, quam omni ſtudio, omnibuſque viribus colere ac diligen-

tiſſimé tueri nobis præcepit, vel potius neceſſitatem impoſuit, ſi cum eo pacem habere volumus, ac ipſo, in cujus poteſtate res noſtræ ſitæ ſunt, propitio & adjutore frui.

Ad concordiam autem quid accommodatius eſt, quam ut patres noſtros, lumina orbis terræ, veritatis propugnatores atque agonothetas, judices aſciſcamus, iiſque controverſiarum omnium diſceptationem permittamus? Illi *Sancti Petri* honorem, & Apoſtolicæ cathedræ primatum piè acceperunt, & probarunt, Petrique ſucceſſorum poteſtatem atque authoritatem ſanctam habuerunt, quibus de rebus tantopere nobiſcum contenditis. Qui ex vobis monumenta Eccleſiaſtica pervolutarunt, cæteros edocere queant, quantum reverentiæ, quantum honoris ſeniori Romæ & ſancti Petri Cathedræ, Eccleſiarum magiſtri tribuerint.

Illorum libros legite, evolvite quæ Antiqui memoriæ prodiderunt, *Interrogate patres veſtros, & annunciabunt vobis*. Perſequimini mente & memoria, & æquo judicio celeberrimas ſynodos, à Spiritu ſancto, pacis Eccleſiarum & integritatis fidei cauſſa, congregatas. Quærite; cui metropoli primo honore ceſſerunt orbis Eccleſiæ. Omnes invenietis uno conſenſu proſecutas honore eſſe, ac reveritas Romanam Eccleſiam, ut à Chriſto primatu ornatam, tribuiſſeque Petri ſucceſſoribus obedientiam ſingularem.

Sæpe enim injuriâ ejecti, &, per hæreticorum conſpirationem, Eccleſiarum gubernatione ſpoliati orthodoxi Epiſcopi hoc rerum ſuarum perfugium habuere, ut Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ auxilium expete-

rent, propterea quod orbis terræ illorum diſceptationem reſpiceret, ac eos (quibus univerſæ Eccleſiæ gubernacula eſſent credita) dignos exiſtimaret, qui diſſenſionum omnium judicium haberent.

Exorta verò interdùm hæretica labe, ſtudio habuere Catholici Epiſcopi, ut conſtaret, ab eo, qui beati Petri ſedem teneret, hæreſim eſſe damnatam; cui rei argumento eſt, quòd cum ſceleratus *Neſtorius* ſanam fidem oppugnaret, multoſque jam decepiſſet, ac impie negaret ſanctam Virginem, Deiparam eſſe: *Cyrillus Alexandrinus*, qui pro veritate pugnaret, ad *Celeſtinum* Romæ urbis Epiſcopum literas dedit, quibus ab eo petebat, ut impietatis Neſtorium damnaret, eumque ſententiâ ſuâ è cœtu Eccleſiaſtico ejiceret, ac Epiſcopos reſtitueret, à Neſtorio per injuriam depoſitos.

Atque hæc omnia ex actis Epheſinæ ſynodi cognoſci poſſunt; Nunc enim etiam extant quæ *Beatus Celeſtinus* ad Cyrillum ſcripſit, & ad Preſbyteros, Diaconos, Clerumque Conſtantinopoleos, cujus urbis Epiſcopus *Neſtorius* pietatem labefactabat. Hæc igitur aperte ad Cyrillum de ſcelerato Neſtorio Celeſtinus ſcribit. *Dilecto fratri Cyrillo Celeſtinus. Sciat ille, communionem ſe noſtram habere non poſſe, ſi in hac perverſitatis via permaneat, Apoſtolicæ doctrinæ adverſando. Conjuncta igitur tecùm ſedis noſtræ authoritate; tu utere ad poteſtatem ſucceſſione loci noſtri, & hanc ei ſententiam ſumma conſtantia impone, ut ad decem dies, quis ex hujus admonitionis die cedant, malam prædicationem ſuam ſcripta confeſſione deponat ac reſpuat, ſeque confirmet eam de generatione Chriſti*

*Dei noſtri fidem tenere, quam & Romanorum & tuæ Sanctitatis Eccleſia & univerſa ſanctio obtinet. Quod ſi non faciat, ſtatim Sanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciens intelligat, eum omnimodis à corpore noſtro movendum eſſe, qui neque curantium medelam accipere voluerit, & in ſuum, eorumque omnium, qui ipſi crediderunt exitium tanquam peſtilens excitatus morbus properavit totum Eccleſiæ corpus pervadere. Eadem autem ſcripſimus ad ſanctos fratres & Coëpiſcopos noſtros, Ioannem, Rufum, Iuvenalem, & Flavianum, ut de eo clara ſit noſtra, vel potius Chriſti noſtri divina ſententia.*

Nemo tum Romæ urbis Epiſcopo, nemo beato Petro primas invidebat: Reverebantur omnes Chriſti Domini noſtri œconomiam, qui Petrum Apoſtolorum primum deſignarat: Omnes Petri ſucceſſori, qui eandem, quam Petrus, poteſtatem eſſet adeptus, honorem habebant. Atque idcirco tanta libertate *Celeſtinus* utitur, ut ſententiam ſuam, Chriſti ſententiam eſſe pronuntiet, *Neſtoriumque* condemnet, niſi paucis diebus ad ſanitatem redeat.

Non contradixit *Cyrillus*, qui ſancti Evangeliſtæ Marci ſedem tenebat, Non *Ioannes* Epiſcopus Antiochiæ, Non Preſbyteri Conſtantinopoleos, cum Epiſcopus ſuus judicium ſubiret Celeſtini, ad quem, judicium illud propter Petri ſucceſſionem pertinebat. Quam enim ob cauſam? Nam ad hæreſim evertendam ſacræ ſcripturæ teſtimoniis non fuit Cyrillo doctior Celeſtinus: non propior periculo urbs Roma, ut ei in primis à Celeſtino conſuli oporteret: non propter Imperatoris dominatum, Celeſtini magis intererat, cam

rem ſuſcipere, quam Conſtantinopolitarum, apud quos clariſſimus imperator *Theodoſius* erat. Quare propter Apoſtolicam poteſtatem, ac propter ſedem Petri, Impium Neſtorium oportuit à Celeſtino condemnari, adjungique Cyrillo (ut Celeſtinus ſcribit) Apoſtolicæ ſedis authoritatem, ejuſque locum tenere Cyrillum, ut pro poteſtate pronunciaret: proptereà quod Celeſtinus adeſſe non poterat, ut ipſe ad Preſbyteros Conſtantinopoleos ſcribit: *Et quoniam in tanto talique negotio noſtra præſentia neceſſaria propemodum eſſe videbatur, noſtram vicem propter terræ mariſque intervalla ſancto fratri noſtro Cyrillo attribuimus.*

Ad Neſtorium verò quid ſcribit? Quomodo Cyrilli fidem probat & confirmat? quibus verbis monet Impium? Operæ pretium eſt hoc quoque cognoſcere, *ſacerdotis Alexandrinorum Eccleſiæ fidem probatam habuimus, & habemus. Tu igitur ab eo admonitus, eamdem, quam nos, ſententiam rurſum habeto, ſi nobiſcum, frater eſſe vis.*

Hæc Apoſtolica planè authoritas eſt, & ejus, cui orbis terræ, cui ſalus omnium eſſet credita, qui juſſus eſſet à Chriſto, ſuos confirmare fratres.

Quod ſi jus non fuiſſet, ea poteſtate uti Celeſtinum, idque inſolens viſum eſſet, non paſſus eſſet Cyrillus, non Joannes Antiochenus, non preſbyteri Regiæ Urbis, tantam poteſtatem illum ſibi ſumere. Nuper autem à Beato *Ioanne Chryſoſtomo* edocti erant Conſtantinopolitæ, & ante à magno *Athanaſio* Alexandrini, Petri cathedram non contemnere. Multis locis *Chryſoſtomus* commentariorum ſuorum de ſancti Petri honore ſcri-

pſit : apertiſſime autem in ſermone de Propheta Jona, & Daniele, & tribus pueris: *Petrum in priſtinum honorem pœnitentia reſtituit, & Eccleſiæ univerſi orbis adminiſtrationem mandavit. Ac omnium major oſtendit nobis, ſe plus quam cæteros Apoſtolos, erga Dominum charitatis habere.* Idemque in quodam ex ſermonibus contra Judæos habitis. *Ita Petrus negationem diluit, ut primus Apoſtolorum fieret, utque ei univerſus terrarum orbis committeretur.*

Quid vero magnus *Athanaſius*, ſtrenuus veritatis propugnator, qui inſectante Imperatore Conſtantio, Ariana labe infecto, pietatem deffendens, ita in ſecundo Apologetico ſcribit. *Iam noſtræ res judicium non requirunt: judicata non ſemel ſunt, non iterum, ſed ſæpe; primum in regione noſtra, deinde Romæ, cum Euſebius ſcripſiſſet, vocatique eſſent adverſarii noſtri, & nos ipſi, atque eo conveniſſent Epiſcopi amplius quinquaginta: adverſarii verò ipſa veritate victi ſcripſerunt, ac ſeſe Iulio Romæ Epiſcopo dediderunt.*

Hoc Athanaſii teſtimonium os omnium poſſit opprimere ac eos refellere, qui Apoſtolicæ ſedis dignitatem evertere conentur: Qui Epiſcopi, Arii venenum hauſiſſent, & Imperatoris voluntatem atque aſſenſionem adjutricem haberent, provocante Athanaſio ad Petri Cathedram, judicium non ejurant: verùm ſcribit Euſebius, alii vocati ſatisfaciunt, ac veris victi, Julii reverentur Apoſtolicam authoritatem: quo haud ſcio an ullum maius eſſe poſſit Apoſtolici privilegii argumentum.

Horum igitur doctiſſimorum & ſanctiſſimorum hominum, qui tantùm non marty-

rium ſubierunt, quique ob pietatis certamina maximis calamitatibus ſunt conflictati, *Athanaſii* dico, & *Chryſoſtomi* ( uterque enim eorum exilio multatus eſt, tametſi diſſimili calumnia ) horum, inquam, doctrina uſi tum Alexandrini, tum Conſtantinopolitæ, Beatum Petrum, ejuſque ſucceſſores maximi fecerunt, ac de Neſtorio, ut par erat, permiſerunt Papæ Celeſtino, ut oſtendit idem Cyrillus, hæc ad *Iuvenalem* Hieroſolymorum Epiſcopum ſcribens. *Religioſiſſimus ac Dei amantiſſimus Romanorum Eccleſiæ Epiſcopus Celeſtinus clare de illo ſcripſit, & ad me miſit Epiſtolas:* Harum vero Celeſtini Epiſtolarum in una ad Joannem Antiochenum miſſa hoc ſcriptum eſt, quod vel inimiciſſimis atque alieniſſimis verecundiam incutere poſſit, modo ſine contentionis ſtudio vera perſpicere animum inducant: *Atque Epiſcopum Neſtorium, ac ſi quis alius ejus ſectator talia aſſeverat, à noſtra communione ſeparamus, quoad ſcripta confeſſione tranſmiſſa, perverſitatem quam docere cœpit condemnet. Sciat igitur Sanctitas tua, à nobis, vel potius ab ipſo Domino & Deo noſtro Chriſto latam eſſe ſententiam.* Liberam hanc vocem tum amplexi ſunt, qui judicarent, non fruſtra oves ſuas Chriſtum Petro paſcendas commiſiſſe.

Hi vobis imitandi, eorum ſequenda moderatio, quos veræ religionis duces & authores habemus. Domini præceptum tenendum, qui Petrum cæteris Apoſtolis præpoſuit, eumque rerum ſummæ juſſit conſulere, *ideoque rogavit, ut non deficeret ejus fides.* Periculoſum vero eſt, repudiato Dei præcepto, ſui quemque eſſe judicii, ſuæque ſententiæ.

Quamobrem quæramus, quid Chriſtus Dominus imperarit, quid Evangeliſtæ tradiderint, quo præcepto accepto patres noſtri, Deo obtemperare maluerunt, quam gloriæ cupiditati ſervire. Nam eorum, qui Beato Celeſtino honorem habuerunt, non multo poſt imitatores fuere *Flavianus* Epiſcopus quondam veſter (viri Conſtantinopolitæ) & *Theodoretus* Epiſcopus Cyri. Cum enim impius *Neſtorius* Chriſti humanitatem à Deitate ſejungere conatus eſſet, paulò poſt non minori impietate, *Eutyches* Archimandrita, & *Dioſcorus*, qui Beato Cyrillo ſucceſſerat, ejuſque fidem ſecutus non fuerat, contratriam hæreſin pepererunt, cum aſſeverarent unam Chriſti naturam eſſe; & cum humanitate divinitatem confunderent, paſſibilemque fuiſſe prædicarent. *Eutyches* autem à *Flaviano* depoſitus ad ſanctiſſimum *Leonem* Romanum Pontificem ſtatim ſcripſit, cum eum fallere juſque ſurripere in animo haberet, Tum à *Flaviano*, *Leo* veritatem edoctus, *Eutychem* condemnavit, egregia doctrina de duabus Chriſti naturis edita. Hic eſt *Leo*, cui Chalcedonenſi Conſilio, Epiſcopi omnes fauſtis vocibus acclamarunt: *Æterna memoria Leonis: ut Leo credit, ita credimus: ut Leo docet, ita prædicamus.* Hic enim ſanæ fidei curam gerens, & Synodo fœliciter præfuit, miſſis, qui vice ſua fungerentur, quorum etiam nunc nomina, in ejus Concilii commentariis extant; cujus Concilii proœmium hoc loco proponendum videtur, ut intelligatis, quantopere tum Romanorum Epiſcopis Epiſcopi veſtri ceſſerint, ita enim ſe habet. *Congregata ſancta & œcumenica Synodo, quæ divina volun-*

*tate Chalcedonem convenit* , *nempe* Paſchaſino *&* Luccio *religioſiſſimis Epiſcopis* , *&* Bonifacio *religioſiſſimo Presbytero* , *tenentibus locum ſanctiſſimi & Deo chariſſimi Archiepiſcopi Senioris Romę* Leonis. Deinde cæterorum Patriarcharum & Sacerdotum nomina ponuntur, ac primum *Anatolii* Archiepiſcopi Conſtantinopolitani.

Idem quoque in ea Synodo factum eſt, quę iterum habita eſt Niceæ, in cujus monumentis aperte nomina primum ſcripta ſunt eorum qui Sedis Apoſtolicæ vicem obtinerent Sanctiſſimi Archiepiſcopi Senioris Romæ *Adriani*, deinde *Taraſii*. Idem ſexta Synodo, *Agathone* Pontificatum Romanum gerente: In literis autem Synodi ad Agathonem hæc ſunt: *Vnde & nos tibi, ut primam ſedem tenenti œcumenicę Eccleſię, quod gerendum eſt commendamus, atque permittimus.*

Mirum igitur eſt, ſi *Leoni* honorem *Anatolius* habuit; *Agathoni*, *Georgius*: *Adriano*, *Taraſius*; vos verò illorum poſteri, contempta patrum religione, non ſolum ſanctiſſimę Petri Sedi nihil honoris habebitis, verùm etiam ejus honorem ad vos ipſos revocabitis. Atqui *nemo ſumit ſibi honorem*, ut dicit Scriptura; *ſed qui vocatus eſt à Deo tanquam Aaron*, tanquam Petrus; *Hic enim à Chriſto*, ut ait Gregorius Theologus in ſermone de moderatione diſputationum, *petra vocatur*, *& ei fundamenta Eccleſię creduntur.*

Quanto melius eſſet, ſuo quemque ordine eſſe contentum, nec majora, quam pro ſe, affectare, nec aliena rapere? Qui enim contentus eſt iis, quæ data ſunt, quæque conveniunt, meritò ſperat, tum ea ſe ſervaturum

eſſe; tum alia, ſi Deus velit, acquiſiturum. At immoderatas cupiditates frangit Deus, quique appetit quæ non oportet, & uſurpat aliena, non longe ab eo abeſt, ut propriis decidat. Quod utinam experti non eſſetis, miſereque prȩda facti nefariæ impiȩque tyrannidis & communis Chriſtianorum inimici. Veſtras enim calamitates, noſtras meritò ducimus, publicum hoſtem exiſtimantes ſceleſtum & antichriſtum tyrannum.

Paulò igitur antequam ſancta Chalcedone Synodus fieret, Epheſi *Prædatoria* nominata Synodus à Dioſcoro & Eutyche, qui à recta fide aberrarant, coacta eſt: in qua multi orthodoxi Epiſcopi, in quibus religioſſimus *Flavianus* fuit, depoſiti ſunt: quibus magnus *Leo* opem ferens ad Orientales multa ſcripſit, hæc verò ad Conſtantinopolitanos. *Quiſquis incolumi ac ſuperſtite Flaviano Epiſcopo veſtro, ſacerdotium ejus fuerit auſus invadere; nunquam in communione noſtra habebitur, nec inter Epiſcopos poterit numerari. Vos Apoſtolicam cohortationem miniſterio noſtri oris accipite.* Ad Imperatorem verò Theodoſium hȩc ſcripſit. *Noſtri ab Apoſtolica ſede directi, conſtanter in Synodo ut decuit, fuerunt proteſtati, nequaquam id, quod conſtituebatur, ſedem Apoſtolicam recepturam.*

At mortuo *Flaviano*, ac, nova quadam ratione, martyrii coronam adepto, *Anatolioque* Pontifice deſignato, hæc eidem Imperatori ſcribit: *Ne aliquid in prȩjudicium Catholicæ deffenſionis viderer egiſſe de ordinatione eius, qui Conſtantinopolitanæ cœpit Eccleſiæ prȩſidere, nihil interim in alterutram partem temere reſcribendum putavi, non dilectionem negans, ſed ma-*

*niſeſtationem catholicę veritatis expectans.* Item hæc Reginæ Pulcheriæ. *Conſtantinopolitanus Epiſcopus talia ad nos debuit ſcripta dirigere, quę illum à contagione hujus, qui nuper emerſit, erroris alienum evidenter oſtenderent. Simplex eſt atque abſolutum, quod poſco, ut remoto longarum diſputationum labore, ſancta memoria Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Epiſtola, quam ipſe ad Neſtorium miſerat, acquieſcat, in qua & errorem Neſtorii arguit, & fidem Nicænæ definitionis expoſuit: & Epiſtolæ meæ, quæ ad ſanctæ recordationis Flavianum Epiſcopum eſt directa, conſentiat.*

At non multo poſt, cum ab Anatolio Leoni ſatisfactum, literæque allatæ eſſent, hæc reſcribit; *Societatem tuæ dilectionis amplectimur, & geſtorum, quæ ſumpſimus, ſeriem, neceſſariis ſicut oportuit, munitam ſubſcriptionibus approbamus.*

De his verò, qui hæreticorum fraude circumventi eſſent, ac poſt ſatisfeciſſent, hęc ſcripſit, amanter admodum & paterne; *Neque poteſt in aliquo benignitas noſtra reprehendi, cum ſatisfacientes recipimus, quos doluimus deceptos.*

Quis tum ulla præſcriptione ſanctiſſimum Leonem prohibuit, vel injuria affectis opem ferentem, vel impias hæreſes condemnantem, vel pœnitentes recipientem? quis contradixit? Quis non libenti animo poteſtatem Apoſtolicam probavit, ſalutis Eccleſiæ cauſa nobis à Chriſto relictam? *Flavianus* quidem certè hoc perfugium habuit ſceleſti conciliabuli, quod per vim & latrocinium à Dioſcoro Epheſi properatum eſt, propter quod religioſus poſt cœtus ſanctiſſimorum patrum

Calchedone eſt habitus. Hæc enim tum Flavianus ipſe ſcripſit ad Leonem, *Solo res hac veſtra authoritatis momento atque adjumento indiget, ut nutu & aſſenſione veſtra in tranquillitatem ac pacem omnia redeant. Sic enim & qua excitata eſt hareſis, & motus ex ea ortus facilè ſedabitur, per ſacras veſtras literas, adjuvante Deo. Opprimetur & ea, qua jactatur habita Synodus: ut ne ubique ſanctiſſimę Eccleſia perturbentur.*

Hæc *Flavianus*: quibus convenientia *Theodoretus* ſcribit, ad quem etiam pars aliqua pervenit illius tempeſtatis, Nam hæc ſcribit Leoni. *Si veritatis prædicator Paulus, illa ſancti Spiritus tuba, ad magnum Petrum cucurrit, ut ab eo judicium afferret iis, qui de diſciplina legis Antiochia ambigerent; quanto magis noſtrum eſt, qui tenues & exigui ſumus, currere ad Apoſtolicam ſedem veſtram, ut à vobis Eccleſiarum ulceribus medicinam ſumamus? Primus enim honor propter omnes cauſſas vobis convenit. Nam ſedes veſtra multorum ornamentorum præſtantia decoratur. Habet urbs veſtra communium patrum, & veritatis magiſtrorum, Petri & Pauli monumenta; fidelium animis lucem afferentia. Horum verò beatum & divinum par, in Oriente ortum, radios quoquoverſum emiſit, & paratiſſimis ſtudiis in Occidēte occaſum vita ſubiit, atque inde orbem terræ colluſtrat: hi ſedem veſtram clariorem fecerunt, hic veſtrorum bonorum eſt Colophon. Ego verò Apoſtolica veſtra ſedis expecto ſententiam, & ſanctitatem tuam oro atque obteſtor, ut mihi opem feras, rectum integrumque judicium veſtrum imploranti, meque jubeas ad vos currere, ac oſtendere, doctrinam meam Apoſtolica ſequi veſtigia; ac ſanctitatem veſtram rogo, ut fidei, cui tenduntur inſidia, omnibus vi-*

*vibus opituleris, paternamque hæreditatem Eccleſiis ſerves integram, ut pro his Sanctitas veſtra à munifico liberalique Domino præmia capiat.*

Renato autem Presbytero hunc in modum ſcripſit, *Sanctitatem veſtram precor, ut Archiepiſcopo ſanctiſſimo perſuadeas, ut Apoſtolica utatur poteſtate; meque ad conſeſſum veſtrum currere jubeat. Multas enim ob cauſſas ſancta illa ſedes Eccleſiarum orbis terræ principatum tenet. ſemper permanſit hæreticæ perverſitatis, ac teterrimi illius fœtoris expers. nullus in ea ſedit, qui contra ſentiret, verùm Apoſtolicam gratiam integram conſervavit. Quamobrem, quæ à vobis judicata fuerint, amplectemur, æquitati judicii veſtri confidentes.* His etiam conſimilia ſcribit ad Archidiaconum Romæ.

Ex his igitur intelligi poteſt, data Petro à Chriſto poteſtate uſos eſſe ſucceſſores ejus, magnamque gratiam omnes Eccleſias habuiſſe Domino noſtro Jeſu Chriſto, quòd aſcenſione in cœlum, *ſuos non reliquiſſet orphanos*, ſed chariſmata Spiritus ſancti copiosè liberaliterque largitus eſſet, Eccleſiæ ſuæ Epiſcoporum originem ac fontem, & confirmationem, Beati Petri ſedem conſtituens, eamque ob cauſſam ei gregem ſuum proprio redemptum ſanguine, eximie committens, & paſcere ter præcipiens, promittenſque Eccleſiam ſe ſuam ſuper illum ita ædificaturum, ut *portæ inferi adverſus eam non prævalerent*, nec *Petri* ſummi Paſtoris *fides ullo unquam tempore deficeret.* Chriſti igitur inſtitutum repudiare; quid aliud eſt, quam manifeſte pugnare cum Deo?

Nec verò ita patres noſtri fecerunt, verum ſcripturis ſacris religiosè intendentes, vo-

luntatem Altiſſimi ſcrutabantur: & coriphæi Apoſtolorum Petri privilegium cognoſcentes, non murmurabant adverſus Dominum, ingratorum ſervorum more, ſed Chriſti veritati ac bonitati confiſi, gubernationem Ecclesiarum, rerumque ſuarum rationes ab Apoſtolica Cathedra pendentes habebant, atque inde rectæ fidei legem accipiebant.

Nec verò ſacerdotes ſolum ac populorum paſtores, ſed etiam Imperatores ipſi hanc Romanorum Pontificum poteſtatem reveriti ſunt. Nam cùm per injuriam Beatus *Ioannes Chryſoſtomus* in exilium actus eſſet, & Archiepiſcopali ſede depulſus, *Innocentius*, Archiepiſcopus Romæ, Eccleſiarum magiſtro opem ferens, miſeranſque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſolitudinem, hæc *Arcadio* Imperatori ſcribit, qui ob levitatem animi beati viri exilio aſſenſus fuerat. *Ego ſanè, cui, tametſi minimo, divina Coryphei ſedes concredita eſt, teque & illam* ( Auguſtam autem ſignificat ) *vivifica ſanctorum Sacramentorum perceptione prohibeo, qui verò cœleſtem vobis panem ſanctumque poculum impertire auſus fuerit, eum depoſitioni tenuitas mea ſubjicit. At ſi vim, quod depreeor ac deteſtor, nonnullis audibitis afferre; ut hoc Apoſtolicum præceptum infirmetis, eritis cæterum omni orthodoxo cœtui ſicut publicani & Ethnici, atque in faciem veſtram in die juſti judicii grava hoc peccatum redibit.*

Ei, qui de tenuitate ſua confitetur, in mentem tamen venit divinam ſibi Coryphæi ſedem eſſe creditam: ac vir alioqui modeſtiſſimus claudit ex poteſtate cœlum, Romanorumque Imperatorem ligat, aberrantem ovem ea ratione revocans.

At Imperator, ut obſequens ovis, paſtoris vocem audit, reveretur, ejus manum ſubit, qui oves paſcere juſſus eſſet: atque is qui orbem terrarum adminiſtrat, obſervat illum, cui idem orbis ſublimiori modo ac diviniori, eſt commiſſus: ſanctoque Innocentio ita reſcribit. *De nobis paterna tua humanitas exoretur: nec nos divinorum Sacramentorum expertes eſſe ſinas. Ecce enim in filia tua Eudociæ peccata vindicavi: quę in graviſſimum morbum ob eam rem incidit, ac in lectulo jacet. Quo verò loco pœnitentia bonum erit, niſi pœnitentibus venia tribuitur?* Ut quæſo rogat communem patrem, ut orat illum, ac ſe ei ſummittit! Quem cum Innocentius hoc modo ſanaſſet, & convertiſſet ad pœnitentiam, ad *Proclum* ſcribit, qui tum Conſtantinopoli erat, ut Reges illa ſegregatione ſolvat, eoſque ſacris myſteriis dignos efficiat, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam regat, quoad de rebus *Attici* accurata diſceptatio habeatur: Ad Arcadium autem ſcribit, ejus accipiens pœnitentiam, & correctionem erratorum.

Quare in mentem vobis veniat, quantum honoris Beati Petri Sedi Imperatores habuerint, nedum ſacerdotes, ac duces Eccleſiarum. Accepiſtis quid patribus Orientis, veſtris doctoribus, viſum ſit, quorum potius veſtigia ſequi vos convenit, quàm nova doctrina ſejungi, & à Cathedra auxilioque Sancti Petri alienari, ejuſque honorem in ſucceſſoribus imminuere.

Africa verò, tertia orbis terræ pars, hac quoque diſciplina imbuta fuit, de Eccleſiæ Epiſcopatu, qui ab una ſede pendeat. De Beato *Cypriano* audiſtis, clariſſimo

Carthaginenſium & Africæ lumine, vel potius, (ut alicubi de eo S. Gregorius Nazianzenus ſcribit) totius orbis terræ, hic de pœnitentia pro fide Apoſtolica pugnans contra Novati hæreticam luem, quâ Africa laborabat, & contra eam crudelitatem, quæ pœnitentiam lapſorum tolleret, animaſque impelleret in deſperationis præcipitium: hoc firmiſſimum argumentum habet Novatianorum erroris atque veſaniæ, quòd ſe ab Apoſtolica Cathedra abſcidiſſent, quam dicit Eccleſiæ Catholicæ radicem ac matrem eſſe. Ita igitur octava Epiſtola primi libri, *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra ſuper Petrum voce Domini fundata.* In tertia verò Epiſtola ejus libri, hæc de hæreticis: *Navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prędicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.*

Atque in eadem Epiſtola, Catholicæ Eccleſię Epiſcopum ita deſignat. *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde; quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* In libro verò de Eccleſiæ unitate hæc ſcribit: *Super Petrum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas, ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit., & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur. Vnum caput eſt, &*

*origo una.* Hæc martyr Chriſti *Cyprianus*: qui (ut de eo Gregorius Theologus diſſeruit) *omnes omnibus rebus ſuperabat, cujus rei teſtes orationes ſunt, quas ille pro nobis multas, nobileſque habuit.*

Periculoſum eſt atque pernicioſum, ab hac unitate atque origine diſtrahi, cum potius oporteat, maximam gratiam Domino noſtro Jeſu Chriſto habere atque agere, quod Epiſcoporum, Eccleſiæ præfectorum, ne intercideret, nevè deleretur eorum poteſtas, compagem & conglutinationem uni principio, unique radici hærere voluerit.

Quapropter reveremini magni illius *Cypriani* ſanctimoniam, & intelligentiam divinorum oraculorum, & martyrium, & miracula. Spiritu ſancto plenus illa ſcripſit, *Cornelii* urbis Romæ Epiſcopi, vel potius Petri Cathedram & Chriſti gratiam, & univerſæ Eccleſiæ pacem prædicans. *Una enim Eccleſia*, ut ipſe ſexta Epiſtola primi libri ſcripſit, *intus eſſe, & foris non poteſt.* At in undecima: *Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit.* In duodecima autem ſecundi libri: *Eccleſia catholica una eſſe; nec ſcindi, nec dividi poſſe, monſtrata eſt.*

*Tertullianus* præterea Afer, qui ante Beatum Cyprianum floruit, in præſcriptionibus adverſus hæreticos, Eccleſiam oppugnantes confutat Apoſtolicæ Cathedræ auctoritate: *Habes*, inquit, *Romanam Eccleſiam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Fœlix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicę adęquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus*

*Ioannes poſtquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* Hæc opinor, æquis hominibus ſatis ſunt, & veterum dogmata ſine contentione expendentibus.

Beati ſane *Irenæi*, qui Apoſtolicis temporibus non multò fuit inferior, teſtimonium prætermittere fas non eſt. Hic enim eſt Irenæus, quem poſteritas prædicavit optimum veritatis magiſtrum fuiſſe, præſtantiſſimumque hęreticæ peſtis medicum; quem magnus Baſilius non longe ab Apoſtolis abfuiſſe ſcripſit: quem Theodoretus in libris adverſus hæreticos virum Apoſtolicum appellat, & admirabilem, & ter beatum, atque eum Occidentis oras illuſtraſſe ſcribit, (Lugduni enim nobiliſſimæ Celtarum urbis Epiſcopus fuit.) Ab Oriente enim profectus, cum in Occidentem divino conſilio veniſſet, illis regionibus valde profuit.

Hic igitur ſuperioris, & ſuæ ætatis hæreſeon oppugnator, eaſque argumentis firmiſſimis redarguens, Eccleſiarum traditiones, & ſucceſſionem Epiſcoporum plurimi faciendam eſſe demonſtrat, Romanæque Eccleſiæ doctrinam in primis amplectendam, *Traditionem*, ait, *Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus annumerare illos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos Sed quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem*

*fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & ſententiam malam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.* Deinde ſucceſſionem commemorat Irenæus, cumque Apoſtolos nominaſſet, & *Linum* & *Anacletum*, & *Clementem*, & cæteros, qui Apoſtolicam Cathedram obtinuerant, duodecimo ab Apoſtolis *Eleutherio* Epiſcopatum ait eſſe commiſſum: hac ratione probans, Romanæ Eccleſia fidem Apoſtolicam eſſe & Evangelicam, atque ab Apoſtolis per ſucceſſiones deveniſſe.

Ita divinus *Irenæus*, diſciplina uſus *Polycarpi*, qui *ſancti Ioannis* diſcipulus fuit, fidem prædicat Romanorum, quos nunc Latinos appellatis: cum cogitare vos oportuiſſet, de nominibus diſſentiendum non eſſe, ſed omnino eoſdem eſſe Romanos, ac Latinos, in doctrina educatos Coryphæorum Apoſtolorum.

Cogitate cum animis veſtris, nunquam Alexandrinos, non Antiochenos, non Hieroſolymitas Beati Petri honori invidiſſe, verùm libenter omnes Chriſti præcepto obtemperaſſe. Et quidem ſi Romanorum Eccleſiæ hic honor non conveniſſet, eum ſane ſibi Conſtantinopolitas ſumere non oportuit, qui principio à cæteris Eccleſiis longo intervallo ſuperabantur. An non enim poſt Petri ſedem Alexandrini fuere? Nam propterea quod *Marcus* Petri diſcipulus illam Eccleſiam princeps rexit, *Alexandrini* cives meritò ſe-

cundas tulere; & tertias *Antiocheni*, quod ibi primum Apoſtolorum princeps ſediſſet, & in illa primum urbe Chriſtiani vocati eſſent. Poſt enim Beatus Petrus Doctrinæ ſuæ lucem Romam intulit, eamque una cum Beato Paulo Martyrii corona decoravit. Vos verò *Byzantini*, quoti olim eratis?

Hæc nunc igitur in mentem vobis veniant: contentique eſtote ſecundo honore; vobis propter Imperatoriam majeſtatem conceſſo. Primum enim locum neque vos appetere fas eſt, neque ullas celeberrimas urbes. Hic Petro debetur honor, cui aperte à Chriſto Domino commiſſus eſt orbis, ut multis jam teſtimoniis confirmavi clariſſimorum Eccleſiæ Doctorum, qui antiquam traditionem & Evangelicum præceptum ſecuti, Dominique vocem reveriti, longiſſimè ab eo abfuerunt, ut ſanctiſſimi Petri honorem, propter gloriæ cupiditatem ad ſe revocandum putarent. Petri fidem ſequi, tutum ſibi arbitrabantur eſſe, cum in memoria haberent, ab Jeſu Chriſto dictum. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem oravi pro te; ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando converſus confirma fratres.*

Non igitur ſine Domini ſententia, non ſine Evangelico præcepto, vel *Cyrillus*, vel *Flavianus*, vel *Theodoretus*, vel ante hos magnus *Athanaſius* Archiepiſcopis Romæ ſuas ipſorum res adminiſtrare, tempore poſtulante, permiſerunt; cum id ſcirent Petro eſſe commiſſum, ut confirmaret fratres ſuos, cumque ex Evangelicis literis certò ſibi perſuaderent, nunquam fore, ut deficeret Petri fides. Petrum agnoſcebant Paſtorum caput, & origi-

nem eſſe, cui à Deo eſſet omnium ovium cura mandata, quemadmodum ex Chryſoſtomi, Cypriani, aliorumque teſtimoniis docui. Quid enim eo illuſtrius eſſe poſſit, quod eſt apud ſanctum Joannem Evangeliſtam ſcriptum? *Dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine: tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis; diligis me: Ait illi, Etiam Domine: tu ſcis, quia te amo. Dicit ei, Paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei, Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dicit ei, Paſce oves meas.*

His adducti teſtimoniis Eccleſiarum præfecti, Chriſti ovem non eſſe judicarunt, quæ à Petro non paſceretur, eamque ob ſententiam ſponte ejus Cathedræ ſeipſos ſubjecerunt, ac per eum in Jeſu Chriſti grege cenſeri voluerunt, univerſumque terrarum orbem crediderunt Petri ſucceſſoribus eſſe commiſſum.

**Nec verò neceſſarium eſt hoc loco, oſtendere, hoc caput, hoc principium, hanc originem atque radicem utiliſſimam eſſe, ut ſalva Eccleſia ſit, atque ùt ſit una, ut unum ubique ſentiat, pacemque & charitatem ſervet, quemadmodum juſſi ſumus. Fidelibus enim ſatis eſt Chriſti voluntas atque præceptum: quodque univerſi Epiſcopatus connexionem atque concordiam in Petro conſtituit Deus ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, eique totùm orbem atque omnes oves commiſit. Alij Epiſcopi ſane quidem ſunt, & coëpiſcopi: at non eundem nacti honorem, verùm Catholicæ**

Eccleſiæ Epiſcopo ſubjecti ipſi quoque: alioqui enim à grege alieni eſſent atque extra ovile.

Aliò verò principatus hic transferri non poteſt non ſolum unius civitatis, ſed ne univerſi quidem orbis conſenſione : ſiquidem ſtabiles ſunt atque immutabiles divinæ leges, nec Chriſti verba præteribunt.

Nec minus abſurdum eſt, orbem terræ dividere: quid enim aliud eſt, quam ſcindere Chriſti tunicam, & corpus ejus diſtrahere? quod apertè faciunt qui alibi quoque Oecumenicum collocant. Non enim, quemadmodum potuere Romanorum Imperatores ita univerſæ terræ Imperium dividere, ut Orientalibus oris Imperator Conſtantinopoli degens præeſſet, Occidenti qui Seniorem Romam incoleret, ita Eccleſiæ præfectura dividenda eſt : Verum Chriſti inſtitutione contenti eſſe debemus, qui unam radicem ac fontem Epiſcopatus eſſe juſſit, ac Beato Petro ejuſque ſucceſſoribus univerſum orbem mandavit. An enim una cum Imperio Pontificatus quoque ſummus transferri poteſt? quid ea re eſſet à ratione alienius? An non graviſſima eſſet in Chriſtum contumelia, ſi una cum rerum humanarum converſione, divinas quoque res vertere & transferre conaremur? ſtabile ac firmum oportet eſſe Petri privilegium, & ab eo regi populos omnes, atque adeò Epiſcopos ipſos, qui populorum gubernationem ſuſceperunt. Non hoc primùm Sancta Nicæna Synodus definivit, ſed præcepit Dominus, Synodus deinde illa declaravit, omnibuſque notum eſſe voluit, ſacerdotes omnes acceperunt. Hoc integrum oportet eſſe, atque inviolabile.

Cum cæteri verò Epiſcopi dignitate pares eſſent, conceſſæ prærogativæ ſunt Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, ne ob multitudinem præfectorum, præfectura ipſa tolleretur, ut præfectorum præfecti eſſent, uſque ad eum qui ſummus omnium eſt, cujuſque à Chriſto eſt poteſtas : utque præterea Beati Marci ſedes honeſtaretur, & prior Antiochiæ Petri Cathedra, & Jacobi Hieroſolymis, cum etiam ſibi Salvator paſſus ſit.

At vos, viri Byzantii, cum humano privilegio Patriarcha veſter aliis præpoſitus ſit, non ad imperandum, ſed ad præſidendum, contenti non eritis tanto beneficio, quod, cum non deberetur, vobis datum eſt in regiæ urbis honorem ? id non ſatis habebitis, verum aliena appetetis ? Non ut veſtri Patriarchæ cæteris imperarent, id illis privilegium datum eſt ; non ut res adminiſtrarent, vel Antiochenorum, vel Alexandrinorum, vel Hieroſolymitarum : ſed ut ordo præfecturæ eſſet, ut hoc quoque ornamentum vobis adderetur, qui Imperarorio ſolio decorati eſſetis : hoc enim Dei munus eſt, qui eo nobiliſſimo ſceptro vos honeſtavit, quod utinam perpetuum vobis ac proprium fuiſſet. Nam veſtræ res, veſtræ calamitates nos attingunt : dedecus & cladem communem exiſtimamus, quod hoſtis tantum potuerit, tantum ejus dominatio amplificata ſit.

Ille igitur honor meritò vobis datus. At honor Sancti Petri nec à quoquam hominum per gratiam concedi potuit, nec dignus fuit, quem ſibi Patriarchæ veſtri ſumerent, qui urbi veſtræ hoc fortaſſe piaculum intulerunt, quod nunc delere ac tollere in vobis poſitum eſt,

& Petri Cathedræ communiquе corpori reconciliari, pacem atque concordiam amplecti, contentionem omnem deponere, ſanctorumque Petri & Pauli, qui aperte contumelia affecti ſunt, benedictionem ad vos revocare.

Atque utinam *Ioannes*, veſter quondam Patriarcha, ſanctiſſimo Papæ urbis Romæ *Gregorio*, cujus vos Sanctitatem atque Doctrinam veneratione & honore ſemper proſecuti eſtis, eumque Gregorium *Dialogum* appellatis, quod Dialogos utiliſſimos conſcripſerit, qui etiam in Græcum ſermonem tranſlati ſunt: Utinam igitur ei Joannes obedire maluiſſet, quam pervicaciâ ductus à ſancta communione ſe ipſum abſcindere. Tunc enim Joanni adverſatus eſt Gregorius, non ſuperbiâ arrogantiâque elatus, modeſtiſſimus omnium Pontifex, atque in omni vita meditatus humilitatem, cum in ſanctiſſimis Monaſteriis ætatem egiſſet, quorum nonnulla ipſe ſumptu ſuo ædificarat: verùm Petri honorem zelans & pacem prædicans, omniumque hominum, quantùm in ipſo erat, ſaluti proſpiciens: ut ex iis cognoſci poteſt, quæ ad Mauritium Auguſtum, atque ad ipſum Joannem ſcripſit.

Hæc itaque ad Mauritium: *Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Ad Conſtantiā verò Auguſtam ſic ſcribit, *Etſi mea peccata tanta ſunt, ut pati talia debeam; Petri tamen Apoſtoli peccata nulla ſunt, ut veſtris temporibus pati iſta mereatur.* Gregorio dolet optimo jure, quod B. Petro contumelia inferatur, Joannis arro-

gantiâ, ad quem etiam ſcribit hoc modo: *Ipſe tantùm creſcere poteris, quantùm penes temetipſum decreveris. Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Ecce Fraternitas veſtra ſibi arrogat etiam aliena.* Aliena appetentem, & Petri Cathedræ injuriam afferentem objurgat moderatiſſimus Pontifex, atque æquiſſimus; verum hac in re cedendo, exiſtimabat juſtitiam & veritatem prodi, quemadmodum Patriarchis Alexandrino & Antiocheno ſcribit. *Humilitatem teneamus in mente: & tamen Ordinis noſtri dignitatem ſervemus in honore: quatenùs nec in nobis humilitas timida, nec erectio ſit ſuperba.*

Eum igitur qui ſibi *Oecumenici*, hoc eſt Univerſalis appellationem ſumpſerat, fraterne monet is, cui univerſus orbis erat permiſſus, qui tamen ſe non nominat Univerſalem, ne ſibi ſoli aliorum Epiſcoporum honorem ac poteſtatem tribuere videretur. Curam verò gerens omnium Eccleſiarum, diverſis per orbem Epiſcopis & preſbyteris & aliis clericis literas ſcripſit: ut intelligi poteſt ex ejus Epiſtolis, quæ nunc etiam extant, quibus de his, quæ quotidie ubique terrarum eveniebant, divino plane more, diligentiaque ſingulari pleraque ſanxit: ut ante ipſum quoque Magnus *Leo* fecerat, qui etiam *Anaſtaſio* Theſſalonicenſium Epiſcopo in Orientis partibus vice ſua fungenti multa ſcripſit, ex quibus perſpicuum eſt, toti terrarum orbi Leonem providiſſe. Hæc ergo ſcribit. *Quanta fraternitati tuæ à Beatiſſimi Petri authoritate ſint commiſſa, & qualia etiam noſtro tibi favore ſint credita, ſi vera ratione perſpiceres, & juſto examine ponderares, multum poſſemus de injunctæ tibi ſolicitudinis devotione gaudere. Quoniam ſicut*

*præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi: ut curam, quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adjuvares, & longinquis ab Apoſtolica ſede Provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes.* His ſimilia Beatus *Gregorius*, cujus modo feci mentionem, *Virgilio* ſcribit, Arelatenſium in Gallia Epiſcopo, quæ prætermitto, ne in re perſpicua longior eſſe videar.

Vos igitur, homines Byzantii, reveremini Senioris Romæ honorem, honorem matris veſtræ, non hominum beneficio conceſſum, ſed à Deo datum. An vobis prodeſſe poteſt Conſtantinopolitis, qui Roma profecti eſtis, atque iſtuc veluti Coloniæ nomine miſſi, & nova Roma appellari, in ſeniorem atque in Matrem contumeliam inferre?

Et quidem gratos filios ac pietate imbutos oportet parentum ſenectutem tueri, ac vos conveniebat metropoli Romę ob tantum honorem habere gratiam. Byzantium enim illa decoravit, fecitque, propter decus Imperii, Orientis arcem. Quam male conſuluiſtis qui eo adducti ſitis, ut matrem violaretis, pro eo ut ejus ſenectutem revereremini, meritiſque honoribus afficeretis, *Audi* (*fili mi*) ait Salomon, *diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Et rurſum, *maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.* Effugite maledictionem hanc, qua conſtricti, in graviſſimas calamitates incidiſtis, vim perpeſſi nefariæ feræque tyrannidis.

An non enim piaculum exiſtimatis eſſe,

Beatorum Petri & Pauli Martyrium, Romæque fuſum ſanguinem inhonorare; Petri contemnere poteſtatem, Domini mandatum pro nihilo ducere, ejuſque vocem gloriæ veſtræ poſthabere? At ſervis ſuis illatam injuriam Chriſtus ulciſcitur, quoſque orbi præpoſitos ſemel honoravit, à nobis homuncionibus contemni non patitur, qui præſertim tam multa eorum doctrina atque miniſterio beneficia acceperimus. Eorum benedictionem vel ſerò vobis reconciliate; veſtramque urbem ab hoc ſcelere liberate; atque intelligite, *Andream* quoque Patronum veſtrum atque interceſſorem ab iis injuriam accepiſſe, qui Petri primatum imminuerunt: ſiquidem nulla unquam invidia conſervis inceſſit, Apoſtolis Chriſti, verùm omnes mente una Domini voluntatem & ędificationem Eccleſiæ ſuper Beatum Petrum amplexi ſunt. Meminiſtis enim ejus, quod apud Sanctum Evangeliſtam Matthæum ſcriptum eſt: *Dicit illis Ieſus, Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Reſpondens autem Jeſus dixit ei, Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.*

Horum ſermonum, & aliorum, quos ante propoſui, ſententiam ut ſancti Patres acceperint, jam demonſtravi: ut nulla jam reliqua dubitatio eſſe poſſit de Beatiſſimi Petri ejuſ-

quæ ſucceſſorum authoritate, quæ humano conſilio infirmari nequit, non cujuſquam potentiâ, non converſione humanarum rerum ac regnorum, non ullo obtentu callide atque acute invento ad recuſationem præcepti dominici. Nam quæ nonnulli prætexunt, cavete ne vos decipiant, ac perſuadeant ab Evangelica doctrina deficere; abſcindi à ſancta communione, ſedeque Apoſtolica, & pace; quam nobis reliquit Dominus, & ſummo ſtudio coli præcepit.

Ne verò ſophiſticis & captioſis adinventionibus fallamini, ecce ſalutis Voſtræ oblviviſci non poteſt Sanctiſſimus D. N. Papa *Gregorius* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Beatiſſimique Petri ſedem nunc obtinens. Juſſit enim imprimi atque edi vobis ſanctam Oecumenicam *Synodum*, quæ *Florentinæ* ad communem charitatem ſanciendam habita eſt: quæque præterea à *Gennadio ſcolario* in eandem ſententiam ſcripta ſunt. Sanctiſſimi autem Pontificis ac vigilantiſſimi Paſtoris voluntatem & laborem adjuvans Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Cardinalis *Sirletus*, magnus ille vir, qui ætatem omnem in divinis oraculis, ſanctorum Patrum monumentis, Conciliorum Decretis, Eccleſiaſticiſque Hiſtoriis conſumpſit: hæcque omnia in latitudine ſui cordis inſcripſit, conſulit ſaluti veſtræ & reconciliationi, plurimumque adhibuit ſtudii, ut per homines peritos hæc diligenter correcta, atque excuſa vobis offerrentur.

Quamobrem hæc legite, & cogitate, dari vobis benigno paternoque animo, ab eo qui fratres ſuos confirmare juſſus eſt; cum nunc etiam vigeat ac polleat, nec vim ſuam ami-

ſerit Domini mandatum. Agnoſcite igitur Domini Jeſu Chriſti & ſancti Petri manum quaſi vobis porrectam, atque hæc omnia ſtudioſe evolvite, & æquis animis ac ſine contentionis ſtudio perlegite: & conſiderate, utros par ſit melius ſentire, eos, qui à Coryphæis Apoſtolis, Petro & Paulo ſint edocti, qui fidem Apoſtolicam tenent, ex verbis Domini nunquam defecturam, quorum fides ab Apoſtolo Paulo laudata eſt, an eos, qui ab illis olim longiſſime aberant, nec ſimiles promiſſiones habent, eoque contenti eſſe debent, ut eorum, qui antepoſiti ſunt, diſciplinâ erudiantur, piaque devotione Apoſtolicæ Eccleſiæ veſtigia ſequantur: hanc enim æquitatem ac moderationem amplectitur, eaque promeretur Deus.

Et quidem comperietis, ſanctiſſimos Patres, qui Orientis oras diſciplinis ſuis imbuerunt atque ornarunt, nobiſcum ſentire; nedum veteres Occidentis Doctores, *Hilarium*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Gregorium Papam*. Quanquam ne hos quidem contempſerunt ij, qui in Oriente floruerunt; quod ex *Theodoreti* & *Damaſceni* ſcriptis, Conciliorumque monumentis perſpicuum eſt: in eodemque honore, quo cæteros, habuerunt. Simul atque hæc diligenter meditati fueritis, intelligetis nos cum veteribus plane ſentire: præſertim ſi ſcripturas omnes perſcrutari volueritis: nec mordicùs tenere nudam litteram, ſed ſcripturæ ſententiam ſequi, omniaque inter ſe comparare, illorumque fugere errorem, qui, ut magnus ſcribit Athanaſius *nudam aliquam vocem à germana ſerie abſciſſam, ad ſuas ſtruendas opiniones trahunt, ei qua*

*declaratur, ſententia non ſervientes, verùm pravo artificio ſyllabis vim afferentes.* Hos etiam ait Theologus Nazianzenus, *Apoſtolicam quandam vocem ab univerſo dictionis corpore decerpere: An enim*, ait idem Athanaſius, *non expendam, quid fieri poſſit, quid conducat aut deceat, aut Deo ſit gratum, aut accommodatum naturæ, aut veritati conſentaneum, aut propoſito conſequens, aut aptum myſterio, aut pietate dignum?*

Sic enim cogitate, quæſo, non unum ſcripturæ locum tenendum eſſe, ſed multa inter ſe comparanda: ac perperam olim Arianos *homouſion* rejeciſſe, aliaſque voces à ſanctis Patribus ideò editas, quòd earum ſententia literis ſacris contineretur. In quo idem, quod nos, ipſi ſentitis, qui pravitatem Arianam nobiſcum deteſtamini, nonnullaque vocabula bene à Patribus inventa eſſe fatemini, qui non exiſtimarent ex una voce Theologiam ſanciri oportere, ſed diligenter multa conjungi, atque ſimul expendi. Ita enim cum cogitaſſent, duas in uno Chriſto naturas, divinam, atque humanam, & poſterius duas voluntates prædicarunt; cum ij qui aliter ſentirent, ab univerſo Scripturarum corpore nonnulla carperent, eaque ſuſque deque jactarent in ſuum, & eorum quos deciperent, exitium.

Quare ſi piiſſimorum Patrum veri eſtis filii, cogitate dictum eſſe à Chriſto, *Spiritum à Patre procedere*; idque eum dixiſſe, ut multis locis Patres affirmant, ne Deo repugnare videretur, atque ut Patrem prædicaret. Verum adjungite eundem dixiſſe *Chriſtum*, *De meo accipiet*, & dixiſſe ad Patrem, *Omnia tua mea ſunt*, & *Spiritum Chriſti* appellari.

Quod ſi rectè tenetis, unius ſcripturæ loci

prætextu, ex ſolo Patre procedere, qua ratione confutabitis impietatem Arianorum, qui illud nudum tenuerunt, & male interpretati ſunt, nec cum aliis ſcripturæ locis contulerunt, *Pater major me eſt?* Cum verò ectte eos execremini, ne illud quidem, quo tantopere nitimini, merum vocabulum tenendum eſt, reliqua prætereunda, nec ullo loco ducenda.

Hæc ego breviter adumbravi, quo vos horter, ut ea evolvatis, quæ nos vobis edimus, *Florentinum Concilium*, & *Gennadium*, ubi hæc accuratius invenietis explicata, ſanctorumque Patrum teſtimoniis confirmata.

Itidem de cura pro iis, qui in Chriſto mortui ſunt, agenda, vos à nobis diſſentire mirum eſt; cum tanta conſenſione Patrum noſtrum dogma firmatum ſit, ut totæ Orationes ſcriptæ ſint, ab *Athanaſio*, In eos qui obdormierunt; ab *Ioanne Damaſceno*, De iis qui dormierunt in fide. Quamplurima præterea teſtimonia collecta ſunt in iis quæ nunc Romana Eccleſia, quam Eccleſię Catholicæ radicem ac matrem eſſe oſtendi, vobis offert, ad pacem & concordiam vocans.

Nec enim recte habet, quod à muliere apud Salomonem dictum eſt. *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur.* Nam hoc ſcandalo nullum majus in Eccleſia oriri poteſt: *in qua*, ut beatus ſcribit Paulus, *in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus*: cuique Deus per *Eſaiam Prophetam* ita promiſit, *Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos juſtitiam.*

Quamobrem juſti præpoſiti atque Epiſcopi ſuum cuique jus tribuant, ac inferiorem lo-

cum & ordinem nacti, eo contenti ſint, nec ſibi obſtinate atque contentioſe potiores partes arrogent, cum intelligant, quod *nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatus eſt à Deo, tanquam Aaron.* Legitimus enim honor male adminiſtratus grave periculum eum honorem gerentibus affert: per vim autem & præterquam convenit uſurpatus honor, cum diabolum ſuperbiæ atque audaciæ authorem habeat, apertum exitium minitatur dementibus ac præfractis hominibus, qui mente ſana cogitare noluerint de hoc Apoſtoli præcepto. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt: Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Quod ſi hoc de omnibus poteſtatibus præceptum eſt, quid de ea poteſtate dicemus, quæ Jeſu Chriſti voce beatiſſimo Petro data, univerſum orbem atque omnes boni Paſtoris oves complectitur, Dominumque ipſum ultorem habet contumeliæ inſolentium hominum, & communem pacem aſpernantium? Quaſi enim Scripturæ atque adeò ipſa Theologia ad Eccleſiam Romanam non pertineant, & quaſi Petri fides defecerit, in tantam inſolentiam ac veſaniam impulſi ſunt ij, qui primùm ſe disjunxerunt ab Eccleſia parente Eccleſiarum omnium, ut Apoſtolicæ ſedi crimen impegerint ignoratæ veritatis ac fidei rectæ, idque nomine Latinorum.

Et quidem præterquam quod Eccleſia ſuper Petrum ædificata eſt, præterquam quod Petro claves cœlorum commiſſæ ſunt, & paſtus ovium & confirmatio fratrum, quæ om-

nia nec ad tempus data, & ſucceſſoribus Petri ſunt commiſſa: quam multi apud nos Monachorum ſunt chori, Sacerdotum, Theologorum, qui ſe totos in ſtudio ſcripturæ, & ejus interpretum collocarunt, otiumque nacti nihil aliud in vita pertractant? Veterum Doctorum, qui tum in Oriente, tum in Occidente floruerunt, monumenta leguntur, expenduntur, in Eccleſiaſticis conventibus ac diſputationibus celebrantur. Clariſſimæ Academiæ in omnibus noſtri orbis oris apertæ ſunt iis, qui rerum divinarum atque humanarum ſcientiam adipiſci cupiunt, ſuppeditato liberaliter ſumptu à Regibus, à Civitatibus, à Dynaſtis: Et nos ut veritatis imperitos damnabitis? ut expertes Theologiæ, & vetuſtę magiſtrorum diſciplinæ ignaros?

Harum ſane copiarum noſtrarum caput eſt Apoſtolica Sedes, à qua libenter pendemus, Domini noſtri Jeſu Chriſti confiſi promiſſis, ejuſque pręceptum reverentes, & Beato Petro honorem habentes, ut præſenti, & alumnos ſuos, oveſque obſequentes etiam nunc erudienti, atque paſcenti. Nam hoc Deo gratum, hoc ſanctum eſt iis, qui ſermones Domini colere, in iiſque manere decreverunt. Deus, qui pacem ſuam nobis dedit, quique ſecundum Pſaltem Prophetam *habitare facit unius moris in domo,* omnia perficiet. Vos quidem non oportet hæc contemnere, ac pro nihilo ducere; ſed maximum ſtudium adhibere, ne radicis & capitis Eccleſiæ Catholicæ ſitis expertes.

# PARS SECUNDA.

## *De juſta Occidentalis Imperii ab Orientali, diviſione & inſtitutione: Græcorum altera Schiſmatis cauſa.*

Datam Beato Petro poteſtatem ad totius gubernationem Eccleſiæ vobis demonſtratam eſſe arbitror: ut nulla reliqua cauſa ſit, cur recuſet quiſquam obedire Pontifici, cui commiſſus eſt univerſus orbis. Præceptum Domini eſt, quem nobis ſervis ſuis rationem reddere non oportet, ſed poteſtatem habere omnia arbitratu ſuo imperandi, domumque ſuam libere adminiſtrandi; cujus domus cum expertes non eſſetis, tamen ſegregaſtis vos, ac ſponte à communi corpore abſcidiſtis, extra quod non vita, non ſalus, non ſpes ulla beatitudinis eſſe poteſt: Nos verò qui non receſſimus, ſed in ſubjectione permanſimus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopi, experiendo didicimus, utiliſſimum eſſe, concordiam perpetuam ſervare, & omnes inter nos conſentire, uni Pontifici parentes, unamque Eccleſiam caput Eccleſiarum omnium colentes.

Quid enim ad concordiam & ad pacem accommodatius eſt, quam huc undique miſſos convenire Regum, omniumque Provinciarum & Civitatum Legatos ad teſtificandam obedientiam, quam totus orbis ſponte Pontifici præſtat? Nam cum pacis, communiumque temporum quietis cauſa, concordare oporteat inter ſe omnes orbis Reges ac Dynaſtas,

omneſque Provincias, an non perſpicuum eſt, multò faciliorem omnium conſenſionem eſſe, uno judice atque arbitro controverſiarum omnium, quæ exoriri poſſint?

Hoc igitur aſſequimur mittentibus omnibus Legatos, ad hanc orbis terræ arcem, qui cum ſummo Pontifice & ſacro Senatu de iis rebus, quæ quotidie eveniunt, agant, domumque vel ſcribant, vel renuncient, quid communi arbitrio placitum ſit. Quid verò? quoties putatis hos rerum omnium arbitros vel pacem rumpi cœptam conſervaſſe, vel prima incendia belli oppreſſiſſe, vel concordiam ex ſeditionibus periculoſiſſimis conciliaſſe? Reverentur enim omnes, idque optimo jure, ejus Pontificis arbitrium, cui permiſſa ſunt omnia, ejuſque judicium pro voce Dei accipiunt, decreta amplectuntur; magnamque ſpem habent, hanc obedientiam ſibi res ſecundas allaturam eſſe. Quid divinius eſſe poteſt, quam ut humana in ſacerdotum Dei authoritate ſint, & cœleſtibus terrena cedant, & Regum vis conſilio voluntatique Pontificum obſequatur? Sacerdotio enim animarum ſalus commiſſa eſt, & ab eo perficitur: humana verò, & mundana gubernare, eſt Regum.

Verùm in fœlicitate magna ducendum eſt, ipſos Reges parere ſacerdotibus, idque obſequium & honorem putare ſaluti ſibi fore, atque utilitati: Nam ita Chriſto ſerviunt, Chriſto obſequuntur, Chriſtum rerum ſuarum ducem & authorem habent, cum præſertim intelligant, eximiam principi Apoſtolorum Petro poteſtatem à Chriſto datam eſſe, ac Petrum in ſucceſſoribus ſuis meritò honorari.

Sic olim Francorum Rex *Carolus* ille *Magnus*; ſic ejus pater, *Pipinus*, & avus *Martellus* amplificati ſunt, Imperiique ſui ditionem propagarunt. Nam cum Deum ejuſque Eccleſiam honorificaſſent, ab eo ſunt glorificati, ſuæque pietatis pręmia fœliciter acceperunt. Sic paucis abhinc ſeculis reges Hiſpanorum ac Luſitanorum cum Romanæ Eccleſiæ egregios honores habuiſſent, Imperia ſua longe protulerunt, multis Indorum ſubactis nationibus, & ad Chriſti fidem adjunctis.

Non per vim Reges Romanæ Eccleſiæ parent, non armis victi atque oppreſſi: libentes ac volentes in Eccleſiæ authoritate ſunt, ſponte obſequuntur. Quis igitur non dicat, divino eos numine commotos ad Eccleſiæ ſe authoritatem adjungere? Ita honoratur Petrus, ita Chriſtus. Ad Deum enim referuntur honores Regum erga Eccleſiam, Deum glorificant in ipſius ſervis.

Et verò iniquum eſt, vos eum honorem, eam fœlicitatem Romanæ Eccleſiæ invidere: Nam quemadmodum nos ex veſtris miſeriis & calamitatibus dolorem capimus, Deumque aſſidue oramus, ut his vos malis clementiâ ſuâ liberet: ita veſtrum quoque eſt, rebus Eccleſiæ Romanæ ſecundis lætari, & à Deo ei precari perpetuum hujus fœlicitatis fructum. Nec anguſtis animis oportet ob linguæ diſcrimen vos à nobis diſſidere.

Mirum prætereа eſt, Latinos idcircò vobis odio eſſe, quod in Occidente Imperator olim deſignatus ſit. Quis enim veterum hiſtoriarum cognitione eruditus ignorat, multas in omni memoria commutationes Imperiorum fuiſſe, nec fieri poſſe, ut eundem ſemper ſta-

tùm humanæ res habeant ? quis hunc rerum humanarum motum ſiſtere poterit ? quis incuſare audebit Deum, hac inſtabilitate rerum nos ad ſuperna & ad divina vocantem ?

Et quidem neceſſe habuerunt Archiepiſcopi Senioris Romæ, cum communibus temporibus veſtri Imperatores non opitularentur, aliud ſibi incolumitatis ac ſalutis perfugium quærere. Univerſam propemodum Italiam Gotthi olim in ditionem ſuam redegerunt: nec eorum impetum veſtri Imperatores ſuſtinere potuerunt. Hi cum divino auxilio deleti eſſent, multò formidoloſiores irruerunt in nos Longobardi: cumque magnam Italiæ partem ſub imperium ſuum ſubjunxiſſent, multis malis atque incommodis Romanam Eccleſiam affecerunt. Nec tum Romæ opem ferre potuerunt Conſtantinopolitani Imperatores. In populatione & vaſtitate Italiæ quieſcebant, nec magnoperè laborare videbantur, quidnam ageremus. Quid igitur tum fieri oportuit ? an ſummum excidium exitiumque pati ? at ignavorum id hominum eſt, & oblitorum virtutis.

Quamobrem auxilia *Pipini* & *Caroli* ſapienter expetivere Romani Pontifices, eorumque ope ac præſidio incolumitati ſuæ conſuluerunt, communemque Italiæ libertatem aſſeruerunt. Cum itaque *Martellus* cum Saracenis fortiter fœliciterque pugnaſſet, multaſque de illis victorias reportaſſet, ac *Pipinus* poſtea ejus filius è Gallia in Italiam veniſſet, Longobardos viciſſet, libertatemque reddidiſſet Apoſtolicæ Sedi, univerſæque Italiæ: *Carolus* Pipini filius, Martelli nepos, patrum imitatione ſuſcepta, rebellantes Longobar-

dos, & Italiæ ſervitutem intentantes oppreſſit, magniſque periculis Apoſtolicæ Sedis Pontifices liberavit, res turbulentas in tranquillum reduxit ſtatum, Eccleſiæque pacem reſtituit.

Quare cum Imperatores Conſtantinopoleos, Occidentis regionibus non ſubvenirent, nec Barbarorum impreſſionem propulſarent, Galliæ autem Reges Eccleſiæ eſſent auxilio, communique ſaluti proſpicerent: nonne par erat, & tuta in poſterum præſidia comparare, & gratiam bene meritis heroibus referre?

Cum ergo *Carolus* Romam poſt multas victorias & trophæa veniſſet, communi omnium ſententiâ & voce *Imperator* appellatus eſt, nullâ adhibitâ vi, nulla ſuaſione: verùm Deo ſtudia omnium hominum commovente, eximiumque honorem præſtanti virtuti referente.

Non Imperio, tum à *Carolo* privati ſunt veſtri Imperatores. Quid enim ad illos Occidens pertinebat, cui nihil opis ferrent, ſed à Barbaris vaſtari paterentur? Jam Longobardi potiti erant Italia, *Papiam* regiam urbem deſignarant, atroceſque minas intendebant Apoſtolicæ Sedi, quieſcentibus Imperatoribus veſtris, nec ſe ullo modo excitantibus ad auxilium Eccleſiæ Romanæ Italiæque afferendum, & ad communes hoſtes repellendos.

Itaque ad illos nihil Occidentales oræ, nihil Italia attinebat, quam Barbari ita tenerent, ut populatione facta domum reverſuri non eſſent, ſed eam patriam jam ſuam ducerent, nec ea unquam cedere cogitarent.

Nullâ ergo injuriâ Imperatores Orientis *Carolus* affecit; ſed victis Longobardis, egre-

giæ virtutis maximorumque meritorum præmium tulit Imperatoriam dignitatem, Occidentalibus Eccleſiæ partibus præſidio futurus, ac defenſor Religionis ipſe, eique ſucceſſuri Imperatores & Reges.

Quare æquum non eſt, vos ipſius cauſa Latinis eſſe infenſos, quaſi ab iis injuriâ ſitis affecti: meminiſſe potius gratis animis oportet, incolumem tum Eccleſiam per *Carolum* fuiſſe, qui eam à Barbarorum ſcelere & crudelitate liberarit. Amate potius & amplectimini ipſius, & ejus majorum virtutem, qui & Saracenos propulſarunt, nec Longobardos paſſi ſunt Italiâ potiri, injuriaſque inferre Eccleſiæ Romanæ, Chriſtianorum omnium parenti & magiſtræ. Quæ res in Occidente fortiter geſtæ, lætitiam Orientalibus populis afferre propterea debuerunt, quòd ſi cui corporis membro bene eſt, cætera membra voluptatem percipere oportet.

Æquitatem igitur animorum tandem ſuſcipite, deponite injuſtum odium, conjungite vos cum Eccleſiæ Capite, Beati Petri throno reconciliamini; quique pie deteſtamini hujus ætatis hæreticos, aggreſſos orthodoxam fidem labefactare, cogitate nefarios ejuſmodi homines hoc omnium ſceleſtiſſime auſos eſſe, ut Eccleſiam Romanam blaſphemarent atque inhonorarent. Cum enim Sacramenta Chriſtianæ fidei conculcarint, ſanctiſſimum altaris Sacrificium contumeliis affecerint, diſſiparint ſanctorum reliquias, Religionem monachorum & ſacerdotum contempſerint: execrantur Eccleſiam Romanam, retinentem in primis hæreditatis paternæ, & Eccleſiaſticæ traditionis, exemploque & authoritate ſua

hortantem omnes Provincias ad opem veræ fidei ferendam, & antiquam diſciplinam conſervandam.

Cum illis nefariis perturbatoribus orthodoxæ Religionis vos conſentire; veſtraque ſententia illorum amentiæ & impietatis adjutores fieri par non eſt. Nos potius omnes convenit, conſentientes inter nos, veritatem deffendere; hæreticæ perverſitati reſiſtere; pacem tueri; diſcipulos ejus eſſe, qui beatificavit pacificos; piæque voluntatis ac devotionis mercedem expectare ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui cum Patre, & ſancto Spiritu ſit gloria nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, *Amen*.

# PETRI MORINI
## PARISIENSIS,
### ORATIO AUSPICALIS REGII LEPIDI HABITA Anno M. D. LXXI.

*Cum Publicarum explicationum munus iniret.*

SVſcepti muneris partes, hodierno die primum obiturus, Ornatiſſimi Humaniſſimique Auditores, Deum immortalem divoſque omnes, qui huic urbi veſtræque ſaluti, & incolumitati præſident, ſummo ſtudio, & quanta maxima poſſum animi religione precor, ut longo, vel potius nimio intervallo repetita hujus loci publicis diſputationibus celebrandi conſuetudo, perpetuam ac propriam vobis omnibus, univerſæque civitati lætitiam afferre poſſit. Fuerat quidem in primis optandum, ne *Regienſe Gymnaſium*, ingenuarum artium, & diſciplinarum tractationi à Majoribus veſtris attributum, muſiſque conſecratum, tamdiu vel temporum iniquitate, vel penuria Profeſſorum, vel eorum tenuitate honoris, horridum ſitu & ſolitudine, Doctoriſque voce ac celebritate orbatum, jaceret atque obſoleſceret,

Id verò cùm minimè contigerit, maxima habenda eſt clariſſimis hujus civitatis Magiſtratibus gratia, cæteriſque præſtantiſſimis, & Reip. amantiſſimis civibus, quod in eam curam incubuerint, ut priſtinum nobilis palæſtræ colendæ & celebrandæ inſtitutum tandem aliquando renovaretur: qui quidem viri, qua voluntate & ſtudio fuerint ad Remp. adjuvandam, ſi eadem fortuna in Doctore nanciſcendo fuiſſet, ſingularem veræ, & perpetuæ inter vos gratulationis, & lætitiæ cauſſam vobis attuliſſent.

Verum iis & à vobis multum debetur, quòd ſtudium officiumque ſuum, ut debuerunt, præſtiterunt; & ignoſcendum eſt, quod non eum acciverunt, qui pro hujus civitatis nobilitate & ſplendore, ſuperiorumque Profeſſorum exiſtimatione ac nomine, tantum munus ſuſtinere poſſet: Sed qualiſcumque, & quantulacumque doctrina præditus, in hac temporum infecunditate reperiri potuit, accercendum eſſe judicarunt.

Ego verò libentiſſimè confiteor, & verè ingenuéque præ me fero, egregio me eſſe ab illis honore affectum, quod ad hoc officium nobiliſſimarum artium explicandarum, eorum ſententiâ, voluntate, juſſu ſim vocatus. Quid enim mihi iſto in me judicio clariùs, honorificentiuſque accidere potuit? Singulariter, mihi credite, lætor, operam, diligentiam, officiumque meum navandum eſſe ei civitati, cui in colenda Religione officiorum omnium vel primæ deferantur. Ac quamvis intelligam nihil ad laudem famamque virtutum veſtrarum adjungi oratione mea poſſe; tamen à vobis peto, ut quæ apud cæteros homines peruagata

gata & celebrata ſunt, quæque ego, qui de ſingularum nationum, civitatum, hominum laudibus, ubicumque ſim, perlibenter ſciſcitor, audiendo accepi, æquis auribus patiamini aliqua ex parte à me commemorari.

Nam quis eſt, quæſo, omnium mortalium, cui incredibilis veſtra & ſingularis humanitas ac naturæ liberalitas nota non ſit? Quàm multi, qui hac iter habuerint, à vobis omni genere officiorum & commodorum benigniſſimé accepti & tractati ad ſuos, alius aliò, largitatis ac magnificentiæ veſtræ famam pertulerunt? Ac certè optimè cecidit, & à natura, prudente rerum gubernatrice, comparatum eſt, ut qui vel ex ulterioribus civitatibus Galliæ Ciſalpinæ, vel ex Tranſalpinis pleriſque nationibus Romam aut religionis, aut ſacri oraculi, aut juris ſui obtinendi cauſſa proficiſcerentur, per hos fines iter facerent, ubi veſtro hoſpitio liberaliſſimè excepti, & ex itineris longinquitate, moleſtiaque recreati, curſum reliquum facilius leviuſque ferre, & conficere poſſent.

Quibus officiis non ſolum apud ſingulos homines, ſed etiam apud Chriſtianam Remp. atque adeò apud Deum Opt. Max. rectiſſimè, ac tutiſſimè collocatis, quid aſſequamini, quantum ſpei bonorum æternorum concipiatis, & vos intelligere arbitror, & ego, ut ſentio, verè liberéque dicam. Hi homines ad ſacram Urbem contendentes, dominam nationum, gentiumque omnium, arcem religionis, domicilium veræ, & incorruptæ diſciplinæ, cum in fide ac tutela principum Apoſtolorum ſint, cumque ſummus Pontifex quotannis diris omnibus, & execrationibus eo-

rum injuriam, ac ſcelus perſequatur, qui hos violaverint, annon eadem mente, eodemque nutu, tacitus vobis, à quibus ſingulari benignitate recipiuntur atque habentur, fortunas ſalvas, atque florentes optat? Sanè quidem.

Hoco loco non dicam pluribus, (Auditores Optimi) nobiliſſimorum hominum liberalitem, & egregia ſtudia in me, cum huc proxime veniſſem, conſtitiſſe: quòd nec illi pro animi ſui magnitudine, cui officii fructus ipſum eſt officium, hanc à me commemorationem deſiderent: & ego non tam verbis habendam eſſe gratiam ſtatuam, quàm re ipſa, & officii renumeratione perſolvendam. Hoc tamen tacitus nullo modo præterire poſſum, me tredecim circiter abhinc annis, cum Ferraria huc veniſſem, hominis honeſtiſſimi è gente *Marcellorum*, familiaritate, & hoſpitio complures dies uſum eſſe, cujus eximia in me ſtudia atque officia ſingulari humanitate conjuncta extiterunt. In quo ego homine eam vitæ morumque religionem, eam ſanctimoniam, ac doctrinam perſpexi, ut ejus memoria (nam hic paucis annis Venetiis, cum in ſanctiſſimo Jeſuitarum ſodalitio eſſet, ad ſuperas ſedes ex hac vita migravit) in animo meo ſemper infixa effecerit, ut Regienſes homines, ubicumque in eos incidiſſem, ſumma benevolentia & charitate complecterer: eademque viri optimi, ſanctiſſimique recordatio proximè magnos mihi ſtimulos addidit, ut huc, quo meam vobis fidem & promiſſum officium præſtarem, quamprimum contenderem.

Qua igitur in civitate tantum humanitatis,

tantum officii & munificentiæ ſit? quis non lætetur apud eam civitatem laborem ſuum, operam, diligentiam, induſtriam eſſe ponendam? Cujus non ſit voluntas, cura, ſtudium ad omnes omnium nutus, & voluntates promptum ac paratum? Quid autem dicam, quàm multi hac in urbe ſint, præſtanti doctrina, & literarum diſciplinarumque omnium ſcientia præditi? neque togati ſolum, qui ſunt innumerabiles, ſed etiam ſago, & militari habitu ornati? Singulos nominatim appellare geſtit animus: pudor eorum, modeſtia, rerumque humanarum, ac præſentium laudis & gloriæ deſpicientia prohibet. Hi enim in univerſa orationis meæ commemoratione facilè ſe latere, & animadverſionem memoriamque veſtram effugere poſſe arbitrantur, apertamque mentionem nullo modo ferrent.

Sed tamen huic civitati glorioſum eſt, in ea aliquot extitiſſe, qui cum eorum vitæ ratio videretur à ſtudio doctrinæ abhorrere, cum iis ſatis eſſe poſſet, ſi vel vulgo docti & eruditi eſſent, ſtudio diligentiaque perfecerunt, ut iis, qui idem ſtudium ſecuti ac profeſſi ſunt, vel præferri poſſent, vel certè comparari. Inde factum eſſe & vos ſcitis, & ego perſpexi, ut & Latinarum, & Græcarum, & Hebraicarum literarum cognitio, & rerum divinarum atque humanarum, reliquarumque diſciplinarum ſcientia in iis minimè deſideraretur, qui eas ſe artes & literas tenere non profiterentur, quorumque potius inſtitutum, & forenſis vitæ ſpecies videretur ab earum diſciplinarum expolitione, ac perfectione aliena eſſe.

Omitto Juris legumque omnium pruden-

tes, nobiliſſimos homines, qui & domi partim in Rep. ſumma cum laude gerenda, partim in civium, clientumque ſuorum cauſſis, defendendis verſantur, & foras ad res gravitate, auctoritate prudentiaque ſua judicandas per quam honorificè accerſuntur.

In Medicorum ordine: an non habetis, qui rerum naturæ intelligentiam & peritiam ad ſuum officium adhibentes, quicquid à quotidianis occupationibus datur otii, in diligenti rerum obſcurarum atque abditarum inveſtigatione conſumunt?

His ego hominibus doctiſſimis, atque humaniſſimis, & variis doctrinæ generibus expolitis, ſtudium meum, & laborem perlibenter dico: eorum liberis, lectiſſimis adoleſcentibus, domeſtica diſciplina, gravi & ſancta, ut ingenuos decet, eruditis, benevolentiam, officiaque mea præſto futura eſſe polliceor, atque recipio: ab iis præſidium, opem, conſilium, præcepta etiam de ratione mei muneris ultro ipſe petam: ad eos, ſi quid dubitabo, referam: authoritatem ſequar, judicium amplectar, voluntati & conſiliis obtemperabo: quòd & talium virorum ſententiam plurimi, ut debeo, faciam, & vos ex eo numero aliquot probatiſſimis viris, rei literariæ, totiuſque Philoſophiæ judicium, & poteſtatem veſtris ſuffragiis permiſeritis.

Quibus hoc loco ſummas gratias & habeo, & ago, quòd me, qui tantulo doctrinæ inſtrumento eſſem præditus, tamen ſpectatum ſibi ac probatum eſſe, uno conſenſu & ore, vobis, clariſſimi Decuriones, & univerſæ civitati declararunt.

Nec verò Chriſtianæ diſciplinæ ſumma re-

ligio in animis veſtris innata, & inſita à me prætermittenda eſt. Quod pietatis ſtudium cum cæteris in rebus omnibus oſtenditis, tum in eo potiſſimum, quòd Eccleſiæ inſtituta, ritus, cærimonias ſanctiſſimè colitis, & diligentiſſimè tuemini, ab ſedis Apoſtolicæ auctoritate vel digitum tranſverſum diſcedere nefas eſſe putatis, res divinas, ſacraque omnia à majoribus tradita, religioſiſſimè obitis, atque celebratis, & in eandem conſuetudinem liberos veſtros à prima ætate paullatim adducitis.

Hoc quidem certè de vobis plurimorum ſermone, & fama celebratur, quod reliquos mortales mira nominis veſtri charitate devincit, nullam eſſe civitatem, quæ iis, qui ex hac vita diſceſſerint majori religione, juſta perſolvat; vos, inquam, fama eſt, majoribus veſtris frequentiſſimè & ſtudioſiſſimè parentare: ut egregia veſtra pietas in eo declaretur, quod ſimul & iis, unde orti eſtis, inferiarum officium juſtum debitumque præſtetis, & accerſendis publicis Profeſſoribus nobilium diſciplinarum poſteritati conſulatis, ac ei, quæ à majoribus beneficia accepiſtis, diligenter reddatis.

Dies me deficiet, ſi reliquas hujus civitatis laudes oratione velim perſequi, ſi commemorare bellicorum facinorum gloriam cum veterem, tum recentem, fœdus ac ſocietatem cum Ferrarienſi Imperio, antiquiſſimo & clariſſimo, ubertatem agrorum, pulchritudinem Urbis, ædium ſacrarum amplitudinem & magnificentiam, ut inter vos maxima concordia & animorum conſenſione devincti ſitis, ac primarii viri cæterique

Patricii tenuem plebem benignè tueantur, ejuſque commodis & fortunis conſulant, ut ipſa plebs contrà, nobilitatem colat atque obſervet, viroſque principes in parentum loco & patronorum ducat.

Quæ optima ac ſanctiſſima Reip. noſtræ inſtituta, Viri Ornatiſſimi, & hanc vobis pacem, atque otium, admirabilemque ordinum omnium, & generum conjunctionem pepererunt, & alios homines ad hanc civitatem ſingulari benevolentia atque obſervantia complectendam adduxerunt.

Hac ratione, & humanitatis, ſuavitatiſque veſtræ dulcedine huc *Cœlium Rhodiginum*, *Baſſianum Landum*, *Sebaſtianum*, *Conradum*, *Luiſinum*, *Bargæum*, *Camillum*, proxime muſis cara capita, pellexiſtis, retinuiſtis, & beneficiis veſtris atque honoribus obſtrinxiſtis. Quorum ego virorum memoriam in animis veſtris hærere vehementer lætor, & veſtram grati in eos animi ſignificationem amo, & amplector: neque vereor, humanitate veſtra & prudentia fretus, ne talium tantorumque hominum recordatio luminibus meis officiat. Nam ſi eorum grata vobis fuit, & jucunda eruditio non ſolum ipſorum merito, ſed voluntate etiam & liberalitate veſtra: mea vobis fides, induſtria, diligentiaque præſtabitur, & ut ſpero, eadem voluntate probabitur.

Meo verò labori, qui in rem & utilitatem veſtram, Optimi & modeſtiſſimi Adoleſcentes, impendetur, vos labore item veſtro, attentione, diligentia, aſſiduitate reſpondebitis. Cùm enim à parentibus ſuſcepti, & educati ſitis, ut Remp. quam incolumem

ac florentem à majoribus acceperunt, vobis tuendam, & propagandam tradant, ut publici conſilii vel principes ac duces, vel participes ſitis, ut & ad res judicandas adhiberi, & civium veſtrorum clientumque cauſſas ſuſcipere, tuerique poſſitis, ut orbi Chriſtiano, Eccleſiæ Romanæ, Ferrarienſi Imperio, huic civitati, virtute veſtra præſidium & adjumentum afferatis: ſic habetote, mihi credite, credite vel parentibus veſtris, quorum voluntatem, atque auctoritatem plurimi & facitis, & facere debetis, qui in poſterum, atque adeo in æternitatem conſulentes de vobis laborant, ſaluti veſtræ, nomini, amplitudini, fortuniſque omnibus proſpiciunt, quos plus videre fatemini, quam vos ipſos, & charitatem veſtri vita ſua pluris ducere: credite, inquam (Ingenui Juvenes) iſtas, quas dixi artes ab iis fontibus, quos aperiam & oſtendam, omnes promanare.

Literæ ac diſciplinæ liberales percipiendæ vobis, ſummoque ſtudio diſcendæ ſunt, ſi virtutem, ſi dignitatem, ſi laudem ſpectatis, ſi quos animos genere, & ſanguine veſtro dignos concepiſtis. Si quæritis exempla, *Cyrum*, & *Ageſilaum* Xenophontis, principibus Romanis, domitoribus orbis terræ, quanto adjumento, & documento fuiſſe putatis? *Alexandrum Macedonem*, qui perpetuis victoriis univerſam Aſiam peragravit, annon ſcitis heroum fortitudinem, prudentiam, eloquentiam, virtutes omnes ab *Homero* expreſſas ſtudioſiſſimè imitatum eſſe? Præceptis potius *Ariſtotelis*, quàm Macedoniæ, Græciæque copiis & opibus inſtructum, Aſiæ bellum intuliſſe, terrarumque omnium Im-

perium cogitatione, & ſpe comprehendiſſe: Ut *Themiſtoclem* mittam, ut *Alcibiadem*, magnos homines, ſed qui in calamitates & incommoda ſponte incurriſſe videantur, nec in ſecundis rebus temperare ſibi potuiſſe; *Pericles* utriuſque ætati conjunctus, tot annos Athenienſium longè princeps, doctrinæ cupiditate fertur in primis arſiſſe, cum etiam ſtudio ſuo ſpeciem Lyræ prætexeret.

Alunt hæ diſciplinæ ingenium, prudentiam confirmant, clariſſimam lucem conſiliis noſtris & factis præferunt, ad quamlibet vitæ rationem ineundam & perſequendam certiſſimæ duces ſunt, & conſiliariæ fideliſſimæ. Ne Romanorum afferendis exemplis longior ſim, *Marius* Italiæ conſervator, qui literatum ſe & omnis doctrinæ rudem eſſe gloriabatur, ſi animum ſuum his artibus imbuere excolereque voluiſſet, longè ſedatiorem & quietiorem ſenectutem magno Reip. bono traduxiſſet. Etenim didiciſſet, rerum gerendarum modum aliquem, & finem eſſe oportere; communi tranquillitati & otio, non cupiditati propriæ & potentiæ conſulendum; alienam virtutem, quæ ſe ad propagationem Reip. offerat, alendam eſſe, non opprimendam; moderato animo gloriæ ſerviendum, favendum etiam laudi neceſſariorum, vel potius bonorum omnium, & eam laudem ad ſe quoque redundare cuique exiſtimandum.

Hæc ego liberè dixi de Mario: quanquam eum ſcio à municipe ſuo mirificè laudari. Summa virtute fuit, induſtria, patientia, labore, bellicarum artium præſtanti ſcientia. Hæc ſtudia, quæ tam opere contempſit, eas

omnes artes, & virtutes optimè gubernaſſent. His *Lucullus* imbutus, & doctrinæ præſidiis munitus effecit, ut ne rudis & tyro ad imperium gerendum accederet.

His veteris memoriæ exemplis, cæteriſque innumerabilibus commoti, Nobiliſſimi Adoleſcentes, liberaliores diſciplinas ſummo ſtudio, cura, diligentiaque capeſſite, in hæc incumbite ſtudia, quæ vobis ſint in omni vita tantum decoris, & utilitatis allatura; ſi per ætatem vobis minus conſulere poteſtis, at certè conſiliis majorum natu obtemperate, & ætatis, conſiliique veſtri infirmitatem, eorum prudentiæ regendam ac moderandam permittite.

Hæ vos literæ, quodcumque vitæ genus ſequemini, adjuvabunt; Nam quod nonnulli ad Juriſprudentiæ diſciplinam humanitatis artes non adhibent, nec ullam politioris doctrinæ certam rationem ſequuntur, vehementer errant. Num enim tandem *Servii Sulpitii*, Juriſperiti graviſſimi, doctiſſimi, perantiqui, authoritatem & exemplum contemnunt? Quàm multam ille operam conſumpſit in Dialectis? Quæ etiam *Trebatius*, clarus in primis Juris Civilis ſcientia, authore Cicerone deguſtare voluit. Eademque ætate *Tubero* ad Juriſprudentiæ tractatum his artibus uſus eſt. *Labeonem* quidem Pomponius prodidit, quod ſapientiæ ſtudium ſuum dediđiſſet, ſuperiorum inventa illuſtrare eſſe aggreſſum. An exiſtimatis *Nervam* ſine ulla elegantiorum literarum cognitione penè puerum de jure publicè reſponſitaviſſe? Quid? quod veteres omnes, quos juris & æquitatis magiſtros habemus, Poëtarum, Phi-

loſophorumque monumenta ſummo ſtudio lectitarunt? ac *Homeri*, *Hippocratis*, *Ariſtotelis*, *Theophraſti*, *Chriſippi* teſtimonia & auctoritates ad deſcriptionem Juris adhibuerunt?

Quorum igitur præcepta, prudentiſſimaque reſponſa vobis, Optimi Adoleſcentes, cognoſcenda & percipienda eſſe intelligitis, eorum doctrinæ rationem imitamini: amplectimini artes nobiliſſimas, & liberis, ingenuiſque hominibus digniſſimas: his vos oblectate, & exiſtimate eam veram eſſe voluptatem, quæ majores in dies voluptates, & utilitates uberiores pariat. Cæteræ voluptates, corporis, ludorum, oblectationumque inanium citò prætervolant, ac doloris ſæpè & laboris materiam relinquunt. Hæc jucundiſſima eſt otii noſtri oblectatio, vetuſtatis monumenta inveſtigare, artes tot ſeculis inventas & perfectas, paucis annis animò complecti, è vetere memoria exempla benè vivendi depromere; cognoſcere quid antequam natus ſis, vel potius quid poſt hominum memoriam factum ſit; antiquorum ſcripta pervolvere, adeo plena prudentiæ, elegantiæ, humanitatis ac leporis, ut ea nulla unquam vetuſtas, nulla hominum oblivio delere potuerit. Nam cum monumenta antiquitatis pleraque temporum injuriâ, & diuturnitate interierint, ſcitote, optima quæque ac politiſſima ad hanc ætatem ſalva perveniſſe: ut in iis, quæ interciderunt, nihil damni factum ſit, modo veniâ temporis, quo plurima conſervata ſunt, & beneficio utamur: accuſandi etiam, & ſummæ negligentiæ inertiæque condemnandi, ſi, cum librorum interitu de noſtro labore

tantum detractum ſit, literas ſuperſtites cognoſcere pigeat.

Ad hanc tractationem antiquitatis, plenam voluptatis & oblectationis humaniſſimæ vobis, Adoleſcentes ingenui, auctorem me, ducem, & adjutorem fore polliceor: domi, foris, omnibus horis operam meam, curam, ſtudium offero, libentiſſiméque profiteor. Nihil omnium rerum gratius, jucundiuſque mihi poteſt accidere, quàm ut parentes veſtri, quorum omnis cura & cogitatio in ſpe veſtræ dignitatis utilitatiſque conſumitur, vos meis laboribus auctos eſſe aliquando gaudeant. Vobis autem omnibus, Viri nobiliſſimi, Auditores humaniſſimi, maximas gratias ago, ſumque immortales debiturus, quòd cætu veſtro & conſeſſu frequentiſſimo atque ornatiſſimo, primus ingreſſus mei muneris celebratus & honeſtatus ſit.

# PETRI MORINI PARISIENSIS,

## ORATIO II.

## AUSPICALIS REGII LEPIDI HABITA. Anno M. D. LXXI.

### *Secundùm æſtivas ferias.*

QUod neceſſarium fuit, ( Optimi Humaniſſimique Auditores, ) diſputationum & explicationum mearum intervallum, id ſi vos, quorum audiendi labor ſublevandus erat, ex ſententia recreavit, alacriores & cupidiores huc rediiſſe, cum mihi perſuadeo, tum vehementer lætor. Natura quidem hoc comparatum eſt, ut & ab omni opera, cura, labore, nonnunquam intermiſſio jucunda ſit, & reditus ad ea officia ac munera, quibus aſſueveris, voluptatem ferat: ita, ut ceterarum rerum omnium, ſic laboris & quietis juvat viciſſitudo. Quamquam ex vobis pleroſque eſſe intelligo, qui pro ſuo diſcendi ſtudio ſingulari, per proximas ferias à domeſtico quotidianoque labore feriati non ſint. Nunc verò, cum ſedatis caloribus, tempus anni univerſos conciliat, atque recolligit, & quos interdum ceſſare delectat, & qui ceſſationem ignaviæ eſſe ducentes, ſemper aliquid aut meditantur, aut ſcribunt, aut legunt: vos tametſi veſtra ſpon-

te incitatos, pro mea perpetua benevolentia moneo, & hortor, ut in hæc elegatiorum literarum ſtudia toto pectore ac mente incumbatis.

Id quam vobis neceſſe ſit, antea ex communi omnium hominum uſu intelligebam. Nunc verò cum aliquandiu vobiſcum vixerim, id video, quod ipſi, opinor, mecum recognoſcetis, ei Regienſis populi laudi & exiſtimationi, quam permultorum virorum & ſenum virtus atque doctrina excitavit, oportere adoleſcentium ſpem, expectationem, indolem reſpondere.

Cùm pleriſque viris præſtanti eruditione, & ſcientia diſciplinarum omnium, mihi amicitia, familiaritas, conſuetudo hîc fuit. Audivi etiam de familia, genteque vel univerſa, quæ quodvis doctrinæ genus perſecuta ſit. Quis non admiretur ex iis omnibus, qui ejuſdem ſanguinis, nominis, familiæ ſint, alios, cum humanitatis artibus exculti ad Jus civile & Pontificium animum appuliſſent, conſultoribus clientibuſque ſuis egregiam operam præſtitiſſe, viris Principibus ſumma cum laude in conſilio fuiſſe, adjuviſſe omnes, qui quid à ſe opis, conſilii, operæ, laboris expectaſſent, cum ipſi interea rerum divinarum, humanarumque ſtudia non intermitterent, ſervirent adoleſcentibus diſcendi cupidis, & poſteritatis ſpem ipſi ſuo labore alerent, atque ſuſtentarent? Alios cum Eloquentiæ, & Latinæ Græcæque Linguæ cognitione ſingulari, Philoſophiæ & Medicinæ ſcientiam conjunxiſſe, ſuſcepiſſe alios in publicis Academiis docendæ juventutis partes: ut ex una gente vix quemquam reperias, quin à

Muſis vitæ ſuæ præſidia & ornamenta petiverit. Vobis itaque, Ingenui adoleſcentes, tuenda eſt civitatis veſtræ fama, & gloria. Tot doctiſſimorum hominum, veſtrorum civium, ætati ſuppares, communem doctrinæ quaſi hæreditatem cernere & adire debetis, neque committere, ut proditum vobis exemplum & authoritatem, per inertiam ſocordiamque deſeruiſſe, ac neglexiſſe videamini.

Si veſtræ vobis rationes, ſi ſalus, ſi dignitas, ſi exiſtimatio curę eſt, ſi vobis proſpicere, & conſulere debetis, vobis cari eſſe, & amici, eam veſtri partem excolite, atque ornate, quæ principatum tenet. Ea verò unicuique mens eſt. Animus hoc corporis incluſus & obſtrictus carcere, è cæleſti ſemine hauſtus eſt, divinus, ad immortalitatem natus, æternus. Ejus præſtantia ac divinitate inter nos differt, & cetera animantia ſub imperium noſtrum & poteſtatem ſubjecta.

Is homo verè appellandus eſt, non qui figura eſt, & ſpecie hominis, ſed qui ea parte maximè quà homo eſt, ſentit, viget, intelligit, excellit. Huc cetera omnia, quæ in vita proſpiciuntur, ac geruntur, dirigenda ſunt. Animus verò in opere & munere ſuo, in rerum inveſtigatione & contemplatione poſitus, nihil ſequitur rerum humanarum: non gloriam, non potentiam, non copias & opes; ſe ipſum contemplatur, ad Deum refertur, eo contentus eſt, in eo acquieſcit: Humana omnia, quæ imperita multitudo admiratur, ne reſpicit quidem.

In animum igitur ſuum, ut quiſque optimus & nobiliſſimus eſt, atque aliis anteire maximè concupiſcit, ita ſummo ſtudio divi-

tias & copias virtutis ac doctrinæ, tamquam in arcem, infert. Nequiſſimus quiſque & profligatiſſimus animum ſuum, id eſt ſeipſum, nefariè prodit, ac deſerit; ſervit corpori, voluptatum libidinibus paret, abjicit ſe ad infimam & viliſſimam naturam beſtiarum: in eorum denique cura & cogitatione conſumitur, quæ ne ſua quidem ſint, ſed in alieno plerumque arbitrio, & in vitæ fragilitate, atque inconſtantia poſita.

Harum partium utram tandem ſequi vobis decretum eſt? Quid iſta præ ſe fert animi magnitudo ac præſtantia? quid à vobis requirit? Quid ſplendor generis? Exempla majorum? Nobilitas denique, & à vulgo hominum, infimaque plebe ſejunctio? Hoc videlicet à vobis poſtulatur, (Adoleſcentes ingenui,) quod & ipſi intelligitis ſine mea oratione, & ſpontè facitis.

Verùm ego non novo, ut opinor, exemplo currentes incito: hoc inquam, veſtrum nomen, locus, majorum memoria, iſta indoles requirit, atque adeo efflagitat, ut ad animos menteſque veſtras exornandas, ſummum ſtudium, curam, cogitationem, diligentiam conferatis: corpus ita colatis, ut animo, tanquam Regi, dicto ſit audiens, & ad ea obeunda munera, quæ animi conſilio, imperioque præſcripta ſint, accommodatum & habile.

Ea verò animæ pars, quæ rationis expers rationem tamen audire, & eam ſequi poteſt, paullatim informanda eſt moribus, conſuetudine, præceptis, exemplis, legibus, ut menti prudentiæque ſeſe flectendam, regendam, moderandam facilè præbeat. Jam mens ipſa, in qua rationis & conſilii domicilium eſt,

quaſi adoleſcit, & corroboratur, animadvertendis vitæ exemplis, præceptis ac monitis parentum, magiſtrorum, propinquorum, majorum natu audiendis, rebus denique, rationibuſque inter ſe conferendis, & earum conſiderando delectu, atque diſcrimine.

Hæc hominum ſunt officia; hæc ingenuorum adoleſcentum: hinc perfecta virtus exoritur: ab hoc fonte *Solonis*, *Lycurgi*, *Socratis*, *Catonum*, ceterorumque ſapientia promanavit: ad res magnas gerendas, ad capeſſendam Remp. ad benè de genere hominum promerendum, ad immortalitatem nominis, atque memoriæ, hæc via munienda, hæc amplectenda vita eſt: voluptatum contra prætermittendæ illecebræ, fugienda nequitia & ignavia: levitas omnis, vanitas, temeritas aſpernanda: nec tantum ab rebus neceſſariis otii nobis eſſe oportet, ut ullius vitæ noſtræ partis ratio conſtare non debeat.

Ad hoc tam nobile & glorioſum vitæ curriculum ineundum ac perſequendum, jam quis non intelligit, quàm ſit nobis omnium & literarum & artium liberalium neceſſaria cognitio? Nam ſi ad benè vivendum auctoritates & exempla, ut antè dixi, valent, ea petenda ſunt non ſolum à noſtra, ſed etiam ab ſuperiore, atque adeo ab omni memoria: ſi alienis præceptis infirmam ætatem inſtitui convenit, totnè, quæſo, omnium ſæculorum rectè vivendi authores atque præceptores ſpernendi ac relinquendi ſunt? Eorum repudianda monumenta, prodita poſteritati, literiſque mandata?

Etenim cum generi humano divino conſilio innatum & inſitum ſit, ut non ſolum præ-

ſenti ſæculo, ſed in poſterum quam longiſſimè conſulatur, cumque interſit hominum, eorum, quæ cogitentur, dicantur, gerantur, memoriam conſervari, mandari poſteris, immortalitati conſecrari: literæ repertæ ſunt, quæ, ut graviſſimè ſcripſit Plato, ſenectutis primum oblivioni ſuccurrerent, & componendis commentariis, memoriæ ſubſidio eſſe poſſent, deinde à poſteris aliàs aliis acceptæ, antiquitatis, temporumque omnium cognitionem propagarent, nec unquam interire paterentur. Hæ promptæ, paratæque ſunt omnibus: hæc ſubſidia ſapientiæ & prudentiæ vobis patent: hinc exempla ſumenda, quæ in omni vita ſint uſui: hæc nullo unque tempore intermittenda diſciplina.

Quod ſi è veteribus illis ſapientibus, alius ſe diſcendo ſenem fieri prædicabat, alius jam ſenex Græcas literas percepit: ſe, alius dictitabat, ſi in ſepulchro pedem jam alterum poſuiſſet, diſcendi tamen ſtudium depoſiturum non eſſe: quid iſta vobis ætate (Optimi adoleſcentes) putatis eſſe faciendum? Quo impetu animi, quàm flagranti cupiditate hæc ingenuarum diſciplinarum ſtudia capeſſenda? Præterfluit ætas, ſenectus approperat, imprudentibus obrepit, multa ſecum affert incommoda, quibus doctrinæ ſtudia retardentur: præterita ætas cum evolarit, cum adoleſcentia, cum juventus effugerit, nequitiæ, libidinum, turpium voluptatum manet injucunda memoria atque etiam pœna; rectè ante factorum, laborum ſuſceptorum, diligentiæ, induſtriæ ſuaviſſimi fructus jucundiſſimique capiuntur.

Quare conſumite hos adoleſcentiæ annos,

atque hoc otium, quod poſt exceptura ſunt negotia: ponite, inquam, in vetuſtate cognoſcenda, in repetendis antiquitatis exemplis, in omni denique literarum diſciplinarumque genere. Qui ex omni memoria aliqua laude excelluerunt, qui vel domeſticis, urbaniſque artibus præſtiterunt, vel militari ac imperatoria gloria, his ſibi veſtigiis inſiſtendum eſſe decreverunt.

Ecce autem tibi, qui hos diſcendi labores ſupervacaneos eſſe affirment, & uſum rerum, atque experientiam jactent: quos communis vita, atque ipſa utilitas me tacente refellit. Nam in omnibus artibus præcepta primum, rationeſque univerſæ percipiendæ ſunt, quibuſcum eruditus & inſtructus ſis: tùm ad rerum ſingularum uſum tractationemque tutò jam deſcendas.

Quod ſi quis univerſa præceptione prætermiſſa, ſe ad res experiendas præpoſterè conferat, quã multa in ipſo uſu eum fallent, atque effugient, quæ intelligentem præterire non poſſint? Quàm multa ei difficilia, obſcura, inexplicabilia videri neceſſe eſt, quæ ſciens pro joco ludoquè habeat? Hic omnia benè judicat, rerum cauſſas tenet, omnia, quæ fiunt, quæ accidunt, vel leviſſima animadvertit, nunquam aut perrarò fallitur, in errorem, in fraudem non temere ducitur: ille nonnullarum fortaſſe rerum experientior fuerit, quàm intelligens: at quæ fiunt, dubitanter attendit, errat ſæpiſſimè, & malè judicat, diuturna tractatione rerum ſibi comparat prudentiam, eamque haud certam & ſtabilem, ſed quam poſteris ad exemplum, ad judicandum, imitandum, corrigendum prodat.

Ab his rudimentis, & principiis natas artes, & progreſſas, & tandem perfectas ad ſummum perveniſſe intelligitis. In his princeps eſt vivendi ratio & via: quam præcipere animis debetis, ( Optimi Adoleſcentes, ) ætatemque prævertere, ſuperioris memoriæ exempla, præſcriptaque & monita cognoſcendo, ſtudendo iis literis, quibus illa omnia à majoribus tradita & commendata ad nos pervenerunt, legendo, audiendo, & ea, vel quæ lecta, vel audita ſint, aſſidua meditatione recolendo: tum eruditionem confirmando ſcribendi dicendique exercitatione diuturna.

Duces vobis, & auctores non deſunt: ſunt aliquot ex iis, quos antea ſignificavi, ſpectata virtute, & eruditione viris. Id ſemper hujus civitatis Magiſtratus, Senatores, & Principes viri quantum in iis fuit, providerunt, ne ab hoc loco Doctoris vocem deſideraretis: cujus loci celebritas, & amplitudo cum mihi in mentem venit, cum ſuperiorum Profeſſorum ſingularis doctrina & exiſtimatio, veſtræque civitatis nobilitas, ſplendor, magnificentia, humanitas, tum agnoſco hominum ex omni memoria præſtantiſſimorum & doctiſſimorum vocem veſtrum conſeſſum flagitare: *Lazarum Bonamicum*, *Romulum Amaſæum*, ſi nunc reviviſcant, ex hoc loco doctrinæ ſuæ & eloquentiæ fructus vobis non gravatè imperti turos. Ego, quod præſtare poſſum, profiteor, atque polliceor, fidem, diligentiam, laborem, induſtriam meam. Hæc me vobis veſtriſque parentibus, quæ omnium eſt humanitas, probaturum confido. Veſtræ partes ſunt, hanc meam operam, & diligentiam ſtudio, attentione, benevolentia adjuvare.

# PETRI MORINI PARISIENSIS,

## ORATIO III.

## AUSPICALIS REGII LEPIDI HABITA.

Anno M. D. LXXII. menſe Octobri.

Cum mecum ipſe cogitarem (Humaniſſimi Auditores) quoſnam libros exactis feriis vobis explicandos ſuſciperem, cumque rationem haberem ſuperiorum diſputationum mearum, ac eas cum inſequentis temporis officio, & ratione compararem: mihi faciendum eſſe duxi, ut in *Horatii arte Poëtica*, & aliqua *Demoſthenis oratione* declaranda operam meam, diligentiam, laborem conſumerem. Idque cum ad humaniſſimos, & doctiſſimos viros retuliſſem, quibus hujus gymmaſii cura poteſtaſque permiſſa eſt, conſilium meum illi ſententia ſua & auctoritate comprobarunt. Nec verò longiorem orationem in eo ponendam eſſe duco, ut vobis exponam quanta ſit horum Auctorum nobilitas atque celebritas, quantamque ſitis ex eorum ſcriptis cognoſcendis atque commentandis utilitatem percepturi.

Neminem eſſe puto paullo humaniorem, & Latinarum literarum doctrinæque elegantis ſtudioſiorem, cui *Horatius* aſſiduè non

ſit in manibus. In eo Romani ſermonis incredibilis elegantia & venuſtas, verborum delectus ſingularis, ſententiarum pondus, plerarumque vitæ humanæ partium expreſſa effigies, commendatio virtutum, à flagitiis atque ſceleribus placida & humanitatis plena revocatio. Quis eo ſalibus & verbanitate conditior? quis in exagitandis vitiis & perturbationibus animorum noſtrorum liberior, atque ſeverior? Quis acrior in pecuniarum, in laudis & gloriæ immoderata cupiditate ſedanda? Quis in aurea mediocritate celebranda diligentior? Quis in humanitatis, quis in amicitiæ officiis præſcribendis atque temperandis accuratior? Quam egregiè docet peccatis ſuis neminem ignoſcere debere, alienis veniam facilè dandam? Parentum memoriam ſanctiſſimè nobis colendam eſſe? Loquaces & garrulos fugiendos? Hominum fraudes & inſidias præcavendas? Tranquillitati animi omnibus locis eſſe ſerviendum?

Nec pluribus verbis commemorandum eſt quàm prudenter præcipiat, qui fructus, atque utilitates ad nos perveniant ex *Homeri* cæterorumque antiquorum monumentis ſtudioſè diligenterque pervolvendis; quæ veteris comœdiæ, quæ novæ ratio, quodvè inter eas diſcrimen ſit? Quam tetrica ſit atque inhumana, quàm à vitæ conſuetudine & utilitate communi abhorrens Stoicorum ſecta ac diſciplina. Quam autem ſe ille profitetur Philoſophiæ ſectam ſequi, ab ea, Ingenui juvenes, animos veſtros, mentes, aures abhorrere mihi perſuadeo. Vos vera Chriſtianaque religione ac pietate à primis annis eruditi, hujus civitatis humaniſſimæ ac reli-

gioſiſſimę inſtitutis, parentumque veſtrorum præceptis quiſque & conſuetudine domeſtica informati, Deum Opt. Max. hanc rerum univerſitatem adminiſtrare, rebuſque humanis numine, voluntate, imperioque ſuo conſulere didiciſtis, voluptatum turpitudinem & illecebras aſpernandas, labores honeſtos ſuſcipiendos, patriæ, Reique publicæ ſerviendum eſſe intelligitis, & ad hanc vitæ rationem, percipienda ingenuarum artium diſciplina, vos comparatis: ut verendum non ſit, ne veſtra in religionis & virtutis ſtudio colendo ac tuendo conſtantia labefactetur, ea ratione & doctrina, quę & à veteribus Chriſtianæ pietatis expertibus repudiata tamen eſt, & exorta hac luce, quæ omnem terrarum orbem circumfulſit, penitus extincta atque deleta. Ea, inquam, honeſtiſſimi Adoleſcentes, cujus *Horatius* ſtudium præſetulit, ratione & ſecta excepta, atque rejecta, ejuſdem *Horatii* contempta pinguedine & nitore, irriſo eo grege, in quem ſe ille nomen dediſſe profitetur, cetera ejus præclara & virtuti conſentanea præcepta amplexabimini, eaſque artes, quas, ut idem ait *Horatius*.

*Doceat quivis eques, atque ſenator*
*Semet prognatos.*

Nam quemadmodum tenera cervice fingendus eſt equus & aſſuefaciendus

*Ire viam, quam monſtrat eques:*

ita veſtri animi, ut teſtæ recentes, bono ſunt odore imbuendi, & à prima ętate honeſtiſſimis artibus atque diſciplinis excolendi: præcipienda virtus ſtudio ac doctrina: imitandus denique vobis eſt, juvenes ingenui, Jülus

*Ante annos, animumque gerens, curamque virilem.*

In civitate nobiliſſima & religionis, virtutis, humanitatis ſtudioſiſſima nati eſtis, bonis parentibus orti :

*Fortes creantur fortibus : eſt in liberis ingenerata virtus patrum :*

Doctrina ſed vim promovet inſitam. Huic mentes veſtræ, ſtudiaque dedenda ſunt, & ab ignavia ſocordiaque avocanda. Cui dignitas ſua, nomen, amplitudo, exiſtimatio cara eſt, voluptatum cupiditates prætermittere debet, ab levitate omni, petulantia, laſciviaque abhorrere, & ex Horatiano præcepto,

*Tempeſtivum pueris concedere ludum.*

Non ſenſuum oblectationem, non palati, non oculorum conſectari, non ſtudioſiſſimè aurium voluptati modulatis numeroſiſque cantibus inſervire.

*Sed veræ numeroſque modoſque ediſcere vitæ.*

Domeſtica vobis exempla non deſunt : imitamini parentum veſtrorum, propinquorum, affinium, majorum natu virtutem atque induſtriam, pietatem in Deum, in Eccleſiam, in patriam, in ſuos, in omnes mortales benignitatem, atque humanitatem, fidem & obſervantiam erga Regem ſuum, incredibilem inter ipſos benevolentiam atque concordiam, eorum more vitam inſtituite. Jüli denique exemplum ſequimini, quem exempla ſuorum animo repetentem, & pater Æneas, & avunculus Hector excitabant.

Si me ex hoc loco ingenuas literas & diſciplinas pertractantem à vobis audiri voluerunt ; iis auctoribus hanc publici Gymnaſii colendi Provinciam libenter ſuſcepi ; eorum

voluntati authoritatique parere, veſtris com-modis inſervire conſilium eſt, nec ullum prætermittere ſtudia veſtra adjuvandi locum. Vobis ejus, quem explanandum aggredior, *Demoſthenis* ratio tenenda eſt: ejus ardens diſcendi ſtudium, labor, induſtria ſequenda. Is multos annos in Repub. facilè princeps, & communis dignitatis ac libertatis in primis cupidus, cum eloquentiæ facultatem ſummam immenſo ſtudio eſſet aſſecutus, civium ſuorum animos atque voluntates quocunque voluit, adduxit.

Ejus civitatis libertati cum inſidiæ à *Philippo* Rege Macedoniæ tenderentur, cumque is Rex nonnullos Athenienſes Oratores muneribus corruptos, ſpe & cogitatione uberiorum præmiorum aſtrictos voluntatis ſuæ & libidinis fautores haberet; incredibili dicendi vi perfecit hic orator, ut Athenienſis populus & libertatis tuendæ conſtantiſſimum ſtudium obtineret, & in nonnullos graviter vindicaret, qui patriæ, communiſque dignitatis & utilitatis immemores, quæſtui Rempub. habuiſſent.

*Demoſtenes* pro honore coronæ, qui bene meritis civibus ampliſſimus habebatur, cum acerrimo adverſario, eodemque eloquentiſſimo ſumma gloria decertavit, idque tenuit, ut qui ſibi vel contra leges, atque inſtituta majorum delatus eſſet honos, non ordine ille quidem, ſed rectè & verè præſtanti virtuti tributus eſſe videretur. Hic graviſſimis orationibus eſt conſecutus, ut Athenienſes Olynthiis & Rhodiis quamvis malè meritis & perfidia ſceleréque erga ſe obſtrictis, laborantibus tamen ſubvenirent, & clementia, miſericordiaque

cordiaque adducti memoriam injuriarum afflictis civitatibus condonarent. Hoc eodem authore plerisque datæ contra utilitatem publicam immunitates ratæ fuere, perfectumque eſt, ut reipublicæ commoda, gloria, decus, laus, honeſtaſque ſuperarent. Cætera longum eſſet perſequi, quæ is dicendi ratione fretus ac munitus, contra multorum opes, gratiam, & authoritatem obtinuit.

Nec admonendi, opinor, eſtis, Studioſi Adoleſcentes, quot quantiſque laboribus tam egregiam facundiæ vim ſibi pepererit, qui meminiſſe poteſtis vel legere vos, vel audire eum *Platonis* graviſſimi, & ſummi ea ætate Philoſophi ſtudioſum auditorem fuiſſe, nec ſolum ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ etiam ſpatiis oratores extitiſſe, impedimenta quædam naturæ ſtudio, induſtriaque ſuperaſſe, celebritatem, & cœtus hominum diutiſſime fugiſſe, cum ſe intra domeſtic o parietes incredibili diligentia & labore exerceret, atque in umbratili otio ea commentaretur, quæ poſt è paleſtra in ſolem, ac pulverem magna cum admiratione proferret. Quid cum dicam in Ceramicum deſcendere ſolitum, ut ad fluctus maritimos aſſueſceret populi ſtrepitum fremitumque voce vincere? Spiritus anguſtiam crebra continuataque multorum verſuum pronunciatione levaſſe? Conjectiſque in os calculis linguæ vitio ſubveniſſe? Quid? quod ne hiſtrionem quidem eſt pronunciandi magiſtrum aſpernatus? Hæc ego pluribus exponerem, ſi vel ignota eſſent, vel è libris monumentiſque veterum non poſſent peti.

An quiſquam autem veſtrum eſt, qui elo-

quentiſſimi, & clariſſimi viri exemplo non commoveatur? An eſt etiam, cui pulchrum ſit

*In medios dormire dies, &*

*Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam?*

Non è vulgo hominum nos eripiemus, & ex eorum numero, qui ad fruges conſumendas nati procorum Penelopes, & Alcinoi delicias luxuriamque conſectantur?

Vos, Optimi Juvenes, veſtras eſſe exiſtimate, laboris, induſtriæ, curæ, meditationis, attentionis, diligentiæ partes. Si cuiquam hoc tempore in orbe terrarum populo præclarum honeſtumque eſt otium, hoc & his proximis annis vobis fuit, & nunc divino numine ac benignitate, optimique principis, & parentis cura abunde ſuppetit. Id benè collocandum, quo vobis cum honeſtate, ac dignitate frui licet. Hujus otii non fruſtra conſumendæ copiæ, hujus tranquillitatem comparate quæſo cum aliorum populorum negotiis, atque laboribus, hoc maximo, & periculoſiſſimo bello, quod contra infeſtiſſimum, & teterrimum Chriſtiani nominis hoſtem geritur, nullam propemodum Italiæ partem reperietis, laboris, periculi, ſumptus magis expertem.

Vos quidem ſollicitudine, cura, egregia erga Rempub. Chriſtianam voluntate, ſupplicationibus religioſiſſimè habendis, votis & ſuſcipiendis, & eximia ſanctitate perſolvendis, lætitia, & gratulatione victoriarum ceteris civitatibus, ac nationibus minimè conceditis. Sed tamen intelligitis, quanta orbis his turbulentiſſimis temporibus, otii ſi facultas, & hac pace tranquillitateque

domeſtica, quam lævis tempeſtatibus, ac procellis aliæ gentes affliɑentur.

Gallia tranſalpina duodecimum jam annum inteſtino bello vexata, nunc primum reſpirare & è tenebris ſuperiorum temporum lucem aliquam aſpicere videtur. Ea gens, flos quondam Imperii Chriſtiani, firmamentum veræ religionis, tutiſſimum propugnaculum Eccleſiæ Romanæ, ceterarum Eccleſiarum parentis & magiſtræ, à ſuis ipſa civibus, vel potius domeſticis hoſtibus peſtiferarum opinionum pravitate imbutis, vexata atque exagitata decus propemodum, & dignitatem priſtinam amiſit. Furore illi & amentia ſtimulati religionem extinguere, bene & ſentiendi & vivendi diſciplinam jam inde à principio naſcentis Eccleſiæ à majoribus acceptam, & ſeculorum diuturnitate confirmatam, atque auɑam labefaɑare conati ſunt.

Atque illa labes nefandi erroris eo tetrior eſt ac periculoſior, quòd puram ſinceramque pietatem evertere nititur religionis ſimulatione, atque nomine. Sacrarum literarum teſtimonia perperam ab ipſis accepta, & interpretata, veteriſque Eccleſiæ authoritatem ementiuntur, & pravitati ſuæ ſcelerique prætexunt. Sic imperiti homines, ſic mulierculæ, ſic adoleſcentuli doɑrinæ omnis ignari capti fallaci ſpecie veritatis in errorem & fraudem inducuntur.

Ea verò furia quæ incendia excitavit? Quas clades, quas ſtrages edidit? videbatur ea provincia, ex diuturno calamitoſoque bello, quod inter clariſſimos orbis terræ & potentiſſimos reges de finibus & imperio geſtum erat, quietem aliquam, & poſt graviſſimas

tempeſtates portum eſſe nacta, certis conditionibus conſtituta pace, & amicitiæ affinitatiſque neceſſitudine devincta, atque confirmata. Ecce tibi pacem cum finitimis populis factam domeſtici motus exceperunt.

Neque verò de imperio, de honore, ac dignitate certatum eſt. Illi majorum diſciplinam convellere ac labefactare, ſacra omnia profanaque miſcere, Rempub. benè à majoribus conſtitutam evertere conabantur: viri boni & pii horum ſibi omnium propugnationem acerrimis ſtudiis ſuſcipiendam eſſe putaverunt. Vecordia illi & ſceleris furore concitati, Dei immortalis templa religioſiſſima & auguſtiſſima pluribus in locis diruerunt, ſanctiſſimas aras diſturbarunt, Divorum ſacras reliquias, quæ univerſę Galliæ ornamento & præſidio erant, diſſiparunt, ſacrorum antiſtites, & magnum ſacerdotum, ac monachorum numerum contrucidarunt, ſacra vaſa & ornamenta templorum, quæ ne attingi quidem ab ipſis fas erat, per ſummum ſcelus & avaritiam diripuerunt.

Quod facinus ab iis, quod nefas, quod flagitium eſt prætermiſſum? Regis ipſius pueritiam & infirmitatem ætatis atque conſilii occaſionem ſuam rati, cùm intelligerent ejus animum religione & vera pietate imbutum ab inſtitutis Eccleſiæ detorqueri non poſſe, cum deſperarent eo rege conſilia ſua poſſe procedere, & conſcientia ſtimulati pœnas ſcelerum ac flagitiorum ſuorum adulta ejus ætate metuerent, quoties ejus capiti, ſaluti, fortuniſque omnibus, unde Galliarum fortunæ pendebant, inſidias ſtruxerunt? Bis Lutetia regni totius caput, regiaque urbs, ab iis

obſeſſa eſt : cum interea ea civitas Regem ſuum etiam tum puerum, & quantum ſibi mali calamitatiſque intentaretur, vix intelligentem gremio & ſinu foveret, in ejus indole ſpes, opeſque ſuas omnes collocaret, eumque ſperaret injuriarum ſuarum & incommodorum defenſorem atque ultorem aliquando fore. Regis ipſius, quamvis pueri, auſpiciis, bis terque ſcelerata factio prælio ſuperata, fractaque eſt. Eorum ſæpe inſidias admirabili Dei benignitate Rex effugit : nec intelligebant ſcelere & amentia perditi, ejus ſalutem, egregia divini numinis voluntate, ad pœnam ſuam conſervari, ad conſtituendam Rempub. ad religionem vindicandam, & bonis inſtitutis ſeveriſque legibus ſanciendam.

Quam infeſti hi, metuendique eſſent hoſtes, vel ex eo poteſt intelligi, quod cum in id diſcrimen res eſſet adducta, ut illi vel rerum potiti verum Chriſtianæ pietatis cultum è Gallia exterminarent, & Catholicorum ſanguine nefarias manus, tanto ſceleri jam pridem aſſuetas, commacularent, vel juſtis inſidiis circumventi facinorum ſuorum pœnas luerent, cum in eo inquam diſcrimine res verteretur, Regi ipſi contra Regium decus adverſi hominum ſermones rumoreſque ſubeundi fuerunt, nomen, exiſtimatio, fama contemnenda, ferendæ Regum expoſtulationes, cum nulla ſatisfaciendi præſens ratio videretur, ut eos Lutetiam omnes alium alia de cauſſa evocatos in poteſtate haberet, de iis ſummum juſtiſſimumque ſupplicium ſumeret, Galliamque in perpetuum ab eorum temeritate, ſcelere, audacia liberaret.

Hæ clades his duodecim annis Galliæ fue-

runt, hæc noſtra vulnera, quibus utinam aliquando cicatrix penitus obducatur, vel potius ea omnino deleatur, ſanatiſque omnibus malis illa Provincia priſtinam virtutis, ſanctitatis, religionis gloriam univerſa recuperare poſſit.

Sed ego longius evectus ſum, quam inſtituti mei ratio poſtulabat, ut hoc veſtrum otium cum aliorum populorum negotiis, incommodis, laboribuſque conferrem, in quo otio conſumendo peto à vobis, ut me ingenuas artes & literas explicantem libentibus animis & attentis audire velitis. Studium meum utilitatibus veſtris inſerviendi benevolentia veſtra & humanitate adjuvetis, meamque operam, laborem, diligentiam vobis exiſtimetis omnibus locis promptam & paratam eſſe. Ego id enitar, ne expectationi veſtræ & ſtudiis ullo modo judicer defuiſſe.

# ORATIO

## CHRISTIANISSIMI FRANC. ET POLON. REGIS

# HENRICI III.

## IN CONVENTU ORDINUM Regni, Bleſis in Arce Regia.

Die VI. Decembris M. D. LXXVI.

HABITA.

Juſſu Gregorii PP. XIII. è Gallico Latinè reddita

*Per V. C. D. Petrum Morinum Pariſ. Theologum.*

NEminem veſtrum eſſe puto qui ignoret quamobrem hunc conventum indixerim : nec plura de eô verba mihi facienda eſſe judico.

Tum vos omnes exiſtimo inſtructos & paratos veniſſe, ut iis edictis obtemperetis, quæ in omnes regni Provincias quoquo verſum dimiſi : eumque animum huc attuliſſe, quem veſter Rex, & patriæ ſalus poſtulat. Spero itaque hoc in Concilio lectiſſimorum hominum & virtute dignitateque præſtantiſſimorum initum iri ſalutis publicæ rationem, ut rerum omnium perturbatio, quam licentia

bellorum induxit, tollatur; populus vexatione liberetur; maliſque omnibus, quibus hoc regnum adhuc conflictatum eſt, remedia adhibeantur. Nulla enim hujus Reip. pars ſana integraque eſt: cum antea Regnum hoc eſſet florentiſſimum, religione erga Deum, judiciorum integritate, animorum conjunctione, in Regem fide atque obſervantia. Quæ omnia ita immutata ſunt & deleta, ut vix ullum veſtigium ſuperſit.

Cum mecum ipſe cogito, quanta mutatio facta ſit poſt regnum avi, & patris mei, cumque priora cum præſentibus comparo, agnoſco quam felici conditione illi fuerint, quam miſera ego ſim.

Intelligo enim omnium calamitatum & publicarum & privatarum culpam ab imperita multitudine in Regem conferri: hic ſolus incuſatur, hic ſponſor appellatur, quaſi in eo ſitum ſit malis omnibus & incommodis mederi, expectationique omnium ac feſtinationi reſpondere.

Me ſanè eo conſolor, quod neminem puto ſana mente eſſe, qui ignoret unde hæ calamitates profluxerint, quarum omnem culpam à me & fratre meo *Carolo* infirmę ætatis excuſatio removet.

Quod ad Reginam matrem meam attinet, intelligunt plerique, quam multos illa labores ſuſceperit, ut communibus temporibus ſubveniret. Verùm divina voluntas ſecùs fuit, quæ res illi attulit incredibiles dolores, qui ne cogitari quidem à quoquam poſſunt, quod ſingulari eſſet in hoc regnum ſtudio, maternaque in nos filios ſuos charitate. Videbat enim in magnum periculum paternam no-

ſtram & legitimam hęreditatem veniſſe : cujus conſervationem illi me debere ſecundum Deum confiteor, iique omnes quibus patria chara eſt intelligunt, eique immortales laudes & gratias debent agere propter ſummam vigilantiam, magnitudinem animi, prudentiam, laborem : quibus rebus conſecuta eſt, ut ad incolumitatem regni, & ad tuendam ætatem noſtram, gubernacula teneret, & fluctuum ventorumque ſævitiæ obſiſteret, factionesſque & diſcordias comprimeret, quibus hujus regni ſtatus exagitabatur.

Teſtes verò omnes mihi eſſe poſſunt, me, cum primùm per ætatem arma ferre potui, & operam Regi fratri meo regnoque navare, nullum unquam recuſaſſe laborem, vitam caputque meum diſcriminibus bellicis obtuliſſe. Cum motuum ſedandorum cauſſa, ſumenda arma fuerunt, vel communis reconciliationis gratia deponenda, nemo id cupidius expetivit, nemo libentius aurem præbuit æquis conditionibus conſtituendæ pacis.

Nemo eſt qui neſciat, quantopere conatus ſim regnum hoc pacare, priuſquam in Poloniam proficiſcerer : quantumque incendium ex illo regno huc adveniens repererim, cum pleræque urbes & caſtella à nonnullis tenerentur, regni vectigalia interciperentur, interclusa eſſent commercia, populi mores magna ex parte licentiâ & petulantiâ perditi, ſummaque rerum omnium perturbatio. Quæ cum viderem adveniens, lenitatem & clementiam mihi ſuſcipiendam duxi, ut ab omnibus arma deponerentur, alii aliorum voluntati confiderent, confirmarent ſeſe, & meum conſilium ac voluntatem intelligerent

ad pacificationem ſpectare & publicam reconciliationem ac tranquillitatem. Verùm is labor, ea omnia conſilia fruſtrà fuerunt : ut coactus fuerim ultimis uti remediis ; quæ, tanquam periculoſos ſcopulos, devitaram, cum antea experiendo cognoviſſem, quam multa damna & detrimenta rebupublicis bella inteſtina afferrent, quotque & quantas calamitates importaſſent huic populo : quæ mala niſi ſedarentur, videbam tributorum oneribus vexandum populum ad ſumptus bellorum tolerandos.

In mentem præterea veniebat fore ut mihi facultas eriperetur voluntatis meæ ac benignitatis populo probandæ, cum eum ſublevare cuperem, & pro ſua cuique dignitate gratificari : ac proſpiciebam optata omnia mea ſecùs eventura. Verè enim affirmare poſſum, mihi ſuperioribus bellis nihil gravius & acerbius accidiſſe, quam incommoda miſeriaſque populi : quarum ſenſu & miſericordia ductus, ſæpe Deum maximo ſtudio precatus ſum, ut vel tantis malis finem quamprimum afferret, vel me ætatis flore & vita regnoque privaret, incolumi exiſtimatione, quæ Principi conveniret clariſſimorum regum ſanguine orto : nec me pateretur in his populi cladibus, quibus mederi non poſſem, ſeneſcere, & committere, ut regni mei memoria ad poſteros infœlicitate eſſet inſignis.

Gratias quidem Deo maximas habeo, quòd in ſæviſſimis procellis ac tempeſtatibus animum meum confirmavit, fecitque ut conſiderem me corona regia & ſceptro ab eo decoratum eſſe, non ad dedecus & pœnam, ſed ut gloriæ ipſius & majeſtati ſervirem, liberali-

tatiſque & beneficiorum ipſius eſſem adminiſter, eaque ab eo accepta populis mihi obtemperantibus impertirem.

Ipſum ego verè teſtari poſſum, omnia conſilia mea ad ſalutem publicam & tranquillitatem ſpectaſſe, & nunc ſpectare, eumque mihi videri tutiſſimum portum ex tam multis tempeſtatibus atque naufragiis.

Hoc animo cum eſſem, & mecum ipſe conſiderarem, multa undique diſcrimina & pericula imminere, clementiæ tandem & communis reconciliationis conſilia cepi: ex quibus eos jam fructus habemus, ut bellorum incendia, quibus hoc regnum conflagrabat, ſedata ſint: quibus niſi ſubventum eſſet, ſumma pernicies impendebat.

Intelligo equidem illius flammæ eas ſupereſſe reliquias, quæ niſi opprimantur, renovabitur graviùs incendium, quibus malis proſpicere conſilium mihi eſt, ut firma certaque pax conſtituatur, ex qua intelligo ſalutem hujus imperii pendere. Perſpicuum enim eſt ſine pace, cætera omnia conſilia, edicta, leges nihil profuturas.

Documentum itaque capiamus cùm ex alienis malis, tùm maximè ex domeſticis ac noſtris. Mihi quidem perſuadeo fore, ut, ſi officium ſuum omnes Deo juvante facient, non prius dimittatur hic conventus, quam fundetur ac ſtabiliatur publica quies, communibus malis remedia inveniantur, perturbatio omnis tollatur, diſciplina publica inſtauretur. Nihil enim adeò difficile eſt, ut mihi non pollicear fœlicem rerum eventum, modo mihi obedientes populi, à quibus lecti eſtis, mecùm conſentiant.

Quamobrem vos omnes oro & obteſtor, pro fide veſtra & benevolentia erga me, pro charitate in patriam, uxores, liberos, fortunaſque veſtras, ut in hoc Concilio, non libidini, ſed rationi pareatis, communibus animis atque conſiliis Regem veſtrum juvetis; ut otium & tranquillitatem conſtituere poſſim, diſcordias omnes prorsùs convellere, ſanare & ſancire quæ violata ſunt, priſtinam judiciorum integritatem renovare, mederi omnibus malis & incommodis hujus regni, ut valetudinem ſuam, robur, vires recuperare poſſit.

De me velim, ſic exiſtimetis, intelligere me Deo volente, qui ſim, nec ignorare, cur ab eo in hoc ſummo honoris & dignitatis gradu locatus ſim, nec abuti velle ſummo, quo præditus ſum, imperio. Non me fugit, hujus adminiſtrationis rationem ei reddendam eſſe, ſub ipſius oculis hoc in conſeſſu profiteor, me officio ac munere fungi velle boni & juſti Regis, populorum ſalutem, quietem, tranquillitatem mihi cordi eſſe, eoque reſpicere cogitationes omnes meas, ut in imperio meo populum videam pace, otio, concordia frui, ex ruinis & cladibus præteritis recreari, diſciplinæ labem, quam iniquitas temporum invexit, expurgari ac tolli, ſtatum Reip. confirmari. Me polliceor in hac cogitatione dies noctesque fore, atque in his conatibus laborem omnem meum, curam, diligentiam, vitam denique ipſam ſine ulla exceptione poſitum iri.

Quod ſupereſt, pro certo habetote, idque ſpondeo, ac fidem regiam do, me obſervaturum eſſe ſanctiſſime, & diligentiſſime ſanci-

turum inſtituta omnia, ac leges, quas in hoc cœtu tulero: earum nemini gratiam eſſe factūrum, nec paſſurum à quoquam ullo modo infringi.

Quare ſi conſiliis meis mentes veſtræ & ſententiæ reſpondebunt, conſtabunt nobis fructus laborum noſtrorum. Sperandum enim eſt divinam opem huic Concilio non eſſe defuturam. Quod ſi benè procedent conſilia noſtra, confido fore, ut hoc regnum populumque omni fœlicitate tam abundantem videamus, quàm vidit ſuperior ætas. Hoc omnibus votis expeto, hoc Deum aſſidue maxima animi contentione precor, hoc ſummum mihi videtur faſtigium eſſe dignitatis, hoc ſi conſequar, me fœliciſſimum & omnibus rebus florentiſſimum eſſe arbitrabor.

*In Arce Regia Bleſis M.D.LXXVI. vi. die Decembris.*

# ORATIO MAGNI FRANCIÆ CANCELLARII RENATI DE BIRAGUES,

## IN CONVENTU ORDINUM Regni, Bleſis in Arce Regia,

Die VI. Decembris An. M. D. L X X V I.

HABITA.

*Juſſu verò* Gregorii P P. X I I I. *è Gallico Latinè reddita*

*Per V. C. D. Petrum Morinum Pariſienſem Theologum.*

Quod me juſſiſti, *Rex Chriſtianiſſime*, exponere in hoc conventu, quo ſtatu ſint res tuæ, atque hujus Regni, quæque remedia malis ſint communibus adhibenda, facile quidem factu prima facie videri poteſt, verum maximi iccircò

momenti eſt, quod regni in eo vel ſalus vel pernicies poſita ſit. Quantis enim malis conflictemur, ſi recte conſiderabimus, & idonea medicamenta quæremus, perſpicuum eſt fore, ut non ſolum hæc mala non ſerpant, longiuſque progrediantur, ſed etiam omninò ſedentur, & priſtinum robur ac vires Regnum hoc recuperet. Sin autem per diſſenſionem & errorem animorum noſtrorum, medicina ſpernetur, malum in dies ingraveſcens, tandem deſperata omni ſalute inſanabile futurum eſt.

Qua in re, *Chriſtianiſſime Rex*, hoc me reficit & recreat, quod egregiam voluntatem & optimum animum perſpicere mihi videor, cùm eorum qui adſunt, tùm etiam omnium, à quibus hi delecti & ad hoc Concilium Legati ſunt. Nota & perſpecta eſt omnibus horum ſapientia, prudentia, ſummus rerum uſus. Quamobrem non magnus mihi ſuſcipiendus eſt labor, ut eos vel edoceam, quam ob cauſſam convenerint, vel ad officium & ad Remp. capeſſendam horter, facultatem & viam fortaſſe invenire difficile erit in maxima & temporum iniquitate & obſcuritate rerum. Verum divina ope fretus confido fore, ut hæc omnia explicentur, &, antequam hic cœtus dimittatur, ad exitum veniant.

Quamobrem, *Optime Rex*, cum hoc conſeſſu agam, verbis & juſſu tuo, daboque operam, quantum potero, ut & tibi & cæteris omnibus à me ſatisfactum eſſe omnes intelligant.

Si eximios & nobiles oratores imitari ſtuderem, *Viri Clariſſimi*, magnum negotium atque arduum ſuſciperem, qui & jampridem hac arte deſtiterim, & ſeptuagenarius ætate

jam ſim decrepita, quæ fracta annorum numerò debilitataque eſt, quæque tum memoriam obruit, tum actionis vim omnem enervat. Natura prætereà & voluntate mea ab hoc dicendi artificio alienior fui, quod iis conveniat potius, quos vel gloria & oſtentatio ducit, vel fallendi ſtudium: à quo longiſſimè abhorreo, qui rebus in omnibus veritatem & officii rationem ſequar, quique Lacedæmoniorum morem atque inſtitutum ſuſcipiendæ brevitatis maximi ſemper fecerim, ac veriſſimum hoc dictum eſſe judicarim, Non decere hominem gravem, præſertim in dignitate collocatum, ſermone uti ſupervacaneo, nedum falſo atque fucato. Quare peto à vobis, *Viri Præſtantiſſimi*, ut me exiſtimetis, vera ſimpliciter & ſincerè eſſe dicturum, nec quicquam aut gratiæ, aut odio, aut ulli perturbationi mentis eſſe daturum.

Locus hic nonnullis videtur eſſe longa oratione explicandi, quæ origo ſit trium Regni Ordinum, & quamobrem inſtituti ſint, quæque ex hoc more & conſuetudine utilitates naſcantur. In quo & ea mihi arbitror perſtringenda eſſe, quæ ad hoc negotium pertineant, & quæ minimè neceſſaria ſint, omittenda. Nomen ſanè hoc trium Gallici Regni Ordinum, omnia hominum genera complectitur, ex quibus Regnum ipſum conſtat. Si quis autem ſubtilius hæc enucleare velit, non abſque ratione poſſit affirmare, quadripertitam eſſe debere aut quinquepertitam diviſionem hanc. Meâ quidem ſententiâ vetus partitio & recta eſt, & ſubtiliorem tamen diviſionem poteſt accipere, ut ſuo loco poſt exponam.

Mihi autem vetera repetenti, hoc trium Ordinum nomen non videtur perantiquum eſſe, cum ſine eo nomine, hujuſmodi conventus celebratus ſit, inde uſque à veteribus Gallis & Druidibus, à quibus Concilia fiebant, religionis, judiciorum, cæterorumque negotiorum cauſſa. Quod etiam ex ſexto libro commentariorum Julii Cæſaris intelligi poteſt.

Satis verò hoc loco futurum eſt, moris hujus à *Carolo Martello* initium ducere, qui Regni Conventum hujuſmodi habuit: idque *Pipinus* ejus filius non ſemel & iterum, ſed ſæpe uſurpavit. Hujus autem filius *Carolus Magnus* ſimilia contraxit Concilia, cum potiſſimum ex Italia rediiſſet, quò ad Eccleſiæ & Pontificis auxilium fuerat profectus, regemque Longobardorum *Deſiderium* fuderat ac fugarat, maxima ſtrage facta in Inſubribus, & egregia de illo Rege parta victoria eo loco, cui tum *pulchra Sylva* nomen fuit, quique poſt *Mortraminus* dictus, nunc *Mortaria* appellatur. *Vormatiæ* is Rex Conventum frequentiſſimum egit, in eoque cùm multa decrevit, quæ ad ſummam Reip. pertinerent, tùm bellum in Saxones. Quod exemplum cæteri deinceps Reges ſecuti ſunt, cum cœtus haberi è Rep. eſſe judicarunt. Quibus cœtibus cùm alia nomina, tùm hoc poſtremum trium Regni Galliæ Ordinum impoſitum eſt.

Conveniendi autem hanc potiſſimum cauſſam fuiſſe puto, quòd cum veteres Reges multis Provinciis potirentur, quæ ſeorſim eorum parerent imperio, cumque in unum Regni corpus redigere tam multas Provincias cogitarent, inſtituerunt eas in unum contrahere,

ut iiſdem voluntatibus omnes & ſententiis conjungerentur, commune auxilium inter ſe ferrent, Regi obſequerentur, ſeque & fortunas ſuas ad eum defendendum conferrent, conſimilibus denique legibus atque inſtitutis uterentur.

Quæ Concilia ut recte & ordine poſſent haberi, utque voluntates omnium & mentes conſentirent, exiſtimarunt Reges noſtri eam diſtinctam Ordinum partitionem adhibendam eſſe, idque experiendo utile eſſe cognoverunt. Sic inſtitutus Ordinum Conventus eſt, ut univerſum Regnum quod ex diverſis longeque inter ſe disjunctis Provinciis conſtaret, facile poſſet cogi, voluntatemque eandem omnes ſuſciperent tuendi Regis atque Regni, communiſque utilitatis & dignitatis amplificandæ.

Regem noſtrum hæc eadem cauſſa hoc tempore commovit ad hunc cœtum habendum, non ut in unum corpus adduceret Regni Provincias, (jampridem enim conjunctæ ſunt) ſed ut eas, quod civilibus atque inteſtinis bellis quaſſatæ ac propemodum divulſæ eſſent, in priſtinum ſtatum & conjunctionem revocaret; faceretque, ut qui hic corporibus adeſtis, animorum etiam conjunctione & conſenſione voluntatum copularemini, Reip. defendendæ & propagandæ cauſſa.

Quamobrem hac conſtituta concordia, cum maximi potentiſſimique in orbe Chriſtiano, vel potius in toto orbe Regni quaſi perſonam quandam ſuſtineatis, cogitate cum animis veſtris, conſulite, adjuvate pro ſua quiſque parte virili, ut univerſus populus, ut omnium Ordinum, generum, ætatum ho-

mines, quietè & tranquillè vivant, eaque concordia & charitate devincti ſint, quæ civibus debet inter ipſos eſſe: utque Regi obſequium, ſtudium ſuum, benevolentiam & obſervantiam conſenſione maxima præſtent.

Mihi autem non puto multam orationem conſumendam eſſe in explicandis vel utilitatibus, quæ ex concordia & pace naſcuntur, vel malis atque incommodis, quæ diſſenſiones animorum & factiones afferunt. Non commemorabo pluribus verbis, tum divinis legibus tum humanis ſeditiones vituperari & condemnari. Plenæ enim ſunt ejuſmodi exemplis ac monitis hiſtoriæ omnes & graviſſimorum hominum ſententiæ. Recordari poteſtis quæ detrimenta ac damna per diſſidia atque diſcordias in hoc Regnum invecta ſint, idque ipſi vidiſtis, & didiciſtis experiendo.

Hoc quidem verè affirmare poſſum, pacem vobis à Rege partam eſſe: cujus conciliandæ cauſſa, tum ejus mater Regina nullo vel animi vel corporis labore defatigata eſt, tum ipſe nihil omninò, quod præſtare deberet, prætermiſit: fortunaſque ſuas & copias, authoritatem ac poteſtatem omnem eo contulit, ut Regnum ſuum pacaret, ad tranquillitatem adduceret, & à ſumma pernicie tueretur. Aſſevero præterea hujus pacis & componendæ difficultatem incredibilem fuiſſe, & tuendæ conſtabiliendæque multo graviorem rationem eſſe atque laborem. Hoc enim opus, hic labor eſt. In eo nobis omnis cura, diligentia, ſtudium eſt ponendum: quod abſque pace & concordia, exiſtimandum non eſt, quicquam recte adminiſtrari & geri poſſe: at e conſtitutâ, redintegrariâ omnia facile

poterunt, quæ ſuperioribus temporibus labefactata ſunt, & perturbata.

Quemadmodum enim per diſcordiam collapſa omnia videmus, ita conſenſione & reconciliatione publica reficientur atque inſtaurabuntur. Multa, priuſquam hinc diſcedatur, è re publica decernentur, vitæ morumque maculæ delebuntur, ex querelis & poſtulatis omnium capientur ſalutaria conſilia, cauſæ incommodorum noſtrorum tollentur.

Regis quidem hæc voluntas eſt, ut ſuas quiſque querimonias atque incommoda libere & ſine ulla diſſimulatione exponat. Intelligit enim iſta prudentia & virtute præditos homines, modeſtię officiique ſui non immemores fore. Hoc etiam petit à vobis, ut in conſiliis afferendis, ſententiiſque dicendis: ſimultatum omnes & præteritarum injuriarum obliti, publicæ ſaluti atque utilitati conſulatis. Hoc enim planè animo Rex eſt, in eoque ſe ſapientum Regum ac Philoſophorum exempla & præcepta ſequi putat.

Jam igitur ad Eccleſiaſticũ Ordinem orationem conferam, & inde initium faciam, quod is Ordo dignitate cæteris antecellat, reſque omnes ſacras à Deo ſibi commendatas procuret. Ex omni ſane memoria qui religionibus præfuerunt, ſummum tenuerunt honoris locum, & obſequio omni ac veneratione ab univerſo populo culti atque obſervati ſunt. Quod ſi apud Ethnicos, quorum vana fuit religio, ratio hæc valuit, longè magis polleat oportet in Chriſtiana diſciplina.

Hic igitur Ordo quemadmodum in faſtigio honoris dignitatiſque locatus eſt, luxque ęſt mundi, ut in Evangelio legimus, edi-

to loco poſita, ut aliis prælucere poſſit: ita vita ejus Ordinis hominum, factaque omnia præclara & illuſtria, & cæteris omnibus ad exemplum propoſita eſſe debent: quod cæteroqui ſermo ac diſciplina eorum vitæ & moribus repugnans, jacet, & ſpernitur, & ad commovendos hominum animos vim omnino nullam habet. Cumque ad Deum hic Ordo allegetur, deprecator pro delictis & facinoribus populi, quî fieri poteſt ut in improba flagitioſaque vita, pacem à Deo & veniam, & ſalutem impetret?

Hujus præterea Ordinis homines opinor de rebus ſuis querelas habituros juſtas ac neceſſarias, quibus ſatisfieri oportet, & publicorum morum labem elui ac purgari. In quo Regi conſilium eſt, officium ſuum, curam, diligentiam Reip. præſtare, & perficere, ne poſthac in deſignandis Eccleſiarum præfectis, ſuffragationis ſuæ & nominationis ſanctitas atque integritas deſideretur. Nullis precibus, nulla aſſiduitate, gratia, obſequio, inflectetur ejus mens, quo minus optimo & ſapientiſſimo cuique ſuffragetur, indignoſque nec ad tantum munus idoneos ſummoveat, ac repellat.

Jam verò ut de Nobilitate verba faciam, eam videmus honores & magiſtratus in Rep. capere, beneficiariam eſſe Regis, & poteſtatis ipſius imperiique participem, tum Eccleſiæ honoribus & beneficiis ampliſſimis ornari. Immunitatem præterea tributorum habet, multorumque privilegiorum prærogativa antecellit. Quamobrem exiſtimare poſſit aliquis, præclarè cum ea & beatè agi. Verum ſi rem ipſam diligenter intuebimur, & conſide-

rabimus, quæ onera Nobilitas muneraque ſuſtineat, ac gerat, eos honores beneficiaque, quibus utitur, non gratuita eſſe comperiemus. Nam & ei arma ſumenda ſunt ad defenſionem Regis & Regni: & in ultimis finibus, ſuſpectiſque locis obeunda præſidia, procul domo, magno incommodo & ſumptu; inſerviendum patriæ, navanda Regi opera in expeditionibus bellicis, impendenda vita, & copiæ fortunæque omnes, domi, foris, ſive propinqua bella, ſive longinqua ſuſcipiantur. Quamobrem modo Nobilitas in officio ſit, nec muneribus deſit ſuis: quæcunque ad eam honorum & dignitatis ornamenta delata ſunt, bene poſita eſſe exiſtimare debemus.

Queri ſanè poſſumus, nec ſine dolore, indolem ejus Ordinis, & florem, ac decus pene eſſe extinctum. Memini me olim videre, equites Francos, qui flos nobilitatis eſt, ſive in caſtris eſſent, ſive in præſidiis, ſive in patria, ſive peregrè, metu & religione imbutos Dei, ipſum colere ac venerari, Eccleſias frequentare, ſolemnibus miſſarum ſacris quotidie mane intereſſe, precum ſtatatum libris & coronis religioſis inſtructos magna devotione mentis: agere cum hoſpitibus ſuis humanè, & modeſtè, & clementer, cum vicinis commodè ac benignè: Regi libenter obtemperare, leges & judicia revereri, cæteroſque exemplo ſuo ad eandem mentem & rationem adducere: cum interim fortitudine animi ac virtute præſtarent, ſingularique eſſent apud exteras nationes genteſque bellicoſas exiſtimatione.

Jam verò, proh dolor, (verum enim dicendum eſt) quanta mutatio in pleriſque fa-

ſta eſt! Deum non metuere, Religionem pro nihilo habere, contemnere Regem, leges aſpernari. Vexant alii hoſpites ſuos, vicinis alii vim & injurias inferunt, tum Eccleſiaſticis, tum laicis. Nominis & dignitatis ſuæ videtur prorſus oblivifci Nobilitas. Qui autem ita vivant, ſuſpicari poſſumus non eſſe fortiſſimos. Nonnulli quidem ſe pro patriciis gerunt, qui non ſint patricii, hique nobilitatem, ad quam temere applicant ſe, maculant & lædunt. Cui flagitio, cæteræque corruptæ pax & concordia publica Deo adjuvante primum medebitur, deinde hi homines, qui Nobilitatis decus & exiſtimationem integram inviolatamque ſervarunt.

Tertius Regni Ordo multa genera complectitur hominum, poteſtque hanc ob cauſam, ut ante dixi, in plures dividi partes. In hoc enim Ordine numerantur ij, penes quos judicia ſunt, & pragmatici omnes forenſes, & qui ærarium adminiſtrant, & peditatus militaris, & equites, qui in turmis numeriſque Regiis non habentur. Eorum quidem qui judicia exercent, nonnulli patricii ſunt, aliquot item Eccleſiaſtici. His adjunguntur negotiatores, & opifices; & poſtremi, laborioſum & utiliſſimum genus, agricolæ.

Hic ſanè Ordo multitudinem innumerabilem continet hominum inferioris fortunæ ac loci: & tamen neceſſarius in primis eſt. Nam quemadmodum corporibus noſtris nervi ac venæ robur & alimentum præbent, iiſque vita ſuſtentatur: ita Regni hujus populus tueri ſe, & vitam colere ſine hoc Ordine non poteſt.

Ægrotat hic etiam Ordo, & malè affectus

eſt. Verùm non oritur ejus morbus è copia noxiorum humorum, ſed ex infirmis & prorſus afflictis viribus. Malè enim acceptus eſt, malè habitus à pleriſque, & ita vexatus, exinanitus, everſus bonis omnibus, ut, niſi ei ſubveniatur ope noſtra, jam ſit periturus. Ultimum tertii Ordinis genus deſignat præcipuè oratio mea. Hi ſunt agricolæ, ruſticani homines, ſine quibus vivere non poſſumus, ita afflicti, & miſeriis omnibus ærumniſque perditi, ut in extremo diſcrimine ſint.

De hoc Ordine dicam item, ut de ſuperioribus, ejus incolumitatem poſitam eſſe in ſtabilienda pace, tranquillitate, concordia. Ita enim & horum calamitates ſublevabuntur, & aliis prætereà rebus conſuletur, rationi judiciorum, adminiſtrationi ærarii, diſciplinæ militum: negotiatoribus dabuntur leges, iis proſpicietur, quæ mercaturis vel exportantur è Regno, vel importantur, numo utilitates & pondera & pretia ſtatuentur, cæteraque expedientur, quæ in rem videbuntur eſſe. Harum enim omnium rerum conſilia Regis juſſu habita ſunt, ex quibus conſiliis edicta naſcentur, & facultas ratioque perficiendi. Quæ omnia vobis edentur, & proponentur in medium. Jam quidem promulgata ſunt, quæ reſpiciunt domùs Regiæ diſciplinam, & adminiſtrationem.

Satis multa verba feciſſe mihi videor de Ordinibus quaſi membris Regni. Jam ad caput veniendum eſt. Ordinum autem caput *Rex* eſt: & cæteris membris malè affectis, vix ipſum caput poteſt bene ſe habere. Pauliſper vellem hinc abeſſe Regem, ut de eo, quæ ſentio, dicerem liberè, & ſuſpicionem

omnem

omnem effugerem adulationis, à quo crimine natura mea, & perpetuum inſtitutum abhorret. Sed tamen, quoniam ita locus hic poſtulat, & tempus, vera de eo dicam oportet. Accipient omnes in bonam partem, & recordabuntur, profeſſum eſſe me ſtudium veritatis.

E pueritia jampridem Rex noſter exceſſit. Nunc juventæ flos in eo eſt. Quæ longo uſu parta ſenectutem commendant, illa ſane omnia non habet, at eorum omnium ſpe præſtans ejus indoles prædita eſt. Non ſenilis plane in eo ſeveritas atque gravitas. Verum quæ ornamenta ſenum ſunt, adeò expreſſa in hac ætate eminent, ut vix quicquam deſiderari poſſit. Paucos hujuſmodi commemorare queas Reges eadem ætate, paucos ſenes, qui bellicos labores tam fortiter pertulerint, tam ſæpe dimicarint, tot prælia commiſerint, tot victorias reportarint, tam multas denique adierint & peragrarint exteras regiones.

Itaque propter harum virtutum, & egregie factorum & victoriarum famam & gloriam, ad eum delatum Regnum eſt opulentæ & bellicoſæ gentis, à qua ex multis clariſſimis principibus unus lectus, & ad id imperium gerendum accerſitus eſt.

Bene ergo nobiſcum agitur, qui juvenem Regem ſapientem, & bonum, & fortem habeamus. Quid enim de eo, ut in re ſimili ait *Cicero*, ineunte ætate ſperandum eſt? Hæc autem noſtra ſpes eſt, fore, ut is progrediente ætate cum maximis & optimis ex omni memoria regibus comparetur.

Hujus igitur Regni quaſi corporis caput, Rex eſt, membra vos eſtis, Alterum ſine al-

H

tero perquam infirmum eſt, aut potius nihil poteſt. Si conjuncti eritis, ut corpus neceſſarium eſt cohærere, veſtræ vires & opes maximæ futuræ ſunt. Si veſtris muneribus fungemini, ſi diſpertita officia & procurationes rerum communium bene adminiſtrabitis, ſi pro ſe quiſque diligenter ſuas partes aget: Regem habetis, qui nec ſibi, nec vobis deſit, qui ſingulari vigilantia, cura, labore publicis commodis conſulat, qui ſe vobis ducem & authorem ad omnia bene gerenda præbeat, vos defendat, tueatur, ornet, qui vobis paterno animo & imperio præſit, perficiatque, ut vos ei parere tam juvet ac delectet, quam qui unquam maxime populi de ullo Rege ſibi gratulati ſunt.

Dicet aliquis: Iſta ſapientia præditus Rex, cur in eos Eccleſiæ beneficia confert, qui ad ea munera ſuſtinenda idonei non ſint? Hoc enim vel maxime offendit homines, & diſciplinam turbat. Cur rerum judicandarum munus venale eſt, & ex ea corruptela judiciorum labes tanta oritur? Edicta quotidie nova Rex promulgat & officia inuſitata conſtituit, ex quorum, cum venierint, ſalariis vel exhauritur ærarium, vel populus vexatur: præterquam quod tam multa & ſupervacanea officia Reip. detrimenta afferunt. Immenſis præterea largitionibus effundit opes ſuas. In remiſſionibus & venia pleriſque danda, & evocationibus cauſſarum ac litium nimia ejus facilitas eſt. Hæc enim judiciorum ordinem admodum turbant, & populo ſunt oneri. Itaque vituperatur Rex, qui hæc jubeat: reprehenditur Cancellarius, qui hujuſmodi juſſis obtemperet.

Et quoniam huc delapſa eſt oratio mea, ampliſſimuſque nunc conventus habetur, qui ſæpe futurus non eſt, reliqua dicam: Reginam videlicet matrem Regis à nonnullis perſtringi, qui vel imprudentia labantur, vel efferantur malitia. Jactant enim, & aliis perſuadere conantur, rem Gallicam male eam geſſiſſe, poſt mortem fel. mem. Regis, viri ſui (cui pacem & veniam Chriſtus tribuat) præſertim, aiunt, dum ejus liberi ætate infirma fuerunt.

Qua de re, Viri Præſtantiſſimi, verba faciam hoc loco pro Rege & Regina & pro me aliqua ex parte: velut ſi pro iis dicam, qui vel tutelam geſſerint, vel curam, cujus rationi reddendæ obnoxii non ſint, & ſuum tamen pudorem atque Officium purgare aliiſque probare ſtudeant, planumque facere, ex fide omnia eſſe geſta. Hæc autem iccircò dico, quòd Reginam nemini rationem reddere oportet, niſi Regi, qui & initiatus eſt de more, & coronatus: ipſumque Regem nemini, niſi Deo. Deprecantur tamen Rex & Regina, ne his calumniis & obtrectationibus fides habeatur: quemadmodum vos, iſta virtute, ac probitate, nihil eorum crediſiſſe mihi perſuadeo.

Ut igitur eo redeam, unde digreſſus ſum, de Rege primùm verba faciam: dicam eum non optima fortuna hac in re uſum eſſe. Cum enim ad eum Regni hæreditas venit, Regnum ipſum afflictum offendit, ac pene deletum inteſtinis & civilibus bellis, quæ & diuturna fuerant, & in nonnullis Regni partibus adhuc gerebantur. Conatus autem Rex tanta mala & calamitates publicas ſedare, exper-

tuſque non procedere rem ex ſententia ſua, cum toleraret eas ærumnas & incommoda maximis ſumptibus : quam leniſſimam potuit iniit rationem, ut pecunias ab iis, qui haberent, non invitis exprimeret. Venalem habuit partem ſui patrimonii, quam poſt, facultatem nactus, redimeret : officia nova inſtituit, quæ & à libentibus ſuſciperentur, & morte intercidere ac tolli poſſent. In eo nemini vim fecit, neminem læſit.

De donis & largitionibus cæteriſque rebus hæc vere dicam, fama & rumore jactata iſta potius eſſe, quam re vera fuiſſe. Inſpexi ego commentarios quibus perſcriptum eſſet, quę quibuſque gratia, quæ venia data : voluminum habui copiam allatorum ex ampliſſimis curiis Lutetię, Britanniæ, Burdegalæ, Toloſæ. Nihil plane reperi, non gratiam ullam, non evocationem, vel quæ ſponte facta eſſet ( hujuſmodi enim rerum frequentiores querelæ ſunt ) quin cauſſam juſtam & rationem haberet, obſcuram tamen, & notam paucis. Hæc autem potiſſimum naſcuntur ex neceſſitudine cognationum & affinitatum, quæ inter eos ſunt, qui funguntur officiis & magiſtratibus : ex illorum, inquam, potiſſimumque ex juventutis ambitione, concurſatione, & conſenſione prope factioſa pleraque hujuſmodi nata ſunt. His autem rebus omnibus quamprimum proſpicietur, nec ſine veſtro conſilio.

Intelligitis prætetea, qui legiſtis hiſtorias, & rerum uſum habetis, bellis civilibus, improbas & importunas efflagitationes exiſtere : legere potuiſtis, vel Reges, vel rerumpublicarum principes, vel partium duces,

multa multis largiri, multa concedere, multa diſſimulare ſolitos, pręter voluntatem ſuam. At cum hæ cauſæ tollentur, cum hi, qui funguntur magiſtratibus, officium ſuum ac fidem pręſtabunt, cum bella conquieſcent: tum etiam perimentur, quæ ex illis cauſis erant orta: idque præſtabit Rex jubendo, Cancellarius obtemperando: niſi quid forte erit ejuſmodi, ut nulla ratione reprehendatur.

De Regina autem Regis Matre hæc dicam: legiſſe me in veteribus hiſtoriis, Regem quendam Siciliꝗ, cum æger in ultimum diſcrimen veniſſet, dixiſſe ſacerdoti, cui peccata confitebatur ſua, quique ipſum hortabatur ad mortem excipiendam ęquo animo: unam ob cauſſam dolere ſe, quod tum moreretur, nec differretur, diſcedere enim ſe à parvulis liberis: relinquere ſane illis eximiæ ſapientię & virtutis matrem, at proſpicere fore, ut eos illa tueri non poſſit à milvis & bubonibus, quos jam videret circumvolare domum ſuam. Atque ita, ut ille Rex præſenſerat, factum eſt. Spoliati enim ſunt bonis omnibus ipſius liberi. Huic loco convenit illa hiſtoria. Quamvis enim milvi & bubones non defuerint, qui poſt viduitatem Reginæ circumvolitarint Regiam domum: tutata tamen illa eſt parvulos pullos tum prudentia ſua, tum clarorum principum & multorum virorum bonorum auxilio.

Magna cum ratione ſcripſit Salomon, in diſcrimine Regnum eſſe, quod à Rege puero teneatur, licet ei matris præſidium & tutela non deſit. Nobis enim id contigit. Quo majore laude Regina digna eſt, quæ Regnum

defenderit, tamque multis periculis liberarit, quamvis non ſine damno atque incommodo.

Nam quemadmodum gubernator navis, quæ & vectoribus & mercibus onuſta ſit, in medio curſu ſæva tempeſtate jactatus, veliſque & aliis armamentis amiſſis coactus in mare oneris partem aliquam abjicere, & ea ratione tandem in pórtum appulſus, non vituperatur meâ quidem ſententiâ, neç imperitiæ opinionem ideò ſubit, quod non omnino navis & vectores & merces ſalvæ fuerint: laude potius dignus habebitur, quòd procellis & fluctibus obſtiterit forti animo, & incolumis venerit in portum. Ita ReginaMater Regis, quæ tempeſtatibus maximis exagitata eſt, ac tandem navim, quod eſt ipſum Regnum, ſalvam habuit, cum ipſis capitibus & mercibus precioſiſſimis, qui filii ejus ſunt, Reges noſtri, licet non ſine detrimento: tantum abeſt, ut hanc ob cauſſam vituperari queat, ut omnes boni & prudentes homines mecum confeſſuri ſint, ejus prudentiam, ac virtutem ſummis laudibus eſſe proſequendam.

Eo jam referam, Viri Præſtantiſſimi, Orationem meam, unde digreſſa eſt: qui vobis expoſuerim, quæ mens & voluntas Regis ſit, velle nempe ipſum, vos omnes, qui corporibus adeſtis, animorum etiam & voluntatum ſenſu conſociari: ut aliqua reperiatur ratio in poſterum ſtabiliendæ pacis & otii, diſciplinæ inſtaurandæ, communis utilitatis ac ſalutis conſtituendæ.

Et quoniam de perverſitate morum, & perturbatione vitæ noſtræ verba feci: jam ad querimonias & poſtulata veniam. Relinquam

autem vobis locum, poſtulata veſtra & querelas exponendi, incipiamque ab incommodis & difficultatibus Regis noſtri. Nam is, cum primum ad Regnum pervenit, reperit ærarium penitùs exhauſtum, fiſcum exinanitum: nec ſolum numeratæ pecuniæ nihil invenit, verum etiam ipſum ſolum ac fundamentum vectigalium ſuorum & regiarum opum, propter bellorum tempora, vel alienatum à ſe magna ex parte, vel pignori oppoſitum. Cumque non poſſet brevi tempore diſſenſiones ac diſcordias ſedare, quibus exagitabatur populus, maximos ſumptus ſuſcepit eo conſilio, ut Regnum & populum ſuum tandem pacaret.

Quamobrem in hunc locum adductus eſt, ut opem veſtram expetere cogatur, idque perinvitus, qui intelligat, quam multis etiam incommodis ipſi affecti ſitis. Cum autem nullum aliunde auxilium oſtendatur, petit à vobis, qui Regni quaſi perſonam geritis, ut opitulemini, qui & eidem Regi & majoribus ipſius, in levioribus etiam difficultatibus ſubveniſtis. Duo autem pecuniæ genera ſunt, Regno neceſſariæ. Alterum impenditur ad defenſionem & tutelam Regni, ad Præſidia ultimorum finium, ad ſtipendia equitatus Regii, ad comparanda tormenta, ad munitiones oppidorum: tum etiam ad tuendam domum Regis & Reginæ: quæ una domus habenda eſt. Alterum pecuniæ genus in bello ad neceſſitatem requiritur: quia nummi ſunt nervi belli, & in pace ad ornamentum. Sed mihi in præſentia de primo genere tantum propoſitum eſt dicere. Eſt enim hoc genus maxime neceſſarium: eique quamprimum conſulendum eſt.

Quare petit à vobis Rex, ut vel in hoc frequentiſſimo cœtu, ſi fieri poteſt, vel, ſi commodius videbitur eſſe ad perturbationem omnem ac moram tollendam, à delectis aliquot ex ſingulis Ordinibus, peritis harum rerum, rationes accepti vel ordinariæ vel extraordinariæ inſpiciantur: rationes item expenſi, & onerum omnium: quæque ex illis rationibus reliqua ſint. Comperietur enim non ſufficere reliquationem hanc ad dignitatem majeſtatemque Regis, & domum regiam exhibendam ac ſuſtentandam. Inde perſpicietur, quantum Regi deſit, & ſubveniendi facultas reperietur, vel redimendis iis, vel tuendis quæ alienata & obſtricta ſunt: vel alia ratione: ſalva tamen fide Regis, ſuperiorumque Regum.

Pro certo autem habeo fore, ut cum rationes, quas dixi, exploraveritis, intelligatis ea, quæ vos nunc fugiunt, eaque cognoviſſe lætemini, facilioremque exiſtimetis, quàm jactatur à nonnullis, rationem ſubveniendi difficultatibus & incommodis, quibus Regem affectum eſſe dixi. Quæ cum facta fuerint, tum vere dici poterit, magno bono publico Concilium hoc habitum eſſe, in quo pax & concordia firmata fuerit, ſublata perturbatio omnis, proviſaque ratio Regni ſtabiliendi, tuendique Regis.

His rebus omnibus conſilium Regis animuſque non deerit: Regina ipſius Mater, conſiliis laboribuſque ſuis adjuvabit: præſto erit fidelis benevolentia & virtus Clariſſimi Principis, Fratris Regis: Principes ſanguinis Regii operam ſuam, fidem & curam omnem præſtabunt: cæteri denique omnes pro ſe quiſque opem & auxilium ferent.

Quamobrem ſpe bona eſſe debemus, Deum noſtrum, qui hoc Regnum fundavit, tamque multis ſeculis conſervavit, Saluti ejus poſthac non eſſe defuturum. Nam quemadmodum mentes noſtras commovit ad ſuſcipiendam Reip. curam: ita in adminiſtratione rerum, prudentiam nobis & vim roburque animorum ſuppeditabit. M. D. LXXVI.



# ORATIO

REVERENDISSIMI D.

# PETRI D'ESPINAC

## ARCHIEPISCOPI

ET COMITIS,

LUGDUNENS. GALL. PRIMATIS.

IN CONVENTU ORDINUM
Regni, Bleſis in Arce Regia,

Die XVII. Januarii. An. M. D. LXXVII.
*Nomine Cleri & Ordinis Eccleſiaſtici.*

HABITA.

*Ad Regem & Regni Ordines.*

Juſſu verò Gregorii PP. XIII. è Gallico
Latinè reddita.

*Per V. C. D. Petrum Morinum Pariſ. Theologum.*

ETSI Gallia, *Chriſtianiſſimè Rex*, tam ſævis adhuc fluctibus & procellis exagitata, quam quæ unquam maximè ullam Remp. affixerunt, nondum ab his malis & periculis conquievit: tamen, cum undique ei ſpes & auxilia oſtendantur, portum jam procul aſpicere, &

in tutam ſtationem ventura propediem eſſe videtur. Jam enim nos Deus, qui offenſus gravia incommoda & meritas clades intulerat, malorumque ſenſum & mentem ad capienda conſilia eripuerat, miſerari ac reſpicere videtur, conſiliaque ſalutaria offerre, & concordiæ viam oſtendere, quæ miſeriarum omnium vim & acerbitatem ſedet. Prudentia deinde tua, *Clariſſime Rex*, eaque major, quam quæ ab iſtâ ætate deſideratur, ingeniumque & præſtans natura, multis ſæpe rebus perſpecta & cognita, proximeque ſermone tuo eloquenti & gravi, non obſcurè ſignificata, tum voluntas egregia, pietaſque in populum univerſum, ſpem nobis meliorum rerum, & optatæ converſionis ac felicitatis afferunt. Quæ expectatio noſtra confirmatur, cum ſtudia & voluntatem tuam adjuvari videmus conſilio & benevolentia matris tuæ, Reginæ optimè meritæ de hoc regno, quòd anteà ætatis infirmitatem tuæ tam ſanctè religioséque rexerit, periculoſiſſimiſque tempeſtatibus Monarchiæ hujus gubernacula tenuerit, quodque nunc etiam perſeverat omnem diligentiam adhibere, ut hoc regnum in priſtinum ſplendorem dignitatemque reſtituatur.

Ad hæc accidit, Clariſſimi Principis, patris tui, virtus & fides: quem nos authoritatis ac poteſtatis tuæ quaſi brachium dextrum fore confidimus. Populus præterea tuus, qui ſuperioribus calamitatibus animum deſpondiſſe videbatur, nunc verò divinam opem ſibi offerri videt, ſe ipſum jacentem & perculſum excitat, bonumque animum ad reſtituendam Remp. affert: ut jam hæc omnia ſe-

renitatem nobis ac tranquillitatem polliceri videantur.

Nec verò fieri ullo modo poteſt, quin hanc ſpem ſecundarum rerum concipiamus, cum tu non pro Regia Majeſtate, ſed pro benignitate & pietate paterna, cum populo tuo tam humane & leniter agas, voluntatiſque ſuæ & querelarum omnium exponendarum poteſtatem ei facias, & cum benevolentiæ ſignificatione ſingulari conſilia cum eo ſermoneſque conferre cogites, ut ex tam multis ærumnis aliquam ei tandem quietis & otii facultatem præſtes. In quo intelligunt omnes, quantum in te ſapientiæ ſit atque prudentiæ, qui intellexeris non prius Regni tui mala ſanari poſſe, quam ea penitùs explorata & cognita haberes, nec melius ea te poſſe cognoſcere, quàm ex ipſius populi, quem ea mala tangunt, ſermonibus & querelis.

Neque enim ullum maius in regnis atque imperiis incommodum hærere poteſt, quam quod ad principis aures vitia incommodaque publica non aliter perveniunt, quam ex eorum ſermonibus, quibus aures aſſidue præbeat: qui cum multa diſſimulent ac celent principem, multorum malorum cura, & populi utilitas ſæpe præteritur. Atque id tantopere *Diocletiano* Imperatori diſplicuit, cum à Conſiliariis ſuis perſpiceret multa vitia & peccata, quibus imperium laboraret, conſultò tegi, facultatemque ſibi eo pacto veræ medicinæ eripi; adeòque ægrè tulit, ut eam ob cauſſam *Conſtantio Cloro* Imperio ceſſerit; malueritque privatus vitam agere, & *Salonis* hortos colere ſuos in otio & quiete, quam oibus imperium ita obtinere, ut ea mala ſe-

magno incommodo publico, præterirent, quibus mederi principis officium eſt.

Tu verò (*Chriſtianiſſime Rex*) ſplendidius multò cepiſti conſilium, & utilius atque ſalubrius. Hoc enim conventu habendo populi univerſi qui ſuperiores omnes calamitates & ſæva naufragia rerum ſuarum pertulit, poteſtateque facienda libere exprimendarum querimoniarum omnium, nihil te eorum, quæ ſcitu opus eſt, fugere poterit: explorandiſque morbis & incommodis, quibus hæc Reſp. affecta eſt, vera remedia omnibus univerſe in conſilium adhibitis, feciſſe reperies. Et quemadmodum agnoſcunt tui, officio te fungi erga ipſos non ſolum juſti & æqui principis, ſed etiam boni & miſericordis & indulgentis patris: ita nihil iis optabilius eſt, quam ut re ipſa ſtudium ſuum & benevolentiam & obſervantiam tibi præſtent, quam ab iis & natura, quà in imperio tuo ac ditione ſunt, & paternus in ipſos amor tuus requirit.

Hanc ob cauſam, *Rex Sereniſſime*, Eccleſiaſticus Regni tui Ordo, qui intelligat hanc imperandi parendique conjunctionem & conſpirationem, vinculum eſſe ac firmamentum, quo univerſum Reipub. corpus copulatur ac ſuſtinetur, quoque ſoluto & labefactato, dilabatur Reſp. & ruat neceſſe eſt: hic inſpectante te & audiente profitetur, nihil ſibi antiquius potiuſque eſſe, aliave ulla conſilia, ſecundum Dei cultum, in hoc cœtu & communi conſeſſu Galliæ potiora videri, quam ut rationes omnes excogitentur ac reperiantur, quibus imperium tuum, dignitas, Majeſtas, vel tam ſancta & gravis populo tuo

habeatur, vel inimicis tuis tam formidini ac terrori ſit, quam majorum tuorum fuit, quamque eximiis virtutibus tuis à nobis debetur. Intelligimus enim, idque nimium experiendo miſeri didicimus, licentiam effrænatam & pervicacem, parendi detractationem affligere imperia, domos & familias delere, opulentaſque civitates funditùs evertere.

Quod ſi umquam terra Gigantes tulit, qui, ut veteribus monumentis proditum eſt, cœli imperium affectarint, & in Majeſtatem Divinam inſolenter furioſeque conſpirarint: ij ſanè fuiſſe meritò videntur, qui per ſummum ſcelus ac nefas, communi legum vinculo diſſoluto, clauſtriſque diſciplinæ perfractis divina humanaque turbarunt, ac res omnes ſuſque deque nefarie habuerunt. Majeſtas accipiat tua (*Rex Optime*) hanc obteſtationem noſtram & profeſſionem ac declarationem animorum noſtrorum, fideique erga te, officii, pietatis & obſervantiæ, à qua numquam defecturos nos, hoc in auguſtiſſimo cœtu ſanctè promittimus.

Et quoniam ad ſtatum Majeſtatis ac Dignitatis tuæ ſanciendum & confirmandum viam nobis aperuiſti, poteſtatemque facis querelas noſtras ſine diſſimulatione apud te habendi: non ſatis in Deum atque in te grati & pii videri poſſemus, nec ſatis diligenter aut utilitatibus patriæ ſervire, aut reſpondere vel eorum expectationi, à quibus miſſi ſumus, vel pietati & benevolentiæ in nos tuæ, ſi diſſimulationis integumento communes res involvendo, mala te noſtra, & detrimenta miſeriaſque celaremus.

Nam cum humanis legibus is læſæ maje-

ſtatis crimine teneatur, qui factione aliqua & conſpiratione in perniciem principis comperta, rem conſultò tegit: an non proditores meritò exiſtimaremus, ſi auctoritate & imperio tuo ad aperiendas communis mali cauſas acciti, res eas diſſimularemus, quibus conſuli oportet? Ac quamvis non fugiat nos vetus Proverbium, *obſequium amicos, veritatem odium parere*: contra tamen ſentimus, & arbitramur veritatem confirmatam auctoritate tua, tantam vim habituram eſſe, ut, quoniam tibi probata fuerit, ab omnibus benè accipiatur. Ac dedeceret nos, eſſetque alienum ab officio noſtro conſuere pulvillos (ut loquitur Propheta) ſub omni cubito manus, & facere cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas, & vitia peccataque propaganda.

Et quoniam æger curari non poteſt, niſi prius cauſa mali aperiatur: aperiemus vulnera noſtra & ſimptomata, quibus affligimur: nec tegemus diſſimulatione ſenſum dolorum noſtrorum, à te tanquam à medico, opem expetentes. Qua in libertate dicendi, verecundiam tamen Majeſtati Tuæ, & modeſtiam noſtram præſtabimus, non immemores loci noſtri atque Ordinis.

Tria eſſe conſtat, quæ Statum tueantur, omnium Rerumpub. quæque ſanctè obſervata fælicitatem afferunt, perniciem neglecta atque violata: principem locum *Religio* tenet, ſecundum *Diſciplina* tum *civilis* tum *bellica*, tertium *Adminiſtratio Ærarii*. Harum igitur rerum cum ſummam perſtrinxero, rejectis ſingulis rebus in libellos, qui offerentur à nobis, fundamenta jeciſſe videbor Mo-

narchiæ hujus inſtaurandæ, cujus ſtatus labefactatus eſt harum rerum ordine & diſciplina neglecta, licentiaque in Remp. importata per diuturnam bellorum civilium, factionumque inteſtinarum calamitatem.

*Religionem* autem primo poſui loco, propterea quòd primus conſenſus populorum fuit à fera & agreſti vita diſcedentium & civilem colentium ſocietatem, religionis inter ſe vinculo ad mutuam concordiam devinciri. Quamobrem, ut Plutarchus ſcripſit, ſi omnes orbis terræ oras luſtrabimus, memoriamque replicabimus, cùm veterum tùm recentium rerumpub. nonnullas reperiemus Regibus carere potuiſſe, alias legibus, alias literis, mœnibus, domiciliis, divitiis cæteriſque rebus, quæ ad communem Societatem neceſſariæ videntur; Verùm nulla reperietur, quæ Religione ad colendum Deum imbuta non fuerit: ac *facilius*, inquit, *eſſet urbem abſque ſolo condere, quam ſine Religione populum congregare.* Itaque veteres omnes legiſlatores videmus, quamvis idolorum cultores, inſtituta & diſciplinam ſuam auſpicatos eſſe à qualicunque cultu Dei & ceremonia religionum: ut *Deucalion* fecit apud Græcos, *Lycurgus* apud Lacedæmonios, apud Athenienſes *Solon*; *Romulus* & *Numa* apud Romanos. Denique in omnibus Imperiis, primum Societatis Civilis fundamentum fuit ſancta & inviolata religionum obſervatio.

Quare qui ex omni memoria reſpublicas adminiſtrarunt, nihil magis extimuerunt, quam religionis perturbationem, atque innovationem: cum intelligerent, religionem (quæ Societatem hominum continet, fun-

damentumque legum eſt) violari & lædi non poſſe incolumi Reipub. ſtatu. Nec temerè magnus ille Romanus Orator dixit, *labefactata religione fidem hominum concidere, vitamque civilem perturbari*: cujus rei multa in omnibus rebuſpub. bene conſtitutis exempla prodita ſunt.

Quod ſi inveſtigabimus, quantopere Athenienſes qui cæteris Græcis ſapientia & prudentia rerum præſtiterunt, religionis ſuæ integritati ſtuduerint, ex ſolo Socratis exemplo comperiemus, eos diligentiſſimè caviſſe, ne religiones novæ in Remp. inducerentur. Ejus enim inimici qui periculum capitis per calumniam inferebant, nullum gravius in eum crimen reperire potuerunt, quam quod religionem induceret, à majorum inſtitutis abhorrentem, eamque ob cauſam *Plato* & *Xenophon* in eo defendendo, plus laboris & operæ in eo crimine diluendo, quam in cæteris conſumpſerunt. *Socrates* præthereà, clarus inter Græcos Orator, in Principis inſtitutione, eum hortatur, ne majorum ſuorum religiones immutet, quòd ex ea mutatione confuſio rerum mnium perturbatioque conſequatur.

A prima item origine Reipub. Romanæ hæc in primis lex *Romuli* fuit, *Deos peregrinos ne colunto*. Ac *Numa Pompilius* ſecundus Rex, cum Religionem Romanorum conſtituere in animo haberet, Pontifices creavit, *qui*, ut ait Livius, *darent operam, ne novis & peregrinis ceremoniis jus divinum religioque pollueretur*. Poſtquam verò penes Auguſtum Cæſarem univerſum imperium fuit, cum is ad proximos amicos retuliſſet, de conſtituenda Repub. hoc ei conſilium *Mecænas* clarus Senator dedit., *ne*

*mutari religionem pateretur, quòd ea mutatio ad res novas moliendas, perturbandumque Reipub. ſtatum viam quandam muniret.* Multa præterea exempla è vetuſtate reperiri poſſent, quæ prætermittam, ne in rebus adeò claris Oratio mea conſumatur.

Quod ſi veteres cultores idolorum, veræ religionis ignari, eamque ſolam Dei cognitionem habentes, quam natura in magnis tenebris & obſcuritate rationis humanæ attuliſſet, religiones tamen ſuas abſurdas atque ridiculas ſingulari diligentia & pertinacia retinuerunt: quanto nos Chriſtiani ſtudioſius, qui fidei noſtræ veritatem accepimus ab inſpiratione & doctrina Spiritus ſancti, ab ipſius ore Dei, præſenti filii ejus humanitate, ſermonibus ejus, miraculis, morte, paſſione, à ſanguine martyrum, doctiſſimorum hominum diſciplina, perpetuaque Eccleſiæ ſerie & ſucceſſione; quanto, inquam, majori contentione religionem noſtram, tot tantiſque authoritatibus ac teſtimoniis comprobatam, defendere tuerique debemus? Quam incenſo ſtudio hæc à nobis retinenda fides, vetuſtate temporum confirmata? Quantopere execrari debemus omnes alias de Deo diviniſque rebus ſententias, præter eam, qua ad Jeſum Chriſtum vocati ſumus, ipſius Baptiſmo regenerati, cumque eo ſanctiſſimis Sacramentis conſociati & conjuncti?

Nam ſi hoc conſilium religionis inviolabiliter conſervandæ commune fuit nationum gentiumque omnium, an non potiſſimum à nobis Chriſtianis ſuſcipiendum eſt, qui religionem tenemus non ad colendam modo ſocietatem civilem, verum ab ipſa expectamus

aliam, poſtquam hac vita perfuncti fuerimus, certam æternamque ſocietatem? Quique tam certam ſciamus eſſe fidei noſtræ firmitatem, ut ſi de cœlo veniat Angelus, aliamque doctrinam afferat, quam quæ Apoſtolicâ traditione accepta eſt, repudiare & aſpernari debeamus? In mentem nobis veniat, quod lege Dei tam ſanctè præceptum eſt non patrem noſtrum, non filium, non amicum, non uxorem, nullum denique audiendum eſſe, qui religionem objiciat à Deo abſtrahendam, ſeverè potiùs & acriter perſequendum, atque judicandum. Ut igitur congregati ad civilem ſocietatem, Religionem tueri debemus: ut Chriſtiani verò, multo majora officia præſtare, tùm propterea quòd eam certiſſimam veriſſimamque eſſe ſcimus, tùm quòd imperiis præceptiſque Dei ad id informamur.

Huc accedit, quod Franci ſumus, eamque ob rem omnibus vinculis ad Religionem Chriſtianam defendendam obſtricti. Francia Chriſti fidem Imperio *Clodovæi* publicè olim acceptam, integram poſt atque inviolatam ſæculis omnibus conſervavit. Francia, cùm reliquus orbis Chriſtianus diſtraheretur variis perniciofiſque ſectis, quæ adhuc uſque fuerunt, conſtantiam in Religione Catholica tenuit, nec ſe in ullam falſam doctrinam induci paſſa eſt. Francia Chriſtianæ fidei auxilium perenne & propugnaculum fuit, ejuſque hoſtes vi & terrore compreſſit. Francia denique in aſſerenda ac vindicanda fide Catholica, cæteris omnibus longe antecelluit orbis terræ nationibus. Ea verò quantum de dignitate ſua deperderet, quantum de exiſti-

matione, quantum à ſua in Deum priſtina fide deficeret? Si depoſita gravitate & Religionis conſtantia, has diſcordias & ſectas diutius perferret, atque oculis ſuis effrænatam intolerabilemque licentiam, variarum Religionum ſpecie, obverſari pateretur?

Has ob cauſas, *Chriſtianiſſime Rex*, Eccleſiaſticus Ordo Te in bonam partem accepturum arbitratur, pro ſtudio tuo perpetuo, animoque in fidem Catholicam, quod nunc à te maximo ſtudio contendat, ut in regno tuo unius Religionis exercitationem & cultum verſari jubeas, omnemque Miniſtrorum colluviem & peſtem quam-primùm expelli, qui doctrinam inſolenter nefarieque prædicant, à vera, Catholica, Apoſtolica, Romanaque fide & diſciplina abhorrentem.

Nec verò dubitamus, quin ad hanc rationem voluntas tua ſponte ſit incenſa, cum & honor Dei, qui tibi antiquiſſimus eſt, quique hoc in Regno miſerabiliter antea eſt afflictus, ad id te hortetur, & charitas populi curæ tuæ commiſſi, & exiſtimatio tua atque dignitas. Quod ſi Majeſtas tua vetuſtatis memoriam replicabit, cognoſcet Franciam quandiu unius vinculo Religionis fuit devincta, famam & gloriam nominis ſui longe lateque propagaſſe, arma ſua per omnes terras circumtuliſſe, de Religionis Catholicæ hoſtibus victorias triumphoſque reportaſſe, eaſque res geſſiſſe contra infideles gentes, eam gloriam ſibi peperiſſe in Aſiaticis populis, Africanis, Indis, Perſis, Tartaris, Mauris, Saracenis, ut ab illis gentibus Chriſtiani omnes Europæi, *Franci* nominentur. Cum enim externæ illæ nationes, ſolorum Francorum ex-

Chriſtianis arma ſenſerunt, Latinum omne Chriſtianorum nomen una *Francorum* appellatione comprehenderunt.

Poſtquam verò Francia in duas diverſas Religiones diſciſſa ac diſcerpta eſt, conſideremus, quæſo, quantum deceſſerit de ejus veteri fama & gloria. Nam quæ maximæ parti Europæ imperabat, quæ longinqua regna ad imperium ſuum adjungebat, cujus denique nomen bellicoſiſſimis nationibus erat terrori: Poſt hoc infelix inauſpicatumque diſſidium in eum eſt adducta locum, ut externa arma in viſcera ſua receperit, legibus propemodum & conditionibus finitimorum ſuorum & hoſtium paruerit, atque in ſe crudelis & ſæva, corpori ipſa ſuo gladios intentarit; quæque à cæteris nationibus invicta fuerat, ſe ipſam eliſerit, afflixerit, funditùs perdiderit. Hos fructus attulit peſtilens illud & funeſtum novarum opinionum ſeminarium, quod etiam germina feret multo periculoſiora, niſi, pro populi tui ſpe atque expectatione, quam primùm his malis ſuccurras.

Meminiſſe te, *Clariſſime Rex*, oportet, magni *Clodovæi* ſceptrum manu iſta regia teneri, qui princeps Monarchiam hanc ad ejus religionis profeſſionem adjunxit, quæ nunc in dubium atque in controverſiam hoc eodem in regno vocatur. Tu *Chiladeberti* hæres, qui homines male de Chriſtiana religione ſentientes cum ferre non poſſet, Viſigotis hæreſi Ariana infectis bellum intulit, eoſque coëgit ad ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ conjunctionem redire.

Tua Majeſtas *Caroli* illius coronam gerit capite ſuo, qui propter rerum geſtarum ma-

gnitudinem & gloriam *Magni* cognomen adeptus eſt, armis & virtute Catholicam religionem amplificavit, ſanctæque Sedis Apoſtolicæ auctoritatem atque dignitatem contra hoſtes acerrimos potentiſſimoſque defendit. Tu *Philippi Auguſti* locum atque amplitudinem obtines, qui Albigenſes hæreticos à Societate Catholica disjunctos, maximo ſtudio animoque perſecutus domuit ac ſubegit.

Tu in ſolio ſedes clariſſimi celeberrimique Regis *Sancti Ludovici*, qui in defenſione ac propagatione fidei Jeſu Chriſti, nullis facultatibus, non viribus & copiis, non capiti ſuo pepercit, chriſtianiſque geſtis ſuis coronam & nomen *Sancti* promeritus eſt. Ac ne in enumerandis omnibus orationem conſumam, recordare nepotem eſſe te magni illius Regis *Franciſci I.* qui lumen fuit atque ornamentum pietatis religioniſque chriſtianæ: filium *Henrici*, cujus laus & memoria æterna futura eſt: Fratrem Catholicorum in primis principum *Franciſci ſecundi* & *Caroli noni*, quibus pacem veniamque det Deus.

Quod verò Te propius attingit, Tu ille clariſſimus *Henricus*, qui cum Andium Dux etiam eſſes ac Regis Frater, defenſionem Eccleſiæ ſuſcepeii, tam multa geſſeris, tam multas victorias reportaris, ita ſæpe fidei Catholicæ hoſtes domueris, ut Chriſtianum orbem impleveris nominis tui gloria. Atque exiſtimamus omnes te nec oblitum eſſe, nec unquam obliturum ſanctiſſimi Jurisjurandi, quod initiando dediſti, non ſolum te religionem Chriſtianam & Catholicam eſſe defenſurum, ſed amplificaturum etiam omni

ope, nec ullam aliam religionem toleraturum.

Quod ſi unquam jurejurando ſeſe devinxit ullus princeps ad fidem præſtandam, hoc te Sacramentum ita obligat ad tuendam religionem, ut contrariam, ſalva conſcientiæ integritate, ferre non poſſis, ſalveque jure regni tui. Scis enim, cum Jeſu Chriſto pactum te eſſe, ſceptrum ea lege accipere, ut te Catholicæ religionis defenſorem præberes: ut etiam in eo ſolemni jurejurando, Corpus & Sanguis Chriſti pretioſus pro pignore à te ſumpta ſint. Si verò fidem ſanctiſſimè datam nunc falleres; an non intelligis Deum meritò tibi offenſum iri? An neſcis omnia quæ adhuc perpeſſi ſumus mala, ab ejus oriri offenſione? Datoque tibi ſceptro certis conditionibus, fore, ut tibi de manibus extorqueatur, ſi fidem tam ſolemnibus ceremoniis datam violaris? Ac quemadmodum te Deus ad fidem exolvendam invitat, ita populus univerſus earum conditionum commonefacit, quibus Rex factus es, à quibus diſcedere non potes violato jurejurando, quin *Chriſtianiſſimi* quoque nomen amittas.

Nec dubitamus, quin cum hæc omnia ante oculos ponas, majorumque tuorum memoriam excites, perſevereſque in priſtina virtute atque prudentia: videas in vita populum tuum ad ovile redactum ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, cujus veluti parens & defenſor es.

His rationibus magni illi Hieroſolymorum Reges David, Salomon, Abia, Joſaphat, Ezechias, Joſias Dei gratiam & benedictionem ſibi pepererunt, conſecutique ſunt ut res benè ſibi evenirent; quòd ſumma diligen-

gentia religionis ſanctimoniam & puritatem conſervaſſent, diſciplinamque cultus Divini depravatam inſtauraſſent. De te itidem ſperamus, fore, ut illorum inſiſtens veſtigiis univerſam Galliam ad fidem Catholicam adjungas. Hoc autem tam egregiæ voluntatis præmium futurum eſt, ut tàm florens hoc regnum, quàm cum maximè, ætate tua videas.

Atque, ut hoc Deo gratiſſimum erit, ita tibi coronæque tuæ per-quam honorificum. Quod facile intelliges, ſi conſiderabis, nullum hoc tempore Regem eſſe, nullum principem, nullam civitatem, ( aliquot Barbaris populis exceptis, & Turcarum Tyranno, cujus execrabiles mores atque inſtituta tantò nobis odio eſſe debent, ut ſolius mentione nominis exhoreſcamus, ) quæ populum patiatur aliam ſuſcipere religionem & abhorrentem ab ea, quam ex ſententia & authoritate Eccleſiæ, magiſtratus probat.

Nec audiendi ſunt, qui vel priucipis vel magiſtratus poteſtatem ita perſtringunt atque extenuant, ut ad fidem & certam religionis diſciplinam populos cogere non poſſit, eoſque potius debeat ad arbitrium ſuum & conſcientiæ ( ut loquuntur ) libertatem pati vivere? Hæc enim ſententia ab omnibus ſemper Chriſtianis exploſa & repudiata eſt, præter quàm à Manichæis & Donatiſtis, qui defendebant, neminem propter religionem cogendum eſſe, ſed ſuæ quemque libertati atque arbitrio permittendum.

Atque ij, qui à te hanc licentiam extorquent, non permittunt aliis. Quibus enim in locis rerum potiantur, tantum abeſt, ut Ca-

tholicis

tholicis poteſtatem faciant liberè ſentiendi, atque vivendi, ut etiam diverſæ ſectæ ( iis enim diffident inter ſe, quod imminentis illis exitii magnum argumentum eſt ) aliæ alias inſectentur, atque exterminent. Ubi enim penes Calviniſtam poteſtas eſt, non eſt Lutheranus liber ? Ut etiam, cum forma Reipub. & magiſtratus mutatur, eandem accipiat religio mutationem, quod crebro in Anglia, & in multis Germaniæ partibus factum eſt. An non igitur Chriſtiano & Catholico, dedecori futurum eſt, ſi minus ſtudii in religionem ſuam conferat, tam multorum ſæculorum vetuſtate confirmatam, quam hi novi Chriſtiani in recentes opiniones ſuas ?

Hæc igitur prima ſententia eſt, in omnibus rebuſpub. Eccleſiæ probatis, debere ac poſſe Magiſtratus, populum in eadem fide ac diſciplina continere. Cui rei argumento ſunt Chriſtianorum & Catholicorum Imperatorum leges, Conſtantini, Theodoſii, Valentiniani, Martiani, pleræque item à regibus, majoribus tuis latæ.

Sed quoniam non ſolum ij, qui ſeſe ab ovili Eccleſiæ disjunxerunt, multos deceperunt mortales, cùm prætexerent depravatam Eccleſiaſticorum hominum diſciplinam; verum etiam qui in fide Catholica perſeverarunt hanc morum & vitæ labem aſſiduè deplorant: liberè confitebimur, hæc nobis quoque dolori eſſe; at verè addere poſſumus, ortam ex ſuperioribus calamitatibus licentiam cumulaſſe mala noſtra, bonorumque voluntatem fregiſſe in inſtauranda Eccleſiaſtica diſciplina. Hanc autem facultatem in hoc conventu Eccleſiaſtici nacti, ſermones & conſilia confe-

rendi, ſperant ſe ex auctoritate tua poſſe, quæ collapſa ſunt ita reſtituere, ut & Dei Majeſtas ſanciatur, & voluntati tuæ, populique optatis ſatisfiat.

Quo autem id facilius aggrediantur, petunt à te maximis ſtudiis, ut in regno tuo promulgari jubeas ſacro-ſanctum *Concilium Tridentinum*, in quo ex ſententia & auctoritate doctiſſimorum hominum ea decreta ſunt, quæ Eccleſiam in priſtinum ſplendorem reſtituere poſſint. In quo voluntatem ac poteſtatem tuam, qui Chriſtianiſſimus es, & ſingulari in Eccleſiam ſtudio, ſperant ſibi non eſſe defuturam.

Quoniam autem præcipuum in eo conventu ſanctiſſimo conſilium fuit, ut Eccleſiis providerentur boni ac diligentes paſtores, qui & doctrinæ præſidio, & exemplo pietatis, atque integritatis, lapſa erigerent, labefactata confirmarent, illuſtrarent obſcura, orat te Ordo Eccleſiaſticus, ut veterem electionum formam & conſuetudinem in Eccleſiæ præfecturis, ex ſanctiſſimis decretis & canonibus reſtituas. Ex eo fiet, ut ad honores Eccleſiaſticos, quod ad hoc factum eſt, non pateat aditus gratiæ, ambitioni, ſimoniæ, quæ ita pervagata eſt ſolutis omnibus pœnis, ut eadem commercia & nundinationes, quæ in temporalibus bonis, celebrarentur. Idque inde ortum eſt, quòd bona cultui divino attributa & deſtinata poſſidentur & tenentur vel apertè ab hominibus laïcis, nec Eccleſiaſticis, vel obſcure atque oblique ab iis, quibus fidem habet avaritia & cupiditas nonnullorum, hæc bona nefariè impiéque devorantium, & Eccleſiæ inſignem injuriam ac labem imponentium.

Francicis hiſtoriis proditum eſt regno *Ludovici* ſexti, cui *Craſſi* cognomen fuit, à nobilibus pleriſque eam uſurpatam licentiam, ut non ſolum bona Eccleſiaſtica occuparent, Comes Claromontenſis, res hujus Epiſcopatus; Roſſenſes Eccleſiæ Remenſis & Laudunenſis; Aurelianenſis Eccleſiæ, Dominus Meduni; ſed etiam titulos ſibi aſſumerent præfecturarum Eccleſiaſticarum, cœnobium Savinienſe in agro Lugdunenſi Dominus Bellijoci, nonnulli proceres cœnobium ſancti Dionyſii. At ille Rex tantam Eccleſiarum injuriam non ferens, arma illis intulit, coëgitque Eccleſiis ſua jura, bona, libertatemque reſtituere: cum intelligeret, ea maleficia, Eccleſiæ atque Reipub. clades maximas importatura eſſe.

Te eodem exemplo ſperamus, *Rex Optime*, permiſſurum honores Eccleſiaſticos, deſignationemque omnem iis, quorum id jus eſt, prohibiturumque ab ea poſſeſſione laïcos homines, eamque ob rem omnia dona, policitationeſque ejuſmodi infirmaturum, quæ maxima peſtis eſt & labes Eccleſiaſticorum diſciplinæ.

Quod ſi ita humane & paterne nobiſcum ages pro pietate in populum tua, ut ex cujuſque integritate vitæ, & ſinceritate doctrinæ Eccleſiaſtica munera officiaque mandentur, non dubitamus, quæ violata ſunt ac dilapſa, omnia reſtitutum iri. Sin erit ſecùs, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſanciendæ nulla fundamenta jaci poſſunt. Ex qua tamen diſciplina intelligimus, populi univerſi, Catholica religione devincti, concordiam pendere. Cum enim paſtores, verſantes in munere ſuo, & in gre-

gum cuſtodia pervigiles (tales autem futuri ſunt, qui propter virtutem creati fuerint) pueritiam Catechiſmi doctrina & ſanctis præceptis informabunt, ignaroſque homines & idiotas erudient, rationeſque afferent & confirmationes ſacrorum Eccleſiç inſtitutorum: dubitandum non eſt, quin brevi tempore ij fructus exorientur, ut & Catholici ea multo cupidius amplectantur, & qui miſerè ab Eccleſia aberrarunt, cum ejus ſapientiam prudentiamque perſpiciant, ad matris gremium, mutata mente, pœnitentiaque ſuſcepta, revertantur.

Hac ratione ſæpe ferales peſtiferæque hæreſes paulatim deletæ, non armis & vi expugnatæ profligatæque ſunt. Hac redintegratione veteris diſciplinæ ex auctoritate tua facta, ſpes eſt, fore, ut pernicioſi errores, quibus hoc regnum perturbatur, diſſipentur ac evaneſcant.

Satis multis verbis ſummam perſtrinximus conſtituendæ religionis, quo primo fundamento ſtatus Reipub. nititur. Singulas verò res edemus tabulis literiſque noſtris comprehenſas: jamque ad Remp. orationem conferemus, quod alterum caput à nobis propoſitum fuit. Hæc verò explicabimus, ut breviſſime fieri poterit, eoque liberius, quòd nos attentè ac diligenter adhuc tua Majeſtas audiit.

Qui unquam de Repub. ſcripſere, ſocietatem civilem exiſtimarunt ad quietem & tranquilitatem communem potiſſimum referendam eſſe: ac revera in quibus civitatibus conſenſio voluntatum conjunctioque fuit, felicem ea ſtatum habuerunt: ubi verò diſcordiis

laboratum eſt, miſere omnia convulſa diſcerptaque tandem corruerunt. Itaque præcipiunt Philoſophi Regis officium in primis eſſe, populi concordiam ſancire ac tueri. In quo *Rex Optime*, ad cæteras tuas virtutes hæc quoque adjungitur, quod qui natura bellicoſus es, pacis ſtudioſiſſimus ſis, eamque nuper care redemeris, jamque cum populo tuo conſilia ineas quietis & tranquillitatis publicæ.

Quatuordecim ab hinc, aut quindecim annis bellum crudele inhumanumque geſſimus inter nos, ejuſdem nationis homines, earundem Provinciarum & civitatum, pater in filium, frater in fratrem, propinquus in propinquum armati, devincti & conſociati inter nos ejuſdem Regis imperio & fide, eadem prius ſequentes arma, eadem ſigna, eadem liliorum auſpicia reſpicientes. Atque ita cæci & furore amentes ſumus, ut non agnoſcamus, Jeſum Chriſtum, qui ipſa veritas eſt, quique mentiri & fallere non poteſt, dixiſſe, *omne regnum in ſe diviſum deſolatum iri.* Quis autem non videt? quis non ſentit deſolationis hujus & vaſtitatis, & populationis calamitatem? Agri noſtri, anteà feraces ac fœcundi, nunc inculti & ſteriles, & miſeris dominis infructuoſi ſunt: amplæ & opulentæ domus jam deſertæ & ſolitudine horridæ; vacuæ ſuis incolis urbes celeberrimæ; nudatæ jam ornamentis ſuis, & pulchritudine magnificentiaque ædificiorum cùm privatorum, tum publicorum: quod caput miſeriarum, diſcerptæ Provinciæ ſunt, & diſſidentes, & in Helvetiorum civitatum & pagorum morem propemodum redactæ diſcordiis inteſtinis.

*Saluſtius*, clarus Hiſtoriographus, ſcripſit Romanæ civitatis ſtatum ruere non poſſe niſi diſſenſionibus ac diffidiis civium inter ipſos: quod cum omnia orta occidere oporteat, tùm cives cum civibus pugnaturi eſſent, cùm occaſus atque interitus Romani imperii appropinquaret: quod alioqui, ne orbis quidem terræ conſpiratione labefactari poſſet. Nec verò ejus præſenſio vana fuit. Illa enim Reſpub. quę per concordiam civium florentiſſima ac potentiſſima fuerat, everſa eſt contentionibus ac diſcordiis *Sillæ* & *Marii*, *Cæſaris* & *Pompei*, *Antonii*, *Lepidi*, & *Octavii*, qui in perniciem patriæ, factiones inter ſe, & odia & inimicitias exercebant.

Nec verò ſolum Romanum imperium hujuſmodi certaminum acerbitate cecidit, verum etiam potentes in omnibus ſeculis Reſpub. odiis & factionibus domeſticis afflictæ, & deletæ ſunt. Imperium *Alexandri* maximum & Orienti univerſo formidoloſum, diſcordiâ ſucceſſorum ejus, brevi tempore, more ignis ex arida levique materia conflati, extinctum eſt. Græciæ civitates, ceteroqui invictæ, turbis & diffidiis ſuis in poteſtatem ditionemque partim Macedonum, partim Perſarum venerunt. Gallia olim, tam ſæpe à Romanis oppugnata, ſola principum diſſenſione vinci potuit, quam *Cæſar* adveniens offendit, quaque ad eam perdomandam uſus eſt. Conſtantinopolitanum imperium factionibus inteſtinis, in manum poteſtatemque redactum eſt Ethnici & Barbari tyranni Turcarum.

Hæc exempla ad *Saluſtii* adjuncta præſagitionem, an non documento ſunt florentiſ-

ſimum hoc regnum, majorum noſtrorum concordia inter ſe & fide in Regem amplificatum, labefactatum iri odiis & diſſentionibus civilibus atque inteſtinis, niſi quam primùm ſubveniatur?

Ad mala verò noſtra cumulus hic accedit, quod certamina noſtra non dirimimus per nos ipſos, verum externa arma ex Anglia uſque & Germania acceſſuntur: ut videamur propemodum, facultatem illis nationibus & viam aperire ad ſervitutem nobis imponendam. Nec in mentem nobis venit, tum rebuſq; pub. atque imperiis graviſſimas calamitates eſſe importatas, cum factioſi cives, peregrinos auxilio acciverunt, qui ea ratione iter & aditum nacti rerumque poſtea potiti ſunt.

Quo tempore Gallia civitatibus & rebuſq; publicis diviſa erat, Sequani auxilia Germanorum appetiverunt, eorumque ope freti opulentam Hæduorum civitatem prope deleverunt. At victoria ipſa, læta initio, victoribus, quàm victis majori poſt fraudi & exitio fuit. Coacti enim ſunt Germanis, à quibus adjuti fuerunt, dimidia fere agri ſui parte cedere, hique progrediente tempore, pleriſque indigenis expulſis, poſſeſſiones ſuas longe propagarunt. Nunquam Romanum imperium graviora incommoda detrimentaque accepit, quàm à Lombardis, qui primùm à Marſete, ad repellendos ex Italia Gothos invitati, deinde ab eodem ex intervallo revocati, propter injurias contumeliaſque Sophiæ reginæ ulciſcendas, univerſam Italiam diripuerunt ac populati ſunt: ut Francos accerſiri opus fuerit: qui aditu illo patefacto, multa fortiter fæliciterque geſſerunt, nobileſque victorias reportarunt.

At cur externa quærimus exempla, qui domeſticis abundemus? Seditiones ac certamina *Aurelianenſium* & *Burgundionum* introduxerunt in Franciam Anglos, qui in ea pedem ita ſtabiliter poſuerunt, ut magnam partem diutiſſime tenuerint. Qui igitur Franci opem & auxilium alienigenarum expetunt, iiſque influentibus Duces ſe & auctores præbent, nonne ſibi interitum atque exitium furioſe acceſſunt, eaque conſilia capiunt, quibus nobilium civitatum & rerum-pub. ſtatus everſus eſt? Hæc incommoda noſtra, hæ miſeriæ calamitateſque communes.

Jam videamus, quænam ratio ſit, tantorum malorum incurſus impetuſque tardandi. Plutarchus in politicis præceptis, ea monet, quæ documento nobis poſſint eſſe. *Si qua*, inquit, *in urbe ignis forte incendiumque exoriatur, non ſæpiſſime à principio aut Templis concipitur, aut magnificis domibus, aut operibus publicis, verùm in privati alicujus ædibus exigua flamma deliteſcit, & paulatim ſerpit, tùm ſe progreſſa in totam urbem infert, & pervagatur, proxima quæque comprehendens, deformeſque tandem ſtrages & ruinas, & ſpeciem horribilem uſquequaque molitur: ita fit ut ſeditiones in civitatibus non ex Repub. naſcantur, ſed ex ſingulorum offenſionibus, maximeque Principum, qui partes quiſque ſuas factionibus conſpirationibuſque munientes, univerſæ Reipub. ſtatum labefactant.* Hæc ille exemplo confirmat ſeditionum, quæ Delphis & Syracuſis ex levi nonnullorum certamine concitatæ ſunt: Cum interim ex parva ſcintilla magnum incendium exortum ſit.

Si recentiora exempla replicabimus; comperiemus, *Iuſtiniani* Imperatoris ætate, pro-

pter yanthinum praſinumque colores aſſerendos, tantam ſeditionem Conſtantinopoli inter factioſos commotam eſſe, ut amplius triginta hominum millia uno die deſiderata ſint, atque ipſe Imperator magnum diſcrimen adiit & capitis & imperii ſui. Ex verò factiones *Alborum*, & *Nigrorum*, quæ in Florentina Repub. diutiſſime tenuere, omnemque Italiam pervagatæ ſunt, ex levibus occaſionibus inter privatos ſunt coortæ.

Quare utiliſſimum eſt Plutarchi conſilium, & præceptum Reipub. adminiſtratori datum, ne certamina inter principes gliſcere patiatur, eaque à principio opprimat & extinguat, caveatque ne hæc exagitata, in eundem metum & diſcrimen cætera quoque adducant. Nec ſane affirmamus, mala & calamitates noſtras ex ſingulorum hominum ſimultatibus & odiis extitiſſe: Videmus tamen, inimicitiarum factionumque vitio eſſe propagatas. Quodſi in hoc regno ſtudia partium nulla fuiſſent, non tam diu turbulenti & ſeditioſi homines hanc flammam, qua conflagramus, flagello ſuo exagitaſſent.

Hoc igitur vel maximum beneficium populo tuo dare potes ad quietem pacemque confirmandam, ut inveſtiges quibus inimicitiis, ſimultatibus, factionibus laborat Reſpub. eaque comprimere ac ſedare ſtudeas, non ad ſpeciem, ſed ad veritatem; iis ſatisfaciendo: quod quidem jure & ordine fiat, qui hoc ſtatu vel publico, vel ſuo contenti non ſunt; ſecuritatis atque incolumitatis rationem iis offerendo, qui ſe aliis diffidere profitentur; reconciliando eos, & in gratiam reſtituendo, qui inter ſe inimici ſunt.

Vetus autem Athenienſium exemplum uſurpandum, qui ex diuturnis motibus ac ſeditionibus, cum quietem expeterent, legem ſanxerunt *amneſtia*, id eſt, oblivionis, quâ præteritarum injuriarum, incommodorum, calamitatum memoriam delebatt, quam etiam legem poſt bella civilia Romanis *Cicero* ſuaſit. Ea lex rebus admodum noſtris confert, ut deleantur ex vita memoriaque noſtra ſuperiorum contentiones temporum, caſuſque omnes bellorum civilium inter nos ſilentio atque oblivione obruantur; eaque omnia nihilo magis perſequamur, quàm ſi nunquam facta fuiſſent.

Hæc hoc in Conventu ſancienda, ut perpetuò inviolata ſint. Cumque ita præteritis conſulneris, legem Majeſtas tua jubeat ac ferat ex Ordinum authoritate, quæ Lex eandem vim & robur, quo *Salica* eſt, habeat: *Ne quiſquam poſthac pactis & fœderibus ullis agat cum externis gentibus, ſollicitetque ut in Galliam ingrediantur; neve copias militares contrahat, vel Gallorum, vel externorum, injuſſu Majeſtatis tua: Qui eam legem vel per ſe vel per alios violarint, hoſtes judicentur, & inimici patria reique publica perturbatores: eorum bona publicentur & addicantur fiſco; nec poſteà illis honores, magiſtratus muneraque publica capiendi poteſtas ſit.*

Nam cum mala detrimentaque accepta nos doceant, quam pernicioſa ſint ea fædera eamque rerumpub. exempla, his factionibus everſarum, externiſque afflictarum armis, eandem calamitatem, cladem que minitentur ac denuncient: populus omnis tuus pro ſua in te fide, ſtudio, pietate, tibi præſto futurus eſt adjuturuſque, ut & hæc, & quæcumque præ-

terea hoc in Concilio decreverit, inviolata, ſanctaque ſint. Si quorum verò efferet ſe inſolentia ac temeritas, qui ſcita tua contemnere ac perfringere audeant: Deus tibi primam opem & auxilium in juſtiſſima cauſa feret, deinde populi omnes ſui operam fidelem ac ſtrenuam navabunt.

Tranquillitas ergò Reipub. populorum conjunctio, reconciliatio inimicitiarum præteritarum, factionumque omnium tùm civilium, tùm externarum oblivio, conſtituendæ reipublicæ primum fundamentum ſit, nec ſine eo quidquam ſtabile ac certum futurum eſſe exiſtimatur. Reliqua conſiſtent in bonis & ſanctis legibus, magiſtratibuſque ſeveris ac juſtis. De utroque autem ſummatim diſſeremus, ſingula poſituri in libellis rerum noſtrarum, ac poſtulatorum.

Atque ut de legibus primò loco dicam: ſi quod unquam Chriſtianum regnum bonis legibus, inſtitutiſque fundatum eſt, Gallia noſtra hanc præcipuam laudem habet. Nam ſi prima hujus Reip. initia auſpiciaque repetemus, progreſſumque & incrementa conſiderabimus, eam comperiemus nulli Monarchiæ hac in re poſthabendam eſſe. Atque, hoc ex eo perſpicuum eſſe poteſt, quòd rebus omnibus & publicis & privatis regnum noſtrum prudentia conſuluit: quòdque finitimæ pleræque gentes, leges ſuas atque inſtituta à nobis ſumpſerunt.

Ratio autem legum noſtrarum longè humanior eſt, benignior, clementior, quam cæterorum vel regnorum, vel rerum-pub. Videtur enim gens noſtra, ſola præceptum ſummi Philoſophi *Platonis* ſecuta eſſe, quo ad

monuit à legibus populum perſuaſione potius duci oportere, quàm nudis ſeveriſque imperiis cogi. Legamus omnes veteres Perſarum leges, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Romanorum, aliarumque nationum; recentiores item evolvamus; reperiemus ſatis fuiſſe legum latoribus, nude vel jubere, vel vetare, nullam verò rerum imperatarum rationem eos attuliſſe.

At Gallorum Reges qui populis ſuis, ut parentes liberis, imperant, ratione potius perſuadere videntur, quàm imperio cogere. In exordiis enim legum, conſilia ſua & cauſas jubendi aperiunt, ut populus amore virtutis, & ratione ductus obſequatur: quod primum legis fundamentum eſt. Quod ſi hoc in ſummis laudibus *Antonii Pii* fertur, in edictis eum & imperiis literas edidiſſe, quibus edicendi cauſas afferret: quanta à nobis pietate colenda memoria eſt noſtrorum Regum, qui omnes eundem morem obſervarunt, qui in omni antiquitate dicitur proprius illius principis fuiſſe?

Cum itaque leges Galliæ videamus tam bono more iis omnibus proſpicere, quæ Remp. attingunt; veterum legum obſervatio nobis potius tenenda eſt, quàm novarum inveniendæ ratio. Didicimus enim nihil Reipub. exitiabilius eſſe multitudine legum: & quemadmodum qui periculosè ægrotat, peſſimo loco eſt, ſi indocto medico atque imperito curatur, qui medicamina medicaminibus cumulans ea varietate humores corporis corrumpat & vitiet: Sic in perturbata Repub. aliæ ſuper alias leges latæ non minus perículoſæ ſunt ac perniciosæ, quam multa in infir-

mo ſtomacho medicamenta. Cumque rerum ſit redintegratio, nova & depravata tollere, omniaque in priſtinum redigere ſtatum; jure ac meritò veterum potiùs legum renovationem poſtulata noſtra complexa ſunt, quam novarum inſtitutionem.

Verum quoniam inutiles ſunt leges, niſi ſevere obſerventur, hoc in primis à Majeſtate ſua contendimus, ut in eorum cuſtodia & ſanctione adhibeas ſeveritatem & conſtantiam. Hoc nos à juſtitia tua expectamus, qui auſpicatus es conventus noſtros ab explicatione facienda voluntatis & conſilii ſui, atque hoc te facturum eſſe, fidem juſque-jurandum ſanctiſſime dederis, cujus ſacramenti memorem te eſſe optamus, ut id illis objicias, ſi qui forte importunis & moleſtis precibus vim facere ad infringendas leges conabuntur. Nulla enim unquam re tam floruerunt reſpublicæ, quàm conſtanti patriæ legum obſervatione, primumque & maximũ ſignum eſt imminentis exitii, effrænata licentia, nimiaque in remittendis ac ſolvendis legibus facilitas.

Itaque rectè monuit *Cicero*, reſpublicas, imminente pernicie, deſperataque ſalute huc recidere, ut damnati reſtituantur, res judicatę reſcindantur; neminemque dubitare debere, cum ea fiunt, quin interitus appropinquet, ſpeſque ſalutis nulla reliqua ſit.

Stabit igitur regnum tuum, *Chriſtianiſſime Rex*, ſi non ſolum difficilem te, ſed etiam inexorabilem in legum relaxatione præbebis, aquabilitatem tenebis, nullum gratiæ locum dando, cum leges ſummis æque & infimis, divitibus & pauperibus latæ ſint. Peſſimi enim

res eſt periculoſique exempli, leges ſimiles eſſe, ut quidam è Græciæ ſapientibus dixit, telis aranearum, quæ cum ab avibus perrumpantur, ſolas muſcas, animalculum imbecillum, impediunt atque intricant.

Quamobrem ſint inviolabiles leges tuæ; ſevere ac diligenter cuſtodiantur, non expugnentur & frangantur gratiâ, non potentiâ inflectantur, præſtent omnibus æquabilitatem. Quæ tùm fient, cùm populo æqui magiſtratus dabuntur, qui nihil gratiæ, nihil odii, nihil ſtudii ſui cauſa faciant, exæquent ſummos & infimos, juſtâ trutinâ ponderent omnia, atque moderentur. Bonæ enim leges non ſolum nihil proſunt, cum non obſervantur, ſed etiam ſæpe contingit, ut vel optima inſtituta, magiſtratuum vitio, Reipub. male vertant.

Hæc itaque ſumma cura principis debet eſſe, qui Societatem publicam fœlicem & incolumem eſſe vellet, ut ea bonis & prudentibus magiſtratibus ornetur, qui ſeveritate judiciorum tueantur commune vinculum Reipub. In eaque mirum eſt quantopere in orbe Chriſtiano celebrata ſit Gallia, propter magiſtratuum ſuorum religionem & æquitatem.

Non multis Rebus-publicis hæc laus tribui poteſt, quâ Gallia decoratur, ut earum judiciis & Magiſtratibus externi Principes ſponte ſe commiſerint. Proditum enim monumentis eſt, Imperatorem *Federicum* permiſiſſe Regi ſenatuique Galliæ multarum controverſiarum diſceptationem, quas cum *Innocentio III.* ſummo Pontifice habuerat. *Philippi Pulchri* Regno, *Comes Namurci* ju-

dicium Regis ſenatuſque ſubiit, cum adverſarium etiam haberet *Carolum Valeſium* Regis fratrem. Tantoperè videlicet æquitati judicum illorum confidebat.

Eodem conſilio *Philippus*, *Tarenti* Princeps, quamvis alienigena, controverſias ſuas in Galliam detulit, quæ ei cum *Duce Burgundionum* erant; propter ſumptus in recipiendo Conſtantinopolitano Imperio faciendos. Idem ſecutus eſt *Dux Lotaringiæ*, in diſcrimine judicii familiæ herciſcundæ, adverſus *Guidonem Caſtilioneum* affinem ſuum. Idem *Delphinus Viennenſis*, & *Sabaudiæ Comes* in controverſia quæ inter ipſos erat de beneficio & clientela Marchiſatus Salutiani.

Anno vero Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo, *Caſtiliæ* & *Luſitaniæ Reges*, per aliquos equites Hiſpanos pactionem ac fœdus inter ſe initum miſerunt, ut Lutetiæ in curia ex authoritate Senatus promulgaretur, probaretur, ac ſanciretur.

Jactent ergò veteres tum Græci, tum Romani æquitatem judiciorum ſuorum, legum exiſtimationem, dignitatem ac celebritatem magiſtratuum: horum teſtimoniorum authoritati parem non afferent ad laudem & gloriam, quibus judicia Gallica conſenſu nationum omnium ſunt ornata.

At Deo jam teſte & arbitro conſideremus, quantùm de vetere hac judiciorum exiſtimatione deceſſerit. Hæc enim litium & controverſiarum forenſium contentio, inviſa hominibus ſimul & infeſta, quæ malitioſa potiùs habetur & callida veri ac juris perturbatio, quàm diſceptatio æquitatis, ſeges eſt corruptelæ, non integritatis ſedes: nundina-

tio, non judicium: reſpectus gratiæ, & ſtudii, non boni & æqui.

Nec verò inficior, magnum numerum eſſe juſtorum, & æquorum magiſtratuum, qui hujus perturbationis ac labis inimici, eam judiciorum reſtitutionem optant, quæ nunc à te, *Rex Optime*, poſtulatur: Verùm haud ſcio, an verè dicere poſſimus, meliorem partem, à majore vinci. Affirmare ſanè meritò poſſumus, rationem mandandorum magiſtratuum, nuper uſurpatam, ita pernicioſam eſſe, ut parens corruptelæ injuriarumque omnium appellari poſſit. Perſpicuum enim omnibus eſt, in ſpectandis ac probandis judicibus, non rerum ſcientiam ſpectari, non prudentiam juris, non integritatem vitæ, non experientiam, ætatem, virtutem, ſed nummorum pondus ac probitatem. Ac poſtquam ejuſmodi homines pecuniam dependerunt, quamvis ad ſuſceptum munus idonei non ſint, tamen ita multas literas impetrant, quæ ipſos jubeant probari & recipi, ita crebra imperia afferunt, ut quales ſint accipiantur, maximo Reipub. malo atque detrimento.

Arbitrati Philoſophi ſunt, eum qui ambitioſe publica munera appeteret, indignum eſſe propter ambitionem, qui unquam caperet honores & magiſtratus ullos, cum prenſando & concurſando ſuſpicionem afferret ſordidæ cupiditatis atque avaritiæ, non declarationem boni animi & voluntatis in Rempub. Eadem fuit *Alexandri Severi*, juſtiſſimi imperatoris ſententia, qui tales homines Reipub. pernitioſos exiſtimabat: Atque in cæteris illius principis laudibus hæc fertur maxima, quòd nunquam ſtuduerit pecuniam

ex venundandis magiſtratibus conficere, cum diceret : *Oportere eum, qui ſummam emiſſet, per particulas revendere ; nec jure pœnâ eum affici, qui, quod emerit revendat.*

Nec verò quidquam veteres Romani tam caverunt, quàm aditum ambitioni aut pecuniæ ad honores dare, ejuſque mali cauſas ita præcidere ſtuduerunt, ut, *de ambitu* lege lata fraudulentas prenſationes omnes, & cupiditates oppreſſerint. Ex eo autem intelligi poteſt judicaſſe illos, maximi hoc referre, quòd nulla unquam lex tam ſæpe repetita, quàm *de ambitu*, quæ circiter quintum-decimùm innovata & amplificata eſt.

Ac ratio illa ambitus, quæ pecunia niteretur, ab illis turpiſſima omnium ſordiſſimaque eſt habita, ut infamiâ notaredtur, qui ejus convictus eſſet, & in quinque annos ab honoribus Reipublicæ prohiberetur.

In ceteris argumentis, quibus *Cato Sapiens* dictus Romanæ Reipub. exitium præſagiebat, hoc vel maximum fuit, quòd honores non virtuti, ſed ambitioni deferri videret. Quæ ratio ſi vera fuit, magna videmur argumenta habere propinqui Monarchiæ hujus interitus, qui perſpiciamus ſoli pecuniæ publicos honores patere, ex quo graviſſima invehuntur Reipub. Gallicæ detrimenta & incommoda. Multi enim viri boni à Repub. ſummoventur, cui,quo minus operam utilem & opportunam navent, paupertas impedimento eſt : judicia verò non minima ex parte penes homines ſunt parum idoneos, quorum virtus, ſolę divitiæ ſunt & facultas pecuniæ pendendæ.

Quamobrem petimus à Majeſtate tua, ut magiſtratuum & omnium munerum publicorum pretia, indicationes, venditiones tollas; gratiæ & ambitionis vias omnes præcidas, vacuiſque poſthac officiis ac muneribus provideas homines gratuitò, quorum in unaquaque Provincia virtus & doctrina cognita perpectaque ſit.

Et quoniam diximus, antiquas nos leges reſtitui poſtulare, non induci novas: cognoſce *Clariſſime Rex*, ſanctum Regem *Ludovicum* prædeceſſorem tuum, principem pietatis & juſtitiæ ſtudioſiſſimum, legem tuliſſe, ut Reipub honores ac magiſtratus uni mandarentur ex tribus, qui à cæteris magiſtratibus civibuſque & Provincialibus lecti eſſent, utque Rex ei qui ex tribus videretur gratuitum munus & officium deferret. Quæ poſtea Lex ſæpiſſime innovata fuit à Regibus *Philippo Pulcro, Carolo Sapiente, Carolo ſeptimo, Ludovico undecimo*, proximeque à Rege felicis memoriæ *Carolo nono*, cùm Aureliani Regni Conventus haberet.

Itaque non novæ ſunt hæ leges, ſed pridem in Gallia latæ, atque uſurpatæ. Inde naſcetur tùm optabilis judiciorum adminiſtratio, tum maximum prætereà univerſæ Galliæ commodum, quod cum honor & gloria bonas artes alat, animoſque hominum ſtudioſius inflammet, ſuam quiſque virtutem atque induſtriam tum excitabit, cum honoribus virtus & dignitas, non pecuniæ facultas augebitur. Hæc ratio Romanum imperium amplificavit; hæc ornabit Galliam, ſi non pretio & gratia, ſed induſtria & probis artibus dignitas hominum ponderabitur.

Ordo dicendi poſtulare videtur, ut aliquid de militari diſciplina perſtringamus. Verum quia hæc ab inſtituto & loco noſtro aliena eſto, quodque objici poſſet, ineptum eſſe, de armis, quod aiunt, clericos diſſerere: hoc tantum dicemus, Europam, Aſiam, Affricam, orbemque univerſum, bellicæ fortitudinis exempla à nobilitate Francica ſumpſiſſe, cujus ſemper ea laus fuit, & exiſtimatio, ut non magnus numerus Francici equitatus effecerit, ut maximi exercitus terrori hoſtibus eſſent. Nec dubium cuiquam eſſe poteſt, quin priſtinum laudis decus recuperari poſſit, ſi vetus bellorum diſciplina revocabitur: nec enim convenit meliorem eâ quærere, qua olim tot tantæque res fortiter geſtæ, clariſſimæque victoriæ partæ ſunt.

Hoc loco attingenda mihi eſt communis omnium Ordinum hujus regni querela, quod præteritis, ſummotiſque indigenis, videmus externos (externorum autem nomine principes non complectimur) ad honores & ampliſſima regni munera vocari, Eccleſiaſtica, civilia, militaria: quod injuſtum atque improbum ſemper habitum, ut in omnibus benè moratis civitatibus, in quibus nunquam non fuit diſcrimen civis ac peregrini: hoc autem ſignum fuit ad eos internoſcendos, quod civis honores & magiſtratus caperet, non caperet peregrinus, cujus rei exempla in omnibus reſpublicis numerari poſſunt: Ut etiam è pleriſque peregrini expellerentur. Lacedæmoniæ quidem & Romæ lege *Patronia* & *Papia*, urbe arcebantur, quæ tamen lex, ut ait Cicero, *dura nimis atque inhumana viſa eſt*, nec poteſt in Francia probari, quæ cæteras

nationes contendit ſuperare, humanitate atque officiis in alienigenas adhibendis, nec hanc ſuavitatis atque hoſpitalitatis laudem debet amittere.

Nec tamen æquum eſt ejus magiſtratus ab alumnis & ſuis ad alienos transferri. Athenis, prima fundatione legum, peregrini civitate donari non poterant, niſi ſuffragiis ſex millium civium propter aliqua in civitatem Athenienſem egregia merita. Atque aliquando *Demoſthenes* queſtus eſt, cum olim vix iis daretur, qui eſſent de Repub. optime meriti. Romani quidem, quamdiu ſtetit reſpublica, hanc legem obſervarunt, nec civitatem petentibus Latinis populis dederunt, cum in ea petitione vehementiſſimi uſque ad ſeditionem concitandam eſſent.

Ac memoria dignum eſt, quid in eam ſententiam ſcripſit *Tit. Livius.* ( *Dec.3.lib.3.*) Poſt Cannenſem pugnam, in qua deleti ſunt Romani exercitus, deſiderataque magna nobilitas [illegible] cæſique octoginta Senatores, [illegible]um de ſu[illegible]ogandis Senatoribus referretur. Sp. [illegible] Servilius cenſuit, è Latinis populis, qui tum in fide erant, aliquot viros ſpectatos & claros, in Senatum legendos eſſe. Quæ ſententia ita abſurda & pernicioſa Reipub. ſingulari imperatori ac Senatori Q. Fabio Maximo viſa eſt, ut eam perpetuo ſilentio opprimendam cenſeret, nec deficere qui aliquanto ſeverius duriuſque ſenſerit.

Quemadmodum igitur veteres populi indignum eſſe duxerunt, peregrinis honores impertire, ita propioris memoriæ civitates hac ratione Rempub. adminiſtrarunt. Ac *Patricius Senenſis*, Epiſcopus Caietanus, qui tem-

pore vixit Ferdinandi majoris, & Alphonſi, Regum Neapolitanorum, centum ab hinc circiter annis, in libris de Repub. contendit, hac potiſſimum lege de alienigenis prohibendis à magiſtratibus, Rempub. Venetam florentiſſimam ſtetiſſe. Prætermitto aliorum populorum exempla, ne moleſtus ſim.

Tacere ſane non poſſum, leges Gallorum, quæ cæteris rebus neceſſariis conſuluerunt, hanc quoque tuendæ Reip. partem attigiſſe. Annò enim Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, regnante *Carolo ſeptimo*, lata lex eſt, quâ & magiſtratuum & ſacerdotiorum conſequendorum facultas peregrinis adimebatur, eaque lex in Curia Pariſienſi confirmata eſt, quæ curia tùm Pictavij habebatur, propter bellorum motus.

Nec verò prætermittendum mihi videtur hoc loco præceptum *Philippi Cominæi* Hiſtoriographi celeberrimi; moleſtum eſſe atque odioſum munera & honores Reip. peregrinis deferre, qui nullo modo tam grati & probati eſſe poſſint, quam cives.

Et quoniam hæc conſenſio eſt nationum omnium, hoc jus gentium; obſecramus Te, quam maximo ſtudio poſſumus, ut magiſtratus muneraque hujus Regni tùm Eccleſiaſtica, tùm laïca, tùm militaria, Francis ipſis & indigenis mandes, quorum maxime intereſt Rempub. ſalvam eſſe, quique in eam egregio ſtudio ac voluntate ſunt; quod in peregrinis eſſe non poteſt. Hoc autem in ſermone principes excipio. Maximam vim hæc ratio habitura eſt ad reconciliandas hominum voluntates, & ad ſatisfaciendum pleriſquem honeſtis & probis viris, qui ſe contemni pu-

tant, cum ſibi vident externos, non pari fortaſſe dignitate præditos, anteponi.

Conſtituta igitur publica tranquillitate, extinctis factionibus, reſtitutis veteribus legibus, delatis honoribus & magiſtratibus nullo pretio virtuti & dignitati civium, recuperabit Gallia priſtinum ſplendorem, hiſque inſtitutis tàm florebit poſthac Regnum ſuum, quàm anteà perturbatione temporum & calamitatibus deformatum eſt.

Supereſt ut de tertio dicam, quod veluti fundamentum eſt, & quidam nervus Reipublicæ. Hoc autem *Ærarium* eſt in quo eæ difficultates ſunt quas vel acutiſſimi homines vix explicare poſſint, quod in eo duæ res reſideant ita contrariæ inter ſe, ut una fieri non poſſe videantur. Tum enim grave & moleſtum eſt populo tuo, qui Principem ſuum admodum diligit & obſervat, coactam eſſe Majeſtatem tuam, propter difficultates & incommoda temporum patrimonium ſuum venumdare, maximam alienare vectigalium partem, & tamen magnum æs alienum adhuc habere. Tum nobis perſuademus omnes te populi miſericordia commoveri, pro pietate in eum & clementia tua, dum eum audis, tributis, mutuis, ſubſidiis extraordinariis vexari & affligi. Nam ſi poneretur ante oculos tuos ſumma ſubducta eorum, quæ aliquot abhinc annis in omnibus Regni Provinciis exacta ſunt juſſu tuo, tum propter inimenſos ſumptus, quos ad primitiarum tutelam fieri oportuit: tam grandis ea ſumma videretur, ut commemoratione exhorreſceres.

Ut autem huic graviſſimo malo ſuccurratur, ejus cauſa diligentiſſime inveſtiganda eſt.

Pro certo ſanè habemus tantum æs alienum Regno tuo contractum non eſſe, cum *Carolus Rex* in id, ſuſcepto Regno, inciderit. Liberationis autem conſilia prudentiſſime ceperat *Mater tua*, quæ fracta ereptaque ſunt bellorum inteſtinorum tempeſtatibus, quibus *Caroli* tempora, tuaque jactata ſunt. Graviuſque multo malum factum eſt, cùm propter ſumptus qui extra ordinem bello facti ſunt, tùm quòd ab adverſariis vectigalia pleriſque in locis ſunt intercepta.

Sed tamen multa Regna ſcimus cum gravi alieno æro oppreſſa eſſent, frugalitate & diligentia liberata eſſe, non maximo populi incommodo. Imperante *Heliogabalo* principe omnibus flagitiis & ſceleribus cooperto, tenuiſſimum fuit & maxime exinanitum ærarium, cum tamen *Alexander Severus*, clementiſſimus Princeps, qui illi ſucceſſit, tributa & onera populo amplius dimidio levaverit, quatuordecimque annis, quibus imperavit, æs alienum à ſuperiore Imperatore conflatum diſſolverit, bellumque Parthis & Septentrionalibus populis intulerit.

Hæc autem in primis tum fuit adminiſtrandi ærarii diligentia, quod qui pecunias tractabant, tam attentè obſervarentur, ut eum fallere non poſſent, certâque pœnâ confeſtim afficerentur, ſi quid flagitii admiſiſſe deprehenſi forent. *Carolus* verò *Quintus*, propter virtutes *Sapiens* appellatus, ſeptem-decim quibus regnavit annis ſuperiorum Regum æs alienum luit, pretium redemptionis Regis *Ioannis* Patris ſui, magna ex parte diſolvit, patrimonium ſuum nexu & pignore liberavit, bellum nihilo ſecurius geſſit cum Anglis,

multiſque præterea principibus ſociis ac fœderatis, auxilio fuit, in iiſque regibus *Caſtiliæ* & *Scotiæ*. Moriens verò ille Rex, tantam vim pecuniarum in ærario reliquit, ut nullæ unquam majores fuerint. Et tamen levia ab eo & moderata tributa populo imperabantur. Atque ille optimus Princeps, & ſuorum amantiſſimus religioni habebat, quod populus neſcio quibus tributis, propter difficultates & incommoda Galliæ, vexatus eſſet: Supremiſque mandatis egit cum filio; ut cum primum poſſet, populum ſublevaret. Maximum autem illi Regi veſtigal fuit, parcimonia & frugalitas, & diligens atque accurata ærarii adminiſtratio.

Duæ ſanè res eſſe videntur, quæ Reipub. copias fruſtra nulloque emolumento exhauriant: Largitiones immenſæ, & indiligens tractatio ærarii. Conſiderabit autem Majeſtas Tua (quod bona venia dictum ſit) num exactas à populis pecunias utrumque horum ex parte, conſumpſerit. Non adeò ſanè liberalitatem principum contrahendam eſſe judicamus, ut quibus videatur, largiri non liceat: hæc enim munificentia dignitati eorum ac Majeſtati in primis convenit.

Verum largitio non ea quidem tollenda, ſed moderanda eſt & exercenda nullo Reipub. detrimento. Si enim tum effundit omnia liberalitas, cum difficilia tempora & perturbata ſunt, cum ærarium anguſtum eſt, cum populi copiæ tributis acciduntur, eo moleſtius hoc negocium ac periculoſius eſt, quod imponenda ſunt onera univerſis, paucorum locupletandorum gratiâ. Fiſcus autem & ærarium publicum, ut *Adrianus Imperator* dicebat,

cebat, veluti ſplen eſt in noſtro corpore, qui quo plenior eſt & inflatior, eo gracilius eſt atque attenuatius corpus reliquum. Eodem modo cum fiſcus amplificatur, ut nonnulli opibus augeantur, deteritur populus, atque exinanitur.

Nec verò inficiari quiſquam poteſt poſt aliquod tempus largitiones, pro ærarii copiis immoderatas & immenſas fuiſſe. Et tamen agnoſcimus calamitatem temporum in cauſa fuiſſe, quòd periculoſum eſſet improbitati hominum negare, qui, ſi aliam conditionem ſecuti eſſent, multa mala & incommoda potuiſſent Reipub. inferre. Cui perverſitati ut obviam iretur, ſæpe in rebus publicis inſtitutum eſt, ut ejuſmodi immenſæ donationes vel revocarentur, vel temperarentur.

Hæc autem non ideò dicta ſunt, ut liberalitati tuæ modus ſtatuatur & lex ; confidit enim populus judicio tuo, ſapientiæ, prudentiæ ; ſperatque fore ut munificentiam temporibus ſuis metiaris, nec facile vincaris nonnullorum hominum odio, atque importunitate. Sperat item caſtigaturum te nequitiam & incuriam, quam ærario tempora importarunt, eam autem duabus ex cauſis oriri arbitrantur. Prima cauſa eſt multitudo miniſteriorum & officiorum ærarii, quæ tam magna eſt, ut eorum ſumptus, præmia, ſalaria dimidiam propè partem conſumant ac devorent : ut nonnullæ Provinciæ ſint è quibus illatus in ærarium numus aureus, vix ad quinque argenteos redeat.

*p* *Carolo ſexto* regnante graves querelas Ordines Regni habuerunt, quòd quinque Quæſtores extitiſſent, qui anteà duo eſſent. Quid

illi antiqui homines dicerent, ſi hoc examen cernerent Quæſtorum inutilium? Nam cum olim unus modo ſummus Quæſtor eſſet, hodie quadraginta ſunt. Quid ſi pro uno Quæſtore, ſi in accipiendis atque audiendis explorandiſque rationibus publicis pro uno Prætore, quatuor judicibus, qui judices ex magiſtris Regiæ domus legebantur, pro ſex Cognitoribus, ducentos homines in hac rationum curia viderent? Ut plane, dici poſſit, ab horum hominum ſalariis vetera omnia Regni vectigalia ſuperari.

Quamobrem è Republ. fore videtur, hæc omnia officia nuper inſtituta tolli & obrogari, redditis rationibus ab iis qui obnoxii ſunt: ita enim & onere levabitur populus, & æs alienum facilius diſſolvetur. Nec audiendi ſunt, qui tali abrogatione, quædam commoda, quæ caſus nonnunquam fert, interitura diſputant: hæc enim facultas colligendæ pecuniæ, caſu oblato, non tanti eſt, ut maximis detrimentis, quæ Galliæ ærarioque inferuntur, redimenda ſit.

Altera male adminiſtrati ærarii cauſa, à neceſſitate item profecta eſt: quod graviſſimis damnis mutuas ſumpſeris pecunias, ſuſcepto una eo, quanti creditorum intererat, teque iniquis conditionibus eam ob rem obſtrinxeris tùm externis hominibus, tum popularibus, qui difficultates tuas aucupantes in contractibus ſuis ſibi expenſas tulerunt donationes, præmia, ſalaria, penſiones, cæteraque ſine ulla ratione, quæque parvo empta, vero pretio expenſa ferebant. Itaque ea lucra, aliaque quæ pro eo, quanti ipſorum intereſſet, conſequuti ſunt, abſumunt & excedunt

amplius dimidiam partem impoſitorum nuper populo tributorum ac vectigalium.

Quod ſi hujuſmodi homines cum iis, qui tibi in Republ. navant operam, improbam conſenſionem inirent, res noſtræ peſſimo loco eſſent. Tua enim bona perpetuò obligata & addicta nunquam elui vellent, quòd ex anguſtiis rerum tuarum locupletarentur. De quo nihil amplius dicam, quam, Regno *Ludovici Vndecimi,* & *Philippi pulchri*, propter ſimiles uſuras, hujuſmodi hominum bona publicata fuiſſe.

Anno verò milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, cum in eos quæreretur, compertum eſt, cum ratio haberetur, quid quæſtus, quidque pro eo, quanti interfuiſſet, tuliſſent: eos pro ſorte ducentorum quadraginta millium pondo, amplius vicies mille millia pondo lucri habuiſſe. Dubium autem nemini eſſe poteſt, quia, ſi tàm ſeveris quàm olim, quæſtionibus hæc inveſtigaretur, magnæ deprehenderentur ſummæ immoderatarum uſurarum, quæ eo intolerabiliores ſunt, graviorique pœna afficienda, quòd tùm privatorum modo intererat ea flagitia plecti, nunc verò Reipub. maxima utilitas agitur.

Hæc breviter de ærario perſtrinximus: quæ majorem inveſtigationem deſiderant, tabulis literiſque noſtris complexuri. In extrema jam oratione, quædam de Ordine Eccleſiaſtico attingam.

Quæ civitates bene conſtitutæ unquam & moratæ fuerunt, in iis civitatibus, qui præfuerunt rebus ſacris à quibuſcunque oneribus immunitatem habuerunt, ſive quæ patrimoniis, ſive quæ perſonis indicuntur. In quo ſi

initium ab ea dignitate & authoritate faciam, quam veteres Galli Druidibus attribuerunt, & mores replicem veterum Rerumpub. quæ veluti Regibus ſacerdotibus ſuis & magiſtris religionum ac ceremoniarum honorem habuerunt, nimium fortaſſe diligens eſſe, cauſæque ſuſceptæ ſtudio efferri judicer: Ea igitur modo repetam, quæ proprie ad religionem noſtram pertinent.

Nam poſtquam palam Chriſtianum fuit Romanum Imperium, vindice ac defenſore Catholico principe *Conſtantino* decretum eſt, ea bona, quæ ſepoſita eſſent ad colendum Deum & religionem tuendam, omnium onerum & privatorum & publicorum vacationem habere. Quod inſtitutum, natum ſimul cum parta Chriſtianæ religioni quiete & tranquillitate, inviolabile poſt & ſanctum fuiſſe, Imperatorum leges & edicta ſatis magno argumento ſunt. Qui Imperatores ſi egregiam laudem & immortale nomen adepti ſunt, propter attributos Eccleſiæ Dei honores, atque immunitates: Reges Franciæ, quòd ea tuerentur, & authoritate ſancirent, atque etiam amplificarent, hereditarium ſibi *Chriſtianiſſimorum* nomen, ac titulum pepererunt idque illis datum eſt, *Carolo Magno* regnante, qui maximo animo & conſilio Eccleſiam adverſus Lombardos deffendit, ea bona temere & inſolenter occupantes, qui Deo & Eccleſiæ initiata, dedicataque eſſent.

Ac ſi Chriſtianarum hiſtoriarum memoriam repetemus, inveniemus Reges Franciæ præ cæteris regibus ſingulari voluntate, pietate, religione, fuiſſe in Eccleſiæ jure, dignitate, majeſtate, prærogatiua, privilegiis,

rebuſque omnibus aſſerendis, ac tuendis; veritoſque eſſe quàm maximè, ea vertere in rem utilitatemque ſuam, quæ devota Deo & conſecrata eſſent. Nam multa Deus in multos exempla edidit, quantopere ſcelus eorum deteſtaretur, qui rebus divino honori deſtinatis vim & manus afferrent, ab iiſque ſemper meritas debitaſque pœnas iratus expetivit.

Crebra ſunt & illuſtria in ſacris literis exempla, quæ, ne longior, neve moleſtus ſim, non commemorabo. In iis quidem Dei judiciis, memorabilis ea defenſio & vindicta eſt, quam contra *Heliodorum* ſuſcepit, miſſum Hieroſolymâ ab *Seleuco* Rege Aſiæ, ad direptionem eorum, quæ in templo conſecrata eſſent: cum enim is ad ſcelus perpetrandum ſeſe compararet, ei ſe oppoſuit vir eximia majeſtate, aureis indutus armis, in equo magnifice ornato. Iſque prioribus equi pedibus tanta vi appetiit caput *Heliodori*, ut in terram afflictus & eliſus, à duobus juvenibus comprehenſus ſit, & verberibus plagiſque graviſſime affectus, qui eum ita, ut meritus erat, acceptum, exanimatum ac ſeminecem reliquerunt.

Hujuſmodi exempla refricare cogimur, ut libellis quibuſdam & commentariolis divulgatis reſpondeamus, quos nonnulli non optimè in Eccleſiam animati hac in aula ferunt, quibuſque conantur omnia onera tua, & difficultates, & diſſolutionem æris alieni Eccleſiæ injungere; ſuadentque ut ejus bona & poſſeſſiones venundentur. Monemus autem Majeſtatem tuam, ejuſmodi conſilia ab inimicis hominibus & malignis afferri, conſiliis reſpondentia *Iuliani Apoſtatæ*, crudeliſ-

ſimi hoſtis nominis Jeſu Chriſti : illi enim ad evertendam Chriſtianam fidem nihil proclivius videbatur & accommodatius, quàm bona Eccleſiæ data & conſecrata intervertere. Id verò conſilium quale fuerit, indicio eſt pœna, quam Deo judice ſubiit.

Nec in lege Evangelica exempla deſunt vindicaſſe Deum in uſurpatores bonorum Eccleſiaſticorum. Didicimus enim omnes, ſententiâ Spiritus ſancti, quam dixit per ſancti Petri vocem, Ananiam & Saphiram mortuos concidiſſe, quòd partem retinuiſſent pecuniæ receptæ ex venditione hæreditatis ſuæ, quam Eccleſiæ donarant & conſervarant. Quod ſi illis nefas fuit id recipere, quod à bonis ſuis profectum eſſet, injuria maxima eſt, id eripere atque auferre, quod alius Deo donarit; & divino cultui Eccleſiæque tuenda dicaverit.

*Celſus* magiſter equitum *Gontrandi* Regis Burgundiæ, cum in rem ſuam Eccleſiaſticas opes vertiſſet, ſpecie nominis authoritatiſque Regiæ, conſcientiæ aculeos introrsùm fodientes ante mortem expertus eſt. Cum enim quodam die in Eccleſia eſſet, audiſſetque hæc Iſaïæ Prophetæ verba legi, *Væ qui adjungunt domum ad domum, poſſeſſionem ad poſſeſſionem,* veluti ea Prophetæ ſententiâ percullus exclamavit. *Hei mihi, hæc in caput meum vertit maledictio atque execratio, & in ſtirpem meam.* Nec ei poſteà quicquam bene proceſſit, nihil bene ab eo geſtum, verùm miſere atque infeliciter obiit.

Prætermittam exempla *Clodovici ſecundi*, Regis Francorum, & comitis Matiſconenſis, quæ Annalibus noſtris prodita ſunt. De *Ludo-*

*vico* quidem *ſexto*, cui *Craſſo* cognomen fuit, tacere non poſſim: qui, cum in omni vita, jura privilegiaque Eccleſiæ inflammato ſtudio defendiſſet, ſenex difficultate quadam affectus bonis Eccleſiaſticis uti cogitavit, in eorumque poſſeſſionem invaſit: eum vir ſanctiſſimus *Bernardus* illius ætatis lumen, multis literis tanti peccati commonefecit, atque ad illum eam ob cauſam venit. Cum verò nihil monendo profectum eſſet, nec ille eo conſilio deſiſteret: interminatus eſt ſanctus vir, eum brevi tempore pœnas divinitùs daturum eſſe, quod non multo poſt factum eſt improviſa morte filii ejus natu maximi. Quid ſi vir ille eximię ſanctitatis nunc viveret? Quo anathemate, quibus diris & execrationibus inſectaretur & condemnaret ejuſmodi libros, fas omne nefaſque permiſcentes? Quam deteſtaretur eos homines, qui authores ſe præbent ad patrimonium Eccleſię alienandum & dilapidandum?

Quoniam autem difficultates & incommoda Reipubl. prætexunt, meminerint hoc Regnum aliquando in majoribus anguſtiis verſatum eſſe cum bellis inteſtinis conflagraret, cum magna pars Galliæ à tranſfugis & domeſticis hoſtibus Angliſque teneretur, quorum in poteſtate Lutetia quoque caput Regni eſſet. Nemo tum mentionem intulit de copiis Eccleſiæ auctionandis & diſſipandis. Nec verò unquam ullo in Regno major calamitas fuit, quam in Egypto; cum ſumma caritas & fames eſſet, quæ ſeptem annos tenuit, rerum omnium arbitro atque adminiſtratore Patriarcha *Ioſeph*. Cui fami ut ſubveniretur, omnium populi bonorum quinta pars vendita

eſt, hæreditate tamen ſacerdotum integra, quos violari Joſeph paſſus non eſt, immuneſque eſſe voluit, quemadmodum in Geneſi ſcriptum eſt.

Non inficiamur quidem, Eccleſiam in rebus anguſtis & difficilibus opem Reip. afferre debere: verum habendus modus eſt, & juſtæ legitimæque rationes ineundæ. Eccleſiaſticum ſanè Ordinem vidimus, liberalius quàm cæteros, incommodis temporum ſuccurriſſe. Quod ſi Eccleſia Regno tuo poſthac bona ſua alienari non videbit, quod à pietate tua ſingulari expectat, multis tamen oneribus ac miſeriis opprimetur.

Nam ſi memoriam hoc loco refricaremus incommodorum noſtrorum, ſi impoſita nobis extraordinaria onera commemoramus, ſi populationem ac vaſtitatem, quæ etiam nunc in multis Regni partibus eſt, unde Eccleſiaſtici crudeliter expulſi errant & vagantur, poſſeſſis per vim eorum bonis, miſerabili Eccleſiarum ac domorum ſtrage facta, cum ipſi expoſiti ſint crudelitati atque amentiæ eorum, qui Dei, tuique hoſtes ſunt: vereremur, ne in concludenda oratione mala noſtra alieno loco explicaremus, animumque tuum miſericordiâ commoveremus, cui dolorem nunc ac mœrorem nolumus afferre. Tantum dicemus, Eccleſiam præter alias calamitates & ærumnas, quibus afflicta oppreſſaque eſt, plurima onera graviſſimaque habere, dependere octodecies centum millia pondo in publica domo Pariſienſis civitatis, ad tuum æs alienum luendum, & ad opem communium temporum. Ad hæc impendit ſuperioribus his proximis annis, quinquagies mille millia pondo,

ut rebus adverſis, & Reipub. detrimentis opitularetur.

Poſt hæc naufragia, in quibus rerum ſuarum multo maximam partem amiſit Eccleſia, tibi opes ſuas, quantulæcunque ſuperſunt, defert, nec iis parcet in utilitate communi adjuvanda, modo recte omnia, & ordine, & cum ratione, & ex bono atque æquo fiant. Eccleſia igitur, *Clementiſſime Rex*, vulneribus ſuis adhuc cruenta, miſerabilem in modum diſciſſa & oppugnata undique hoc unicum perfugium habet, tuam miſericordiam ut imploret, & opem.

Obſecrat te & obteſtatur, per nomen *Chriſtianiſſimi*, quod hanc ob cauſam habes, per baptiſmum quo in ipſa es initiatus, per jusjurandum, quod initio Regni ſanctiſſimè dediſti: ut ſua jura & privilegia defendas: orat te per iſtam pietatem inſignem, quam profiteris, quæque te omnibus admirabilem reddit, ut ſibi auxilio & præſidio velis eſſe. Quanta verò obſervantia maxima atque obedientia præſtari poteſt ab hominibus tibi deditiſſimis, eam ſemper præſtabimus, nec unquam deſinemus, armis accommodatis ordini noſtro, quæ preces ſunt atque orationes, tibi opem ferre. Deum pro Te ſine intermiſſione precabimur, ut propicius ac volens aſpiciat & adjuvet res tuas, & facta omnia, ut benè feliciterque eveniant, ut hac in vita diligaris ab omnibus atque obſerveris, & ipſius benignitate conſequaris tertiam illam & feliciorem coronam, quæ te in altero ſæculo manet pro his duabus, quibus caput tuum redimitum eſt. DIXI. *Habita Bleſis die 17. menſis Ianuarii anno Domini M. D. LXXVII.*

S. PATRIS N.

# S. BASILII

CÆSAREÆ

ARCHIEPISCOPI

COGNOMENTO

MAGNI.

*In ſanctos Quadraginta Martyres.*

## ORATIO.

*Petro Morino Pariſienſi Theologo Interprete.*

Quæ tandem martyrum memoriæ ſatietas capere poſſit martyrum ſtudioſum, cum præſertim honor, qui bonis conſervis habeatur, ſummæ erga communem dominum benevolentiæ certum indicium ſit? Perſpicuum eſt enim, eos, qui viros fortes admirantur, & probant, in ſimilibus periculis atque temporibus, illorum imitationi non eſſe defuturos. Ex animo & ingenue martyrem beatum eſſe prædicato, ut ſtudio, atque voluntate ipſe martyr fias,

& nullo inſectante, nullo igne, nullis flagellis, eadem, quæ illi, præmia conſequaris. At nobis quidem in præſentia non unius modo aut alterius memoria celebranda proponitur, non ad denos uſque progreditur numerus eorum, quos laudibus efferre debeamus: quadraginta ſunt: qui ut unam animam in corporibus diſtinctis habuerunt, unamque fidei conſpirationem atque concordiam, ita eandem in rebus adverſis patientiam, eandem pro veritate tuenda conſtantiam atque fortitudinem omnes præſtiterunt, omnes inter ſe ſimiles, pares animo, pares dimicando: itaque parem ſunt coronarum gloriam aſſecuti.

Quænam igitur illorum dignitati ac meritis par eſſe poſſit oratio? Ne quadraginta quidem linguæ ſatis ſint ad eorum virtutem laudibus hymniſque proſequendam. Et quidem ſi unus eſſet, quem admiraremur, noſtræ tamen orationis vim facultatemque ſuperaret; quid de tanto numero exiſtimandum eſt? Caterva militaris, invictæ copiæ, & cùm bellica virtute, tùm vera æternaque laude præſtantes.

Agedum igitur memoriam eorum renovemus, & utilitatem vobis afferamus, quam inde percipere poſſitis, eorumque præclara facta ante oculos veſtros, quaſi in picta tabula proponamus: bellica enim facinora & ſcriptores rerum & pictores, deſignant illi oratione ornantes, hi tabulis exprimentes, ac multos utrique hac ratione ad ſtudium virtutis excitarunt: nam quæ hiſtoria offert auribus, hæc imitando tacitâ picturâ in omnium conſpectu collocat.

Nos itaque, vobis, qui hic adeſtis, virtu-

tem horum hominum in memoriam redigemus, & in conſpectum adducemus res illorum geſtas, eoſque qui præſtanti quadam ac divina mente ſunt, & cum illis voluntate conjuncti, ad imitandum hortabimur. Harum enim laudum, quibus martyrum divina & immortalia merita proſequimur, hic fructus eſt, ut eos, qui convenerunt, amore virtutis incendamus. Nam ea, quæ de ſanctiſſimis viris habetur oratio, legibus encomiorum non tenetur, propterà quod qui vulgo laudibus alios ornant, ex rebus humanis, fluxis, inſtabilibus ducant orationis argumentum ſuæ: mundus verò iis quibus eſt crucifixus, quomodo poteſt ſplendoris & gloriæ materiam præbere?

His ſanctis non una fuit omnibus patria; alius enim aliunde erat oriundus. Quid igitur? Utrum eos dicemus civitatem nullam habuiſſe, an fuiſſe orbis terrarum cives? Quemadmodum enim in conviviorum ſymbolis conferendis, quæ à ſingulis collata ſunt communia univerſorum habentur, qui intulerunt: ſic in his ſanctis, ſingulorum patria, communis eſt omnium: atque univerſi undique confluxerunt, inter ſe patriam quiſque ſuam communicantes.

Verum quid attinet tenues & humiles civitates ad eorum laudem exquirere, cum intelligi poſſit cujuſnam jam ipſi ſint civitatis? Civitas martyrum civitas eſt Dei, cujus eſt opifex & fabricator Deus, ſupernæ Hieruſalem libera, mater Pauli, & eorum qui Pauli ſunt ſimiles; ac ſi res humanas ſpectes, alius alio eſt genere, ſi ſpiritum, uno omnes. Communis enim eorum Pater Deus, fratres om-

nes, non qui iiſdem parentibus orti, ſed qui charitatis concordia inter ſe conjuncti & coagmentati ſint. Chorus alacer, atque expeditus, maximus cumulus eorum, qui ex omni ætatum memoria laudibus Deum concelebrarunt, non ſinguli aggregati, ſed ſimul in cælum evecti & tranſlati.

Quonam tandem modo? Hi cum & magnitudine corporis, & ætatis flore ac robore, ſuis æqualibus anteirent, in militum numeros pervenerunt, ac propter rerum bellicarum uſum, virtutemque animi, ornati maximis imperatorum beneficiis atque honoribus clariſſimum apud omnes nomen erant conſecuti. Nuntiato autem impio illo ac nefario edicto, quo graviſſimo periculo iis intendebantur, qui profiterentur Chriſtum, cum omnem ſuppliciorum crudelitatem adverſarii minarentur, ſceleratorumque judicum furor in Chriſtianos eſſet incitatus, cum inſidiæ & fraudes undique pararentur, varia ſuppliciorum genera excogitarentur, cum tetri carnifices inexorabiles eſſent, ignis arderet, acuerentur gladii, crux figeretur, fovea, rota, flagella expedirentur, cum ex noſtris partim fugerent, partim ſuccumberent, partim fluctuarent & labefactarentur, cum alii ante periculum ſolis minis deterrerentur, alii in ipſo diſcrimine animis caderent, alii certamine ſuſcepto ad extremum uſque laborem perferre non poſſent, & in media contentione deficientes, ut qui in mari jactantur, partas jam tolerantiæ merces amitterent: tum invicti hi ſtrenuique Chriſti milites, cum in medium prodiiſſent, & præſes editis literis, quæ ab imperatore allatæ erant

flagitaret, ut obſequerentur, conſtanti mente omnes, & voce libera, nulla re, quæ ante oculos verſaretur, perterrefacti, nullis minis commoti, palam ſe Chriſtianos eſſe profeſſi ſunt.

O felices linguas! quæ ſacram illam vocem emiſerunt, quâ aër receptâ ſanctificatus eſt, quâ auditâ plauſum Angeli dederunt, diabolus eſt una cum dæmonibus vulneratus, quam in cœlis Dominus inſcripſit. Chriſtianum igitur ſe quiſque profeſſus eſt. Atque ut in ſtadiis, qui prodeunt ad certandum, ſimul atque nomina dederunt, deſcendunt in arenam: ita hi abjectis iis nominibus quibus à primo ortu erant appellati, à communi Salvatore ſibi nomen ſumpſerunt, ut eodem omnes vocarentur, nec jam hic, aut ille, ſed Chriſtiani pronunciarentur.

Quid igitur tum is, penes quem omnis poteſtas erat, callido & verſuto ingenio vir? partim obrepere cæpit blanditiis, partim terrere minis: ac primùm his blandæ orationis illecebris eorum animos tentavit, cum conaretur pietatis omnem vim & contentionem infringere: *Nolite verò committere, ut adoleſcentiam veſtram prodatis, & hanc jucundam vitam cum immatura morte commutetis; neque enim convenit, eos qui virtute bellica cæteris antecellunt, facinoroſorum mortem oppetere.* Ad hæc pecunias ampliſſimoſque ab Imperatore honores & beneficia pollicitabatur, variiſque eos artibus labefactare nitebatur: quibus cum non cederent, ad alias fraudes animum adjecit, & plagas, necem, crudelitatem ſuppliciorum omnium cœpit minitari. Hæc ille. Quid martyres? *Cur eo nos adducere conaris, divinam vo-*

*luntatem oppugnans, ut à Dei juſſo deſciſcamus, & perniciosis dæmonibus ſerviamus? Quid bona tua nobis offers? Quid eorum, quæ donas, tanti eſt, quantum nobis ſtudes eripere? Odi munus quod detrimento ſit; honorem non capio, qui ſit ignominiam allaturus; pecunias largiris, at caducas & fluxas, gloriam minime diuturnam. Facis ut Imperatori familiares ſimus, à vero Imperatore & Rege alienas. Quid orbis munera anguſtè & illiberaliter polliceris? Deſpicimus humana. Quæcumque hic cernuntur, non ſunt cum his, quorum ſpe ac deſiderio ducimur, comparanda. Cœlum hoc vides, quam aſpectu pulchrum ſit, quam ornatum, quam amplum? Terra vero quanta eſt? Quam admirabilis ejus pulchritudo? Nihil tamen horum exæquari poteſt fœlicitati juſtorum: hæc enim labuntur, & fluunt; noſtra permanent. Vnius me præmii cupiditas tenet, corona juſtitiæ. Vnam cœleſtis Regni admiror gloriam; ejus honoris ducor ſtudio, quem in ſuperis oris ſum aſſecuturus; ſupplicium gehennæ reformido: ille mihi ignis honori eſt. Quem verò minitamini, eidem Domino, cui nos, inſervit: ſcitque eos vereri, qui idola contemnant. Plagas autem veſtras, ſagittas infantium eſſe duco: corpus, quod verberas, quo diutius tolerarit, eo coronatur illuſtrius. Quod ſi citò defecerit, ſolutum evadit, & ab infeſtis judicibus liberum, qui in corpora imperium habentes, ipſos etiam animos opprimere geſtiunt injuſto dominatu, ac ſe, niſi vel ipſi Deo anteponantur, ſummam queruntur à nobis contumeliam accepiſſe, & hæc ſupplicia minantur, vertentes crimini pietatem. At vobis cum iis res erit, qui nec timidi ſint, nec vitæ appetentes, qui ob charitatem Dei, & in rotam aſcendere, & torqueri, & uri, & quodvis cruciatuum genus ſubire parati ſint.*

Cum hæc impius ille & ſceleſtus audiſſet, nec tantam vocis libertatem ferre poſſet, furore incenſus ſecùm ipſe cogitabat, quam inveniret rationem, ut illis & longam & acerbam necem moliretur: quam autem repererit, attendite. Cum enim animadverteret, naturâ regionem illam eſſe gelidam, tempus autem anni brumale, obſervata nocte, qua maxime horror frigoris augetur, tum flante borea, juſſit omnes medio oppido nudatos, ſub dio, gelu & rigore interimi. Scitis autem omnes, qui brumam experti eſtis, quam intolerabilis ille ſit cruciatus. Hoc enim iis ſolis perſuaderi poteſt, qui experiendo didicerunt. Nam corpus, quod aſtringatur gelu, primum concreſcente ſanguine, totum fit lividum, deinde conquaſſatur, diſcerpitur, colliduntur dentes, lacerti convelluntur, univerſa corporis moles præter voluntatem contrahitur. Tum acerbus quidam dolor & labor incredibilis, ad medullas uſque penetrans iis qui ita rigeſcunt, mali ſenſum affert, qui tolerari nullo modo poſſit. Inde paulatim mutilatur corpus, & tamquam igne extremæ partes aduruntur. Nam cum ab iis calor expellatur & per vim intro ſeſe recipiat, ea, unde diſceſſit, extinguuntur atque intereunt, quo vero contruditur, ingenti dolore cruciantur, paulatim rigidas partes occupante morte.

Tum igitur ſub dio pernoctare damnati ſunt, cùm lacus qui id oppidum circundat, veluti planities quædam eſſet ad agendos equos idonea, ſpeciem enim ejus lacus glacies immutarat, cumque continenti ita adjunxerat, ut ejus dorſum accolæ tuto perequitare poſ-

ſent. Fluviorum quoque perennium, glacie aſtrictorum curſus conſtiterat, & humida natura aquæ ad duritiem lapidum ſeſe converterat: boreæ acres flatus animantibus omnibus mortem intentabant.

Tum igitur illi audito imperio (hoc loco attende invictam horum hominum virtutem) abjecta quiſque magno cum gaudio vel intima tunica, ad mortem frigore oppetendam properantes, inter ſe, quaſi in direptione ſpoliorum, hortabantur. *Non veſtem*, inquiunt, *exuimus, ſed veterem hominem deponimus: Maximas, tibi Domine, agimus gratias, qui una cum peccato veſtem abjiciamus. Quod quoniam ſerpentis opera induimus, eo nos exuimus per Chriſtum, ne retineamus veſtimenta, qui paradiſum, quem amiſeramus, repetamus. Exutus noſter eſt Dominus; an grave ſervo eſt, qua perpeſſus ſit herus, incommoda & mala ſubire? Et quidem Dominum ipſum nos ſpoliavimus, militum enim ea fuit audacia, illi exuerunt, veſtimenta illi partiti ſunt. Noſtrum igitur crimen per nos deleamus. Acris eſt hyems, at dulcis paradiſus: rigor dolorem habet, at iucundum eſt æternis bonis frui. Si parumper opperti fuerimus, iam fovebit nos ſinus Patriarchæ. Cum brevi nocte omnia ſæcula permutemus. Aduratur pes, ut ad omnem æternitatem choreas cum Angelis ducat; manus defluat, ut ſumma libertate ad Dominum tendatur. Quam multi in acie è commilitonibus noſtris ciciderunt, ut imperatori fidem ſuam præſtarent? Nos, ut vero imparatori fidem, quam aſtrinximus, perſolvamus, hanc vitam non prodemus? Quam multi cum ſupplicio ignominiaque mortem obierunt; in facinoribus deprehenſi? Nos pro iuſtitia mortem non perferemus? Ne hoc decli-*

*nemus, commilitones, ne diabolo ſuccumbamus. Hæ carnes ſunt, minime pareamus: & quoniam nobis eſt omnino moriendum, moriamur, ut æternam & immortalem vitam aſſequamur. Sit hoc ſacrificium in conſpectu tuo Domine. Recipiamur à te, ut hoſtia viva, & tibi probata, quæque frigoris vi tota conſumatur. Præclarum hoc eſt ſacrificium, nova victima, quæ non igne, ſed gelu confecta & conſumpta ad te deferatur.*

Cum hæc inter ſe dixiſſent, alius alium adhortantes, quaſi in militari ſtatione poſiti, noctem traduxerunt, cum præſentia fortiter ferrent, futurorum ſpe ſe conſolarentur, adverſarium contemnerent. Unum autem erat omnium votum, hæc una vox: *Quadraginta, Domine, ſtadium inivimus, quadraginta corona donemur. Huic numero nemo deſit. Egregius hic eſt numerus, quem volueris quadraginta dierum jejunio in honorem adducere. Hoc dierum numero ad humanum genus leges perlatæ ſunt. Per quadragenos dies cum jejunans Elias Dominum requiſiſſet, voti compos eſt factus.*

Hæc illi precabantur. At ex eo numero unus acerbitatem frigoris non ferens, ordine deſerto, abiit, & ea re ſanctis mirabilem dolorem attulit. Nec tamen ſivit Dominus inanes eorum preces eſſe. Is enim, cui erat martyrum commiſſa cuſtodia, cum prope quodam in gymnaſio eſſet, exitum rei expectabat, paratuſque erat, eos qui confugerent milites recipere. Nam id excogitatum erat, ut in propinquo balneum eſſet, quod celerem iis, qui ſe immutarent opem pollicęretur: cum hoc aſtute adverſarii reperiſſent, ut is certamini locus aſſignaretur, ubi paratum auxilium dimicantium conſtantiam poſſet infringere.

Hoc vero martyrum tolerantiam fecit illuſtriorem. Non enim quem, neceſſaria deficiunt, is eſt tolerans; ſed qui in maxima bonorum & commodorum copia res adverſas perfert. Cum igitur illi decertarent, hic, quid eventurum eſſet, obſervaret, inuſitatum ſe oculis ejus obtulit ſpectaculum: Angelos è cœlo delabentes vidit, qui, ut ab imperatore, maximis præmiis milites impertirent, qui cæteris omnibus munera dederat, unum nullo honore affectum prætermiſerunt cœleſtibus præmiis indignum judicantes, qui ſtatim ad labores animam deſpondens, transfuga ad adverſarios ſe contulit.

Miſerabile juſtis ſpectaculum: miles fugitivus, captivus vir ſtrenuus ac fortis, ovis Chriſti à feris excepta; eo miſerior, quòd nec cæleſtem vitam adeptus eſt, nec hac diutius frui potuit, quippe cujus caro, ſubito objecto calore, univerſa defluxit. Atque hic cum vitæ cupiditate duceretur, cecidit admiſſo, ſine ullo fructu, peccato.

Carnifex verò, ut eum effugiſſe, ſeque in balneum recepiſſe vidit, in deſertoris locum ipſe ſucceſſit, abjectiſque veſtibus in nudorum ſe numerum contulit, eandem, quam ſancti, vocem emittens, *ſum Chriſtianus.* Cumque inopinata mutatione eos, qui aderant, commoviſſet, & numerum ſupplevit, & acceſſione ſui dolorem, quem illius mollities attulerat, mirifice levavit, eos, qui in acie decertant, imitatus. Illi enim, cum is qui in primo ordine eſt, cecidit, phalangem replent, ne teſtudo uno deficiente ſcindatur.

Hic cœleſtia vidit miracula, veritatem agnovit, ad Dominum confugit, martyrum

fuit numero, diſcipulorum exemplum renovavit: deſcivit Judas, Matthias ſuffectus eſt: Pauli ſe imitatorem præbuit, qui heri vexator fuerit & exagitator Evangelii, hodie prædicator. Deſuper ille quoque vocationem eſt aſſecutus, non ab hominibus, nec hominum opera, credidit in nomen Domini noſtri Domini noſtri Jeſu Chriſti, in eum baptizatus eſt, non ab alio, ſed à propria fide, non aqua, ſed profuſo ſanguine.

Hi itaque prima luce, cum etiam ſpirarent, igne cremati ſunt, reliquiæ ignis in flumen abjectæ, quo martyrum certamen & virtus univerſam rerum naturam peragraret. In terra decertarunt, vim & incommodum aëris frigidi pertulerunt, igni traditi ſunt, poſt ab aqua excepti. Illorum hæc vox eſt, *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Hi noſtris in terris diſpoſiti, quaſi firmiſſima quædam propugnacula, hoſtium vim defendunt, qui ſe non uno loco concluſerint, ſed regiones multas peragrarint, & eas ut propriam quiſque patriam exornarint.

Ampliſſimum nobis beneficium eas utilitates afferens, quæ nunquam conſumantur paratum Chriſtianis auxilium; quantum ipſe laboris ſuſcepiſſes, ut vel unum reperires, qui pro te Dei præſidium & opem imploraret? Quadraginta ſunt, una voce Dominum omnes deprecantes. *Ubi duo, vel tres congregati ſun in nomine Domini, in medio eorum eſt.* Ubi quatraginta ſunt, quis de ejus præſenti numine, & auxilio dubitat? Qui malis & incommodis affligitur, ad hos quadraginta confugit; ad eoſdem ſe confert, cui res ſecundæ ſunt: ille ut malis liberetur, hic ut bona ſua

tueatur. Hic pia fœmina pro liberis orans invenitur, viro abſenti reditum petens, ægrotanti ſalutem. Poſtularum veſtrum ſocios martyres adhibete.

Adoleſcentes æqualium ſuorum virtutem imitentur: qui patres ſunt, parentes ſe eſſe optent talium liberorum: matres, egregiæ matris factum diſcant.

Quædam unius ipſorum mater, conſpicata cæteros frigore jam conſumptos, ſuum verò filium etiam ſpirantem, propter robur corporis, & conſtantem malorum tolerantiam, cum eum carnifices ſinerent quod mentem ejus poſſe mutari exiſtimarent, ſuis ipſa manibus ſublatum plauſtro impoſuit, quo ad rogum cæteri ducebantur: martyris revera mater non lachrymas emiſit. Nihil humile, nihil eo tempore indignum locuta eſt, ſed, *Abi,* inquit, *fili, fœlici itinere cum æqualibus tuis, cum contubernalibus, ne huic choreæ deſis: ne poſt alios venias in Domini conſpectum.* Oſtendit nobis illa mater, non magis lacte, filium à ſe educatum, quam pietatis diſciplina. Atque hunc ſic inſtitutum, mater eſt ita proſecuta: adverſarius turpiſſimè ſummaque cum ignominia diſceſſit. Nam cum omnem rerum naturam in eos excitaſſet, cuncta reperit eorum virtute ſuperata, noctem ventis infeſtam, frigidæ regionis incommodum, anni tempus brumale, corporum nuditatem.

O ſanctum chorum, ô cohortem ſacram, ô firmam aciem, ô communes generis hominum cuſtodes, benignos curarum & laborum noſtrorum ſocios, poſtulatorum adjutores, legatos præſtantiſſimos, orbis terræ clariſſima lumina, flores Eccleſiarum! Vos non ter-

ra obruit, ſed cœlum excepit, paradiſi vobis januæ patuerunt. Angelorum exercitui ſpectaculum viſendum, dignum Patriarchis, Prophetis, juſtis. In ipſo flore juventutis vitam pro nihilo duxerunt, Domini charitatem, parentibus, liberis antepoſuerunt, ſolius Dei gloriæ & laudi ſervierunt: Angelis, hominibus, univerſo terrarum orbi ſpectaculo fuerunt: eos qui ceciderant, excitarunt, confirmarunt qui imbecilliores eſſent, piorum cupiditatem auxerunt, unum de pietate omnes trophæum ſtatuerunt, una ſunt juſtitiæ corona donati, iiſdem præmiis honoribuſque decorati, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, cui gloria, cui imperium ad omnem ſæculorum æternitatem. *Amen.*

S. PATRIS N.

# S. CHRYSOSTOMI ORATIONES XII.

## EX EJUS COMMENTARIIS IN EPISTOLAS D. PAULI EXCERPTÆ.

*Petro Morino Pariſienſi Theologo Interpr.*

## SERMO I.

*De Domini corpore non indigne ſumendo, deque deſpicientia rerum humanarum.*

HÆc cum intelligamus, proſpiciamus fratribus noſtris, & neceſſitudinem, quæ nobis cum ipſis intercedit, tueamur. Eo enim nos ſacrificium illud tremendũ adducit, quod nos ſumma concordia, & charitate jubeat eo accedere, tanquã aquilas in cœlum evolare, *Ubi enim cadaver eſt*, inquit, *ibi congregabuntur & aquilæ*. Cadaver autem corpus propter mortem appellat: niſi enim ipſe cecidiſſet, nos non ſurrexiſſemus. Aquilas autem cum appellat, oſtendit eum, qui ad hoc corpus veniat, excelſum eſſe oportere, nihil cum terra commune habere, non inferne ſerpere, ſed perpetuo ſursùm evolare, ſolem juſtitiæ

intueri, & mentis acumine valere. Aquilarum enim, non graculorum, hæc menſa eſt.

Hi tam ei è cœlo deſcendenti obviam procedant, qui nunc eo non indigne faventur, qui enim indigne, ultima ſupplicia meritò ſubibunt. Si enim Regem temere nemo ſuſcipiat, at quid Regem dico? Ne veſtem quidem Regiam impuris manibus quiſquam attingat, tametſi in ſolitudine ſit, tametſi ſolus, nec ullo præſente: quamquam nihil aliud ea veſtis eſt, quam filia vermium. Si tincturam miraris, ea ſanguis eſt piſcis emortui attamen ſordidis manibus nemo auſit attingere.

Quod ſi humanam veſtem non temere quiſquam tangat, quo pacto corpus ejus qui omnia gubernat, Dei corpus integrum, purum quod divinæ naturæ conjunctum eſt, quo ſumus, quo vivimus, quo mortis fores effractæ ſunt, cœli aperta palatia, hoc inquam ſanctiſſimum corpus contumelioſe ſumemus? Ne quæſo, ne nos ipſos per impudentiam tanta pœna mactemus. Sed metuentes, & pueri eo accedamus cum id propoſitum videris, dic ipſe tecum. Hujus gratia corporis jam terra non ſum, jam non ſum cinis, non captivus, ſed liber: hoc ob corpus, cœli adipiſcendi eorumque bonorum, quæ in cœlo repoſita ſunt, ſpem habeo; divinam & immortalem vitam ſpero, Angelorum locum, Chriſti ſocietatem: hoc cruci affixum corpus & flagellis cæſum mors ferre non potuit: hoc corpus in cruce ſublatum conſpicatus ſol radios avertit. Hujus corporis religione, tùm velum ſciſſum, ſaxa perrupta, commota terra eſt: Hoc illud cruentum corpus eſt, & lancea percuſſum, unde orbi terrarum ſalutares

fontes

fontes ſanguinis & aquæ profluxerunt.

Vis ne aliunde vim, & dignitatem corporis hujus cognoſcere? Percontator hemorrhoide fœminam laborantem, quæ non ipſum attigit, ſed circumdatam veſtem, neque eam totam, ſed ad ejus fimbriam timida aſpiravit. Percontator mare, cujus dorſo exceptum & geſtatum olim eſt: vel diabolum ipſum licet perconteris his verbis agrediens: Unde plagam inſanabilem accepiſti? Unde vis tua fracta prorſus eſt, ac debilitata? Unde captus es? à quo comprehenſus in fuga ac retentus? Propter hoc, reſpondebit, crucifixum corpus. Propter hoc ejus perfracti ſtimuli, contritum caput eſt. Propter hoc principatus poteſtateſque traductæ ſunt. *Traduxit enim,* inquit, *ſpolians principatus & poteſtates, triumphans ipſas in ſemetipſo.*

Quære ex ipſa morte: A quo tuus ſublatus eſt ſtimulus? deleta victoria? lacerti exſecti? Quomodo & pueris & puellis ridicula facta es, quæ & tyrannis, & viris bonis ac juſtis terrorem antea inferebas? Corpus hoc accuſabit: cum enim cruci ſuffigeretur, mortui in vitam redibant, carcer ille perrumpebatur, æneæ portæ frangebantur, orci janitores omnes obſtupeſcebant: Et quidem ſi unus ille fuiſſet è multis, potentiorem eſſe mortem ſane conveniebat; At everſa, deleta, extincta eſt.

Ac veluti qui cibum capiunt, quem concoquere ac tenere non poſſint, ante conditos cibos propterea evomunt; ita mors eo ſuſcepto corpore, quod conficere non valebat, etiam quæ antea tenebat ejecit: nam retinendo laborabat, & uſque eo premebatur, dum pa-

lam evomeret. Quare hoc ſcribit Apoſtolus, ſolvens dolores mortis. Neque enim ulla unquam mulier, quæ uterum ferret, tam laboravit, quam illa, recepto Dominico corpore dilacerabatur, ac divellebatur. Quodque in Babylonico dracone factum eſt, ut accepto cibo medius rumperetur, tùm etiam evenit. Non enim Chriſtus per os mortis exiit, ſed medium draconis ventrem diſcindens ab illis adytis magno cum ſplendore progreſſus eſt, ac emiſſis radiis, non in hoc ſolum cœlum, ſed in ſummum ſolium triumphans aſcendit, eo corpus evexit.

Hoc nobis donavit & habendum & comedendum corpus: quod ſingularis eſt, immenſique amoris. Etenim quos amamus nonnumquam permordemus. Quare Job ſervorum ſuorum benevolentiam in ſe ſignificans ita eos amore incenſos locutos eſſe dixit: *Quis det ut ejus carnibus nos exaturemus?* Ita nobis conceſſit Chriſtus: quo voluntates noſtras alliceret, ut ſuis carnibus nos ipſos expleremus.

Huc igitur ardenti & inflammata voluntate accedamus, ne ſocordiæ noſtræ tandem pœnas demus. Quo pluribus majoribuſque beneficiis affecti fuerimus, eo gravius acerbiuſque ſupplicium erit ſubeundum, ſi tanta & tam illuſtri liberalitate nos indignos reddemus. Hoc corpus, cum in præſepe jaceret, Magi reveriti ſunt, atque venerati, homines impii, & patria barbari, ſedibus ſuis relictis, longo itinere ſuſcepto, magno cum timore hoc idem adorarunt. Imitemur vel Barbaros, qui divino beneficio cœlorum cives ſumus. Illi in tugurio, in præſepio con-

ſpicati, cum nihil tale animadvertiſſent, quale nunc tu vides, exhorreſcentes acceſſerunt. Non in præſepe cernis, ſed in ara divina: non fœminam tenentem, ſed ſtantem ſacerdotem, & ad propoſita munera prolixa largitate ſpiritum devolantem. Non temere corpus hoc aſpicis, ut illi quondam: ejus enim tenes rationem & gubernationem. Nihil eorum ignoras, quæ ab hoc perfecta ſunt, qui ſumma diligentia ſis myſteriis eruditus.

Quamobrem animos noſtros excitemus, horreſcamus, & nos majori religione, quam illos barbaros, præditos oſtendamus, ne temere & fortuitò accedentes, in capita noſtra ignem eo acervemus.

Hæc ego dico, non ut ne accedamus, ſed ut ne temere. Nam quemadmodum magnum periculum eſt, huc temeritate ductum aſpirare, ita myſticæ cœnæ non eſſe participem, fames & extrema mors. Hæc enim menſa noſtrorum animorum nervus eſt, mentis vinculum, argumentum libertatis, ſpes, ſalus, lux, vita. Hoc cum ſacrificio ſurſùm profecti, magna cum libertate ſacra veſtibula inituri ſumus, quaſi auratis armis undique muniti.

Verum quid commemoro futura? Hoc myſterium hîc terram tibi facit cœlum. Patefacito cœli valvas, atque introſpice, vel potius non cœli, ſed cœli cœlorum; tùm quod dico, videbis. Nam quod ibi clariſſimum eſt, & ampliſſimum, hoc in terra poſitum demonſtrabo. Ut enim in Regia, quod omnium honeſtiſſimum eſt, & ſplendidiſſimum, non parietes ſunt, non aurea laquearia, ſed in præcelſo ſolio poſitum Regis corpus: ita in cœlis

corpus eſt Regis noſtri. At hoc idem in terra potes intueri: etenim non Angelos tibi, non Archangelos, non cœlos, ſed ipſum Dominum oſtendo. Viden quod omnium rerum gratiſſimum eſt ut in terris cernas? Nec cernas ſolum, ſed attingas, nec ſolum attingas, ſed etiam comedas, ut eo ſumpto domum revertaris?

Abſterge igitur animum, compara mentem tuam ad ſuſceptionem horum myſteriorum. Nam ſi regius in regiis ornamentis puer, in purpura, & diademate tibi geſtandus eſſet, nonne omnia vilia, ac terreſtria ſponte abjiceres? Jam verò non regium filium hominis, ſed ipſum Dei Filium unigenitum ſumens, cedo, non ne exhorreſcis? Nonne omnem humanarum rerum amorem abjicis? Et his ornamentis ſolum gloriaris? Etiam terram aſpicis? Pecuniam adamas? Aurum admiraris? Quis tibi reliquus eſt ignoſcendi locus? quæ defenſio? An ignoras Dominum tuum humanam omnem luxuriam averſari? Annon idcircò natus, in præſepe collocatus eſt? Matrem humilem, & contemptam delegit? Nonne hanc ob rem ei qui negotiationem reſpiceret, dixit: *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet?* Nonne diſcipuli legem eandem obſervarunt, & ad tenues pauperesque homines ſponte diverterant? alius apud coriarium, alius apud tabernaculorum conſarcinatorem, & venditricem purpuræ diverſati? Non enim ſplendorem ædium, ſed animorum virtutem requirebant.

Quare hos imitemur, pulchritudinem columnarum, & marmorum prætereuntes, & ad ſuperas ſedes vehementi ſtudio & alacrita-

te animi contendentes: humanarum rerum gloriam, & pecuniæ cupiditatem proteramus, animos excelſos & invictos ſumamus. Nam ſi ſapiemus, ſi nobis temperare, & vitam noſtram moderari poterimus, non ſolum egregiæ porticus, & ambulationes, ſed ne orbis quidem terræ eſt nobis dignus futurus. Quamobrem animos noſtros exornemus. Hanc domum inſtruamus, quam è vita migrantes ſumus deportaturi, ut immortalia, & ſempiterna bona Dei benignitate conſequamur.

---

## SERMO II.

*De Providentia divina: curioſè non eſſe quærendum cur alii divites, alii inopes ſunt errare homines in dijudicandis bonis & malis.*

IN diſtributione rerum humanarum quieto omnes animo eſſe debemus, nec curioſe rationem inveſtigare, cur alii divites, & copioſi ſint, alii egeant. Neque enim omnes à Deo habent divitias: multi per injuriam & fraudem. Qui enim imperavit, ne diteſceremus, quo pacto id daret, quod habere vetuit? Cur quæſo dives erat Abraham, Jacob vel pane egebat? An non uterque juſtus erat? Nonne de tribus eodem modo dicit, *Ego Deus Abraham, Iſaac, & Iacob?* Cur igitur alter locuples erat, alter ſerviebat? Vel potius, cur Eſau, qui improbus & ſceleratus eſſet, & fratricida, dives erat, alter tot annos ſervus? Cur rursùm Iſaac in magnis copiis tamdiu vixit, Jacob in laboribus, & ærumnis? Ut

hoc diceret, *Pauci, & mali dies mei?* Quamobrem David qui & Propheta eſſet, & Rex, omnem vitam in miſeriis & laboribus traduxit: Salomon ejus filius quadraginta annos ſine vllius mali metu, maxima pace fruens, gloria, honore, & deliciarum quodvis genus perſequens? Cur in Prophetis alius gravioribus malis, levioribus alius premebatur? Quia unicuique ſic expediebat.

Quare ubique hoc prædicandum, *Iudicia tua abyſſus multa.* Si enim illos egregios & præſtantes viros non eodem modo Deus exercebat, aliis paupertatem addens, divitias aliis, alios ſecundo vitæ curſu dirigens, alios ærumnis incommodiſque afficiens: his quoque temporibus hæc nobis in mentem venire oportet.

Illud prætereà cogitare debemus, multa non ex illius ſententia, ſed vitio noſtro nobis accidere. Quare nec tecum ipſe quæras, cur alius, cujus inſignis ſit nequitia & improbitas, opibus & copiis abundet, alius ſumma vitæ innocentia, atque integritate pauper ſit. Horum enim omnium vel maxime ratio reddi poteſt. Nam & bonus vir nihil ex inopiâ detrimenti capit, ſæpe etiam laudis & gloriæ cumulum: & malo ingens divitiarum vis pœnæ viaticum eſt, niſi ſe immutet. Atque ante ſupplicium ipſæ divitiæ infinita mala ſæpe invexerunt, & poſſeſſorem in exitiale barathrum conjecerunt. Hæc vèro ſinit Deus, tum ut voluntatis humanæ libertatem oſtendat, tum ut alios erudiat, ne pecuniarum amore inſaniant.

Quid? inquies: ſiquis improbus, & divitiis circumfluat, nequicquam mali, atque

incommodi patiatur ? Si virtute prædirus ſit, merito dives eſt. At ſi improbus, quid dicemus ? Ea re nempe miſerabilem eſſe. Divitiæ enim ſi ad improbitatem accedant : vitium deterius faciunt. At boni ſæpe egent, nullo ſcilicet afficiuntur detrimento. Malus item pauper eſt. Hoc quidem & jure, & merito : ita ei conducit.

Eſt inquies, qui patrimonium à majoribus acceptum in meretrices paraſitóſque impendat, nec quicquam mali habeat. Quid ais ? Eum cum libidinoſe & flagitioſe vivat, nullo affici malo aſſeveras ? Temulentum, in deliciis vivere putas ? Fœlicem, qui ſumptus inutiles faciat ? Quid eo poteſt eſſe deterius, qui animum ſuum lædat ? Tu ſi pravo ac debilitato corpore eſſes, multis te lachrymis dignum judicares ; qui animi vitio laboret, beatum exiſtimas ? At hujus mali nullum ſenſum habet. Iccircò verò, ut furioſus & amens, eſt miſerabilis. Qui enim ægrum ſe eſſe intelligit, & medicum diligenter requirit, & datis medicaminibus utetur : qui ignorat, morbo qua ratione liberari poterit ? Hunc igitur fortunatum prædicas ?

Mirum ſane non eſt. Plerique enim diſciplinarum omnium expertes ſunt, atque ideo ultimum ſupplicium pendimus. Pœna afficimur, nec ea unquam liberamur. Hinc iræ, mœrores, perpetui vitæ tumultus oriuntur. Cum enim vitam nobis oſtenderit Deus dolore vacantem, eam ſcilicet, quæ ex virtute ſit, nos, eâ omiſsâ, aliam inimus viam divitiarum, & pecuniæ, infinitis malis refertam. Nam perinde facimus, ac ſi quis pulchritudinem corporum dignoſcere neſciens & in ve-

ſtibus ornamentiſque omnia ponens, formoſam mulierem, & naturali venuſtate ac pulchritudine inſignem prætereat, & contemnat, aliam turpem, deformem, corpore mutilam, veſtimentorum ſplendore captus, domum uxorem ducat. Hoc in dijudicanda virtute, & improbitate permultis contigit, qui alteram natura turpem, ob adventitia ornamenta recipientes, honeſtam ac formoſam nudæ pulchritudinis odio averſantur, cum eam hanc ob cauſſam eligere deberent.

Itaque pudet me, eſſe apud inſipientes Gentiles, qui hæc ſi minus re ipſa & veritate, ſententiâ certè philoſophentur, cum res humanas inſtabiles eſſe & fluxas intelligant: quoſdam verò de noſtris ne hæc quidem ſcire, ac judicium depravatum habere; cum tamen nobis omnibus locis Scriptura decantet, ac dicat. *Ad nihilum redactus eſt coram eo malignus: timentes autem Dominum glorificat: timor Domini omnia ſuperat: Deum time, & mandata eius ſerva: hoc eſt enim omnis homo: Noli æmulari in malignantibus: Ne timeas, cum dives factus fuerit homo: Omnis caro fœnum, & omni gloria eius ſicut flos fœni.*

Hæc enim, atque alia hujuſmodi ſingulis diebus audientes, etiam terræ ſumus affixi. Ac veluti imperiti pueri, aſſidue elementa diſcentes, & alia pro aliis cum de eorum ordine ſparſim interrogentur, reſpondentes, riſum nobis movent: ita vos, cùm hæc ordine recenſemus, qualitercumque ſequimini: at cum extra hunc ſermonem varie ſciſcitamur, rerum humanarum quæ in primis habendæ ſint, quę in ſecundis, quo quidque loco ducendum ſit, nihil, quod reſpondeatis habea-

tes, ridiculi eſtis. Annon, quæſo, ridiculum eſt, annon ſummæ inſaniæ, eos, qui immortalitatem expectent, & ea bona, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*, de his, quæ infima & vilia ſunt, decertare, & alicujus pretii eſſe ducere?

Nam ſi te etiam diſcere opus eſt, divitias non eſſe magni faciendas, umbram eſſe ac ſomnium; præſentia, more fumi diffluere, & evolare: extra hæc adyta conſiſtito, in veſtibulis mane: nondum enim ſupernæ regiæ aditu dignus es. Etenim ſi horum naturam inſtabilem, & perpetuo fluentem, dignoſcere non potes, quando tandem contemnes?

Sin hæc te ſcire profiteris, deſine inutili cura, & labore inveſtigare, cur alius dives ſit, alius egeat: cùm enim hæc quæris, ſimiliter facis, ac ſi percontareris huc illuc circumcurſans, cur alius albus ſit, ater alius, hic adunco naſo, ille ſimo. Nam quemadmodum noſtra nihil refert, hæc quomodo ſe habeant, ita nec, qui pauperes, qui locupletes & copioſi ſint. In utendi modo omnia poſita ſunt. Sive rerum difficultate & inopia ſis affectus, potes tranquillo animo vitam philoſophando traducere: ſive divitiis abundas, omnium es, niſi virtutem ſequeris, miſerrimus. Hoc enim eſt, quod noſtra referat: hoc ſi abſit, reliqua utilitatis nihil habent.

Atque ideo hæ crebræ interrogationes habentur, quod ea in quibus nihil eſt diſcriminis, multi ſua intereſſe putant. Si quid interſit, rationem nullam ducunt. Hoc enim inquam, eſt, quod intereſt omnium, virtus, Philoſophia, ratio, & diſciplina vitæ.

Quoniam vero ab hac procul abeſtis, ic-

circò cogitationum & conſiliorum perturbatio ſumma eſt, iccircò procella & tempeſtas exagitat: cum enim ſupernæ gloriæ ac vitæ cœleſtis amorem ejecerint, præſentem appetunt, ſervi & captivi fiunt. Qui vero hanc expetimus? Quod illius non magna cupiditate teneamur. Hoc unde eſt? Ab ſegnitie & ignavia. Vnde ignavia? Ex contemptu. Contemptus quę origo? A dementia, à rerum caducarum, & fluxarum ſtudio, ex eo denique eſt, quod rerum naturam & veritatem diligenter examinare negligamus. Hoc ipſum verò qua ex re oritur? Ex eo plane quòd in Scripturarum lectione nihil ſtudii & operæ ponamus, bonorum & ſanctorum virorum conſuetudinem fugiamus, noſque ad improborum cœtum aggregemus.

Quamobrem, ne ſemper ita fiat, ne nos è fluctibus fluctus excipiant, inque immenſum mare abripiant, obruant, ac funditùs perfundent, quo ad tempus & occaſio fert, reſipiſcamus, ad nos redeamus, & in petra ſtantes Dei videlicet decretorum, ac ſermonum, hujus vitæ tempeſtatem intueamur. Ita enim hanc effugiemus, & cæteris è naufragio ope noſtra ereptis, Dei beneficio futura bona conſequamur.

## SERMO III.

*De aliorum peccatis reprehendendis: Maledictis abſtinendum.*

IN erudiendo atque reprehendendo, neque qui redarguit iraſci debet; ad corrigendum

enim perturbatio animi valere non poteſt, neque qui arguitur, offendi: medicina enim eſt, non offenſio. Quod ſi medici ferro candenti partem aliquam corporis adurendo, finem non ſemper aſſequuntur, nec tamen accuſantur: ſed ij, qui & uruntur & ſecantur in ſummo dolore bene de ſe mereri putant, qui eum dolorem excitarunt: quanto magis eodem animo eſſe convenit eum, qui reprehendatur, & ei qui ſe corrigat, ut medico parere, non ut inimicum odiſſe?

Nos item, cum objurgamus, ſummam adhibeamus lenitatem atque prudentiam. Quod ſi fratrem videas delinquentem, ne palam caſtiges, ſed ut imperat Chriſtus, clanculum, ſine ullis arbitris, nihil ei exprobrans, jacenti non inſultans, ſed conceptum ob ejus peccata dolorem præteferens. Ac ſi quid ipſe pecces, te ad aliorum reprehenſionem ſponte tua offer.

Ut autem, quod dico, fiat apertius, certum argumentum nobis proponamus. Nam utinam ne re vera talis exempli nobis copia ſit. Sit ex fratribus, qui unà cum virgine vivat, temperatus vir, ac modeſtus, qui tamen malam exiſtimationem non effugiat. Tu igitur cum audieris conſuetudinem eorum pervulgari, noli id contemnere, noli tecùm dicere. Ille verò nihil mentis habet? An ignorat, quid expediat ſibi? Fac diligaris vel temere: ut autem temere odio ſis, cave committas. Me ſupervacaneas inimicitias ſuſcipere, quid juvat? Hæc nugatoria oratio eſt, belluarum eſt, vel potius dæmonum: neque enim temere odium ſubire poteſt, qui alterius corrigendi gratia id aggrediatur. Sed ſingu-

laria eum bona, & coronæ reconditæ manent.

Quòd ſi dicas, An amens ille eſt? Enim vero eſſe reſpondebo: animo enim perturbato, ſobrius non eſt. Nam ſi in externis judiciis, qui injuriam acceperunt, pro ſe ipſi, cum iracundia ardeant, orare non poſſunt: tametſi illa commotio animi crimini non datur: quanto magis qui conſuetudine prava devincti ſunt? Iccircò eum affirmo, quamvis prudentiſſimus ſit, nihil conſilii habere.

Quid Davide prudentius & intelligentius eſſe poterat? Qui diceret: *incerta & occulta ſapientiæ tuę manifeſtaſti mihi.* Ad poſtquam militis uxorem intemperantibus oculis aſpexit, tunc idem ei contigit, quod in inſano mari navigantibus: ejus omnis ſapientia extincta & oppreſſa eſt: correptore opus habuit, cum, in quantis malis verſaretur, minime ſentiret. Quare, cum peccata ſua deploraret. *Vt onus grave* inquiebat, *gravata ſunt ſuper me: putuerunt & corrupta ſunt cicatrices meæ à facie inſipientię meę.* Qui igitur ſceleris quid & flagitii committit, mente ſana non eſt, ebrius eſt, & denſis tenebris circumfuſus.

Quamobrem noli iſta loqui· neque hoc adde, ideò tibi curæ non eſſe, *quod unuſquiſque onus ſuum portabit.* Maximum enim crimen tibi naſcitur, quod non errabundum & vagum in viam reduxeris, quod non confirmaris. Nam ſi inimici jumentum lege Judæorum prętereundum non eſt, & contemnendum: qui non jumentum, non inimici animum negligit, ſed amici, quam veniam habebit? Nam ad defenſionem nobis ſatis non eſt, eum mentem habere: quandoquidem &

nos, qui ſæpenumero vos hortati ſumus, parum profecimus.

Hoc igitur de eo qui peccet, ipſe conſidera, par eſſe, eum à te potius, quam à ſe conſilium capere. Nec vero dicas, quid hæc mihi curæ ſunt? Eum metue, qui hoc primus dixit. *An ego fratris mei cuſtos ſum?* Tua enim ratio eodem ſpectat. Omnia inde mala naſcuntur, quod corporis noſtri membra, aliena eſſe ducamus. Quid ais? Nihil tibi frater tuus eſt curæ? Cui ergo erit? Infideline? at ille malo noſtro gaudet, exprobrat, inſultat. An diabolo? Qui nos impellit, qui pervertit. Qua id ratione tandem fieri poteſt?

Nihil inquis proficio: cum ea, quæ oportet, & conſulam, & dicam. Unde vero perſpicuum eſt, nihil perfectum iri? Summæ enim eſt amentiæ, cum incertus rei ſit exitus, certæ negligentiæ crimen ſuſcipere. Quamquam Deus ipſe cum futura perſpiciat, multa ſæpe monuit, nec profecit, nec deſtitit tamen: idque cum ſciret ſe perſuaſurum non eſſe. Quod ſi is, qui præſentiat, nihil ſe profecturum eſſe, objurgatione non deſiſtit, quam defenſionem habebit, qui omnino futurorum ignarus, diſſolutus eſt, ac negligens? Etenim ſæpe multi aliquid aggreſſi profecerunt: & cum maxime deſperarent, tum optime ſucceſſit.

Quod ſi nihil proficias, officio certe tuo functus es. Quare cave erga alterum inhumanus ſis, crudelis, indiligens: perſpicuum enim eſt, hanc orationem ab negligentia, & inhumanitate naſci. Cur enim, ſi quod membrum corporis ægrotat, curam non depreceris? Propterea quod curam adeptum convaleſcit.

Itaque omnia moliris, ut te ipſum, ſi cura & diligentia non juvet, accuſare non poſſis, quod eorum quæ fieri oporteret, quidquam ſit prætermiſſum. Et corporis membra tanta diligentia curabimus, Chriſti negligemus? Quæ nobis venia dabitur? Nam ſi te inflectere non poſſum, cum dicam membra tua curæ tibi eſſe oportere, corporis te Chriſti commonefacio, quo melior evadas. Nonne enim horribile eſt carnem ſuam tabeſcentem videre, & negligere? Quod ſi ſervum habeas, aut aſinum putredine affectum, non contemnendum ducas. Corpus Chriſti cum videas ſcabie teterrima ſquallere, nihili facis? Nec exiſtimas ſexcentis hæc fulminibus eſſe vindicanda? Hanc inhumanitatem & negligentiam, rerum ſumma perturbatio conſecuta eſt.

Quamobrem crudelitatem omnem ejiciamus ex animis noſtris. Adito igitur ad eum cui eſt conſuetudo cum virgine, de ejus reliquis laudibus breviter commemora, fac infœlicitatis tuæ mentionem. Commune hominum genus accuſa, oſtende nos omnes in peccatis verſari, veniam pete, dic te grave onus, ac negocium ſuſcipere, excitante audaciam charitate. Deinde ſuadere incipe, non pro imperio, ſed fraterno more: cumque his rebus tumorem repreſſeris, & quem ſecando facturus es dolorem lenieris, deprecationeque identidem uſus monueris, ne obligationem vulneris ægre ferat, tum plagam inflige, neque aſtringendo nimium, neque relaxando, ut neque abſterreatur, neque contemnat. Sive enim vulneres non opportuno loco, nihil profeceris, ſive vehementer ſaucies, cauſam eluctandi dederis.

Quare poſtea in coarguendo, reprehenſioni laudem admiſceto. At quoniam ejus factum laudi dari non poteſt, neque enim commercium virginis poteſt eſſe laudabile, de ejus conſilio verba tibi facienda ſunt. Etenim novi quidem te propter Deum id facere, cumque ejus miſeræ ſolitudinem videres, cum eam ab omnium hominum officiis, & cura deſeri cognoſceres, manum porrexiſſe. Quod ſi non ea mente ille ſit, tibi tamen ita loquendum eſt. Tum hæc adde, excuſationem iterum adhibens: hoc ego non impero, ſed commonefacio. Propter Dei gratiam cum ea vivis? Scio equidem: verum conſideremus, num quid aliud mali inde oriatur. Si nihil ſubſit, habeto intùs, hoc præclarum ſtudium obtine, nemo prohibet. Sin gravius ex eo detrimentum, quam commodum redeat, ne committamus obſecro, ut, cum animam unam reficere ac recreare ſtudeamus, ſexcentas offendamus.

Nec vero ſtatim adde quæ pœnæ maneant eos, qui offendunt alterum, ſed eum teſtem adhibe. Non eſt opus, te hæc ex me diſcere: noſti ipſe, quod ſupplicium minitetur Deus, *ſi quis ſcandeliza verit unum ex puſillis iſtis.* Atque ita contemperata oratione, ac mitigata iræ correctionis medicamen adhibe.

Quod ſi ſolitudinem illius excuſet, noli coarguere. Dic adverſus eum: Nihil te horum perterrefaciat: aliorum offenſio, quam fugis, defenſionem tibi ſuppeditabit: non enim per negligentiam & ſocordiam, ſed illi conſulens, ſtudio tuo deſtitiſti. Ac paucis quidem verbis ſuadendum illi eſt. Neque enim multa doctrina opus eſt. Ignoſcendi ratio

longa debet eſſe, & crebra. Identidem ſignificanda benevolentia, orationis moleſtia, & acerbitas lenienda, poteſtati ejus & judicio permittendum. Hæc quidem ego hortor, & ſuadeo. In te ſitum eſt ut tibi ipſe perſuadeas. Nihil ego cogo, non vim affero, ſententiæ tuæ permitto omnia.

Si reprehenſionem ita inſtituamus, peccantes facile corrigemus. Nam quod quidem nunc facimus, beſtiarum ratione carentium eſt, non hominum. Si enim aliquem peccantem nonnulli ſenſerint, illi quidem verbum nullum faciunt: At ipſi, ut vinolentæ anus inter ſe conſuſurrant. Atque hic nullum locum, hoc habet, fac ameris vel temere; temere ne odio ſis, caveto. Verum cum maledicere cupiunt, contemnunt temerarium odium, vel potius ipſum ſupplicium: neque enim inde odium ſolum, ſed pœna naſcetur. Si quando verò correctione opus eſt, cùm alias excuſationis cauſſas, tùm hanc potiſſimum afferunt. Nam hæc in mentem venire oportebat: Cum maledicta jacis, cum calumniaris, temere odio eſſe nolo, nihil proficio, nihil mihi curæ eſt.

Jam verò dum curioſus es, odium & alia ſexcenta mala nihili facis. At cum ſaluti fratris conſulendum eſt, tum minime & curioſus, & odioſus haberi vis. Quamquam ex maledicto cum hominum odium, tum potiſſimum Dei ſuſcipitur: nec tamen admodum curę eſt. Ex arcano verò conſilio, atque hujuſmodi reprehenſionibus, & à Deo, & hominibus gratiam inibis. Quod ſi oderit homo, propterea magis amabit Deus. Nec vero ille tam odiſſe poterit, quam dum te oderat

conviciis ſe & maledictis appetentem. Tum enim & hoſtem, & inimicum averſabatur: nunc verè vel quam patrem ipſum magis reverebitur. Si palam offendetur, ſeorſim certe & cum animo ſuo multam tibi gratiam habebit.

Quamobrem membra noſtra curæ habeamus. Alii in alios linguam ne acuamus, exiſtimationem alterius lædentes, ac quemadmodum in pugna ictus, & accipientes, & inferentes. Quis enim jejunii, vigiliarumque fructus eſt, ſi lingua temulenta ſit, & utatur menſa caninis carnibus impuriore, ſanguinem exugat, cœnum profundat, & os cloacæ rivum efficiat, aut eo potius magis execrandum? Quod enim illinc prodit, corpus inquinat, quod verò hinc, animum ipſum perdit.

Hæc ego dico, non ut illis conſulam, qui ſine cauſſa male audiunt. Illi enim coronis digni ſunt, ſi quæ in ſe dicantur, fortiter ferant: ſed ut vobis, qui maledicitis. Eum enim, qui injuriâ male audiat, beatum Scripturæ prædicant: at qui maledicat, à ſacris myſteriis arcent, atque adeò ab ipſis ſeptis? *Qui enim*, inquit, *clam detrahebat proximo ſuo, hunc ejiciebam.* Quinetiam ſacrorum librorum lectione eum indignum eſſe ait. Nam, *Cur* inquit, *narras juſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* deinde cauſſam addens, *ſedens*, inquit, *adverſus fratrem tuum loquebaris.*

Nec verò hic definiunt vera, an falſa loqueretur. Alibi verò hoc vetuit, cum nos oſtenderet, tametſi vera dicamus, alteri tamen maledicere non debere. *Nolite judicare,*

ait, *& non iudicabimini.* Quandoquidem, is qui maledicto publicanum lædebat, quamvis verum crimen inferret damnabitur.

Quid igitur? Si quis audax, improbus, ſceleratus ſit, non ne corrigendus, nonne redarguendus? Sane quidem, verum eo more, quem jam demonſtravi. Si vero exprobrans id facis, vide, ne tibi, qui Phariſæum imitaris, eadem, quæ illi, contingant. Etenim nihil inde lucri fit, vel tibi, qui maledicis, vel alteri, qui audit: nam ille fit impudentior: qui, dum peccata ſua clam eſſe putat, tantiſper veretur, poſtquam patefacta ſentit, frenum omne abjicit. Is, apud quem dicis, plus etiam damni accipit. Sive enim recte factorum ſibi conſcius eſt, inflatur, & alterius criminibus intumeſcit: ſive peccatorum ac ſcelerum, ad improbitatem, nequitiam, libidinem proclivior longe fit. Rurſum is, qui dicit, & apud audientem in exiſtimationem malam adducitur, & magis erga ſe iram Dei laceſſet.

Quare putidis verbis, obſecro, temperemus: quæ ad ædificationem bona ſunt, ea uſurpemus. At illum ulciſci jus? Cur igitur pro illo te ipſum ulciſceris? Si enim ab iis pœnas experis, qui dolorem dederunt; qua ratione juſſit paulus, improbitatem eorum perſequere. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum: ſi ſitierit, potum dare.* Si hoc negligis, ſi etiam inſidiaris, gladium inte ipſum adigis.

Quamobrem, ſi ille maledicat, laudibus & benedictis eum remunerare. Hoc enim modo & illum ulciſci poteris, & te ipſum ſuſpicione liberabis. Nam qui propter male audiendum dolet ac pungitur, male facti con-

ſcientiam prodit, & aperit: qui verò quæ dicantur rideat, maximum indicium facit integritatis ſuæ.

Cum igitur nec ei qui te audiat, proſis, nec tibi ipſi, nec ei, quem nullo jure criminaris, cum gladio tete perfodias, tibi te inimicum præbeas, vel ex hoc certe diſce linguæ temperare. Hoc enim oportebat propter regnum cœlorum, ex Dei voluntate, atque authoritate, perſuaderi tibi. Cum vere pinguior ſis, & more beſtiarum mordeas, vel hinc doctrinam pete: ut his ſermonibus eruditus, in vivendo Dei placita, ac decreta ſequaris, & compreſſis omnibus vitiis, ſedatiſque perturbationibus animi, ad bona cœleſtia æternaque pervenias · quæ utinam omnes adipiſcamur gratia, & benignitate Domini Jeſu Chriſti, cui cum Patre, & ſancto Spiritu gloria, imperium, & honor nunc, & ſemper, & ad omnem æternitatem ſit. *Amen.*

---

## SERMO IV.

*De inſtabilitate rerum humanarum de imitando Deo. Deque ejus in nos beneficiis.*

SI quid nobis minitatur Deus, ſi quid Prophetæ omnes, hoc negotium fabulas eſſe putant, omnes jocum & ludum, nemo in metu eſt, nemo lacrymatur, nemo percutit pectus. Flumen ignis erumpit, flamma accenditur, nos ridemus, delicias facimus, effusâ licentiâ peccamus; nemini ille dies in mentem venit, nemo cogitat, præſentia omnia præterfluere, punctum temporis manere:

quamvis in ſingulos dies res ipſæ clament, ac vocem emittant, immaturæ mortes, & rerum viciſſitudo, quæ vel vivis nobis accidit; ægritudines, morbi nihil nos erudiunt.

Nec verò in noſtris corporibus ſolum mutationes fiunt, ſed in ipſis etiam elementis, atque in ipſis ætatibus mortem quotidie meditamur: proponitur nobis ante oculos rerum omnium inſtabilitas. Nunquam permanſit hyems, nunquam æſtas, non ver, non autumnus: prætercurrunt omnia, avolant, fluunt. Quid flores commemorem? Quid magiſtratus, & honores? Reges, qui hodie ſunt, cras non erunt! Quid divites, quid ædificiorum magnificentiam & ſplendorem? Noctem, diem, ſolem, lunam? Annon hæc ſeneſcit? Annon ipſe ſol interdum deficit? Nonne obſcuratur? Nonne tegitur ſæpiſſime nubibus? An quicquam eorum quæ cernuntur, perpetuo manet? Nihil prorſus.

Manet ſolus ex iis, quæ in nobis ſunt, animus: verum hunc negligimus. De iis quæ viciſſitudinem & converſionem habent, quaſi ſint æterna, ſolliciti ſumus: animi verò quaſi interiturus ſit, nullam ducimus rationem, aliquis plurimum poteſt? At in craſtinum uſque diem, illa deinde potentia, illæ opes, illa præſidia frangentur. Quod perſpicuum eſſe poteſt ex iis, qui multum aliquando potuerunt, nunc nuſquam apparent.

Hæc vita ſcena quædam eſt, ſomnium eſt. Ut enim ſublatis ſcenæ tabulis, illa varietatis pulchritudo jucunditaſque diſſolvitur: ut ſomnia luce ſplendeſcente avolant; ſic cùm ad finem ventum eſt, & multorum communem, & unius cujuſque proprium, ſolvun-

tur omnia ac delentur. Ac ſurculus quidem, quem ſeveris, manet, manent, quas extruxeris ædes, at Architectus, agricula abripiuntur & intereunt. Quæ cum ita ſint, ne commovemur quidem, ſed hæc omnia ſtruimus, ut immortales & deliciis luxuriaque diffluimus.

Audi quid dicat Salomon, is, qui periculum fecerat rerum humanarum. *Ædificavi mihi domos, hortos conſevi, pomaria, vineas: piſcinas aquarum inſtitui, magnum auri pondus & argenti habui, oblectavi me ſymphonia, greges & armenta comparavi.* Nullus enim æque in deliciis vixit, æque in honore: nemo ei unquam ſapientiæ, nemo imperii amplitudine par fuit: nemo æque omnia vidit ex ſententia procedere. Quid igitur? Nullam his è rebus cæpit voluptatem. Quid enim poſteà? Quid ait? *Vanitas*, inquit, *vanitatum, & omnia vanitas.* Vanitas non ſimpliciter, ſed vanitas ſumma.

Ei quæſo credamus, qui hæc experiendo didicerat. Credamus ei, & ea amplectamur, quæ vanitatem nullam habeant, quæ veritate fulta, quæ firma, ſtabilia, certa ſint, in quibus nulla ſenectutis labes reſidet, quæ florent omnia, quæ vigent, non veteraſcunt, non ſeneſcunt, nulla unquam vi extinguuntur. Deſideremus obſecro Deum verè, & ex animo, non timore gehennæ, ſed regni cupiditate adducti. Quid enim tanti eſt, quanti Chriſtum videre, & illis bonis frui? Nihil ſane. *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus eſt.*

Illa cupiamus adipiſci, hæc contemnamus;

annon millies hæc accuſamus, & vituperamus? Vitam humanam eſſe nihilum. Cur in nihilo ſtudium collocandum putas? Cur labores ob rem nullam ſuſcipis? Domos amplas & magnificas vides: harum te ſpecies & pulchritudo capit. Aſpice cœlum: ab his lapidibus columniſque oculos averte, pulchritudinem illam contemplare, tum intelliges hæc culicum eſſe opera, opera formicarum. In illa contemplatione animum defige, mente in cœlum aſcende: inde deſpice horum ædificiorum ſtructuram & ſplendorem, videbis nihil eſſe, niſi puerorum & parvulorum ludos.

Viden ut aër eo tenuior ſit, eo levior, eo purior, ac lucidior, quo altius conſcendis? Illic ſedes habent, illic tabernacula, qui eleemoſynæ munere defunguntur. Hæc infima, in reſurrectione evertuntur, atque intereunt: vel potius ante reſurrectionem vetuſtas temporis conſumpſerit. Quin etiam ante tempus in ipſo ſæpe flore atque articulo ſummæ pulchritudinis, vel terræ motus dejecit, vel incendium labefactavit. Non enim in hominum ſolum ætatibus, ſed etiam in ædificiorum mortes ſunt immaturæ. Ac ſæpenumero quæ vetuſtate temporis infirma ſunt, movente terra nuſquam inclinant: at quæ fulgeſcunt, quæ ſtabiliter poſita ſunt, & recens extructa, tonitru ſolo conquaſſata ruunt: idque divina, opinor, voluntate, ne ingentes ob hæc ædificia ſpiritus ſumamus.

Viſne aliam rationem afferam, cur bono animo ſis? Ad hæc publica opera, & loca deſcende, quorum æquam tu partem habes: nulla etenim privatorum domus eſt, vel ornatiſſima, quæ publicorum ædificiorum ſplen-

dorem ac magnificentiam vincat. Ibi quamdiu commorariis, tua illa ſunt; tua, cum aliis videlicet communia, non propria. At oblectationem non afferunt. Primum id conſuetudinis cauſſę: deinde quòd nihil plus cæteris inde percipias. Cupiditas igitur voluptatem habet, non rerum pulchritudo: cupiditas te juvat, oblectat ſtudium res alienas tibi arrogandi.

Quam diu his in rebus defixi ſumus? Terræ ut vermes, adhæremus? In luto volutamur? Corpus de terrà nobis conceſſit Deus, ut id in cœlum efferamus, non ut ejus opera in terram animum detrahamus. Terrenum eſt: at cœleſte, ſi voluero fiet. Vides quanto nos honore affecerit Deus, qui tam egregium opus voluntati noſtræ, & poteſtati permiſerit? Feci, inquit, cœlum & terram: dedi tibi hujus opificii facultatem terram fac cœlum. Potes etenim. Feci, inquit, ego pulchrum corpus. Do tibi melioris rei opificium; fac animum pulchrum. Facio ut ſol & bonis & malis oriatur. Hoc tu imitare: imperti res tuas & bonis & malis. Cum afficior contumelia, fero patienter, eoſque, qui contumeliam intulerunt, meis beneficiis augeo. Imitandum hoc tibi: in te enim ſitum eſt. Beneficia do non ſpe atque expectatione præmii: id exemplum ſequere; neque committe ut mercedis & commodi tui cauſſa de aliis bene merearis: lumina in cœlo accendi, tu inflammato clariora: in lucem eos voca, qui in tenebris, & errore verſantur: maius enim beneficium eſt, me agnoſcere, quam ſolem intueri. Homines ipſe facere non potes, at potes juſtos, potes, apud Dominum gratioſos,

Ego naturam fabricatus ſum, tu voluntatem orna.

Viden ut te diligam? Ut facultatem tibi dederim rerum maximarum? Nam quid dicam? Non his rebus ſolum meam erga vos benevolentiam declaravi, ſed iis malis, miſeriis, incommodis, quæ ſponte veſtra cauſſa ſuſcepi. Propter te ſputis appetitus ſum, colaphis cæſus, gloriam meam obſcuravi, à Patre profectus ad te veni, qui me oderas, qui averſabaris, qui meo nomini eras inimicus. Inſecutus ſum, & accurri, ut te retinerem: te mecum conjunxi: Ede me dixi, bibe me. In ſuperis regionibus te habeo, in infimis omni humanitate ac liberalitate complector: annon tibi ſatis eſt, quod primitias tuas ſuperne collocavi? Annon hoc deſiderium tuum lenire & conſolari poteſt? Deorsùm ad te veni, tecùm me conjungo, edor à te, & ita comminuor, ut contemperatio fiat, ut miſtio, ut copulatio ſingularis. Hæc cum intelligamus, & incredibilem ejus rerum noſtrarum curam agnoſcamus, omnia faciamus, quæ nos ſummis ejus muneribus, & beneficiis non indignos reddant.

---

## SERMO V.

*In illud ad Coloſſenſes, cap.* 4. *v.* 6. Sermo veſter in gratia ſit ſale conditus.

SCire enim nos oportet, ut ſit unicuique reſpondendum: ne ſit oratio noſtra ſimulationis. Hæc enim gratiam nullam habet, ſale aſperſa non eſt. Itaque ſi cui ſine periculo

lo adhibenda ſit medicina, id ipſe ne recuſes: ſi tempus lenem orationem, blandam requirat, noli exiſtimare negotium hoc aſſentationis eſſe: noli ea prætermittere, quæ ad aliorum honorem, & dignitatem pertineant, modo pietas nulla ratione violetur. Annon vides, ut Daniel impium hominem obſervet & colat? Ut pueri tres ſapienter ſe gerant? Ut & virtutem & libertatem oſtendant? Sine temeritate, ſine offenſione & odio? Id enim non libertatis eſſet, ſed gloriæ.

Itaque ſcire nos debere præcipit, quæ cuique reſponſa danda ſint: aliud enim ei, qui cum imperio ſit, aliud ei, qui pareat; diviti aliud, aliud egeno. Quambrem? Quia divitum & potentium animi infirmiores plerumque ſunt, tument, diffluunt. Quare hic accommodatione noſtra opus eſt. Pauperum & tenuium hominum firmiores mentes ſunt, & intelligentiores ut ad hos major libertas ſine metu poſſit adhiberi. Nec verò quoniam copioſus alter eſt & locuples, alter humilioris fortunæ, illi plus honoris habendum eſt, huic minus: verum propter imbecillitatem animi ille feratur, hic non eodem modo.

Igitur ſi cauſſa nulla ſit, ne gentilem nefarium & ſceleſtum appelles: ab omni contumelia abſtine: verùm ſi de gentilium diſciplina forte interrogeris, ſceleratam & impiam eſſe reſpondeto: quod ſi nemo ſciſcitatur, nemo cogat: ita omnimodo dici non convenit, ne qua ſuſcipiatur offenſio. Quid enim neceſſe eſt ſupervacaneas inimicitias ſtruere? Item ſi quem doctrina noſtra erudias, propoſito argumento verba tibi facienda ſunt:

deinde tacendum. Si tale condita erit oratio, tametſi in diſſolutum animum incidat atque diffluentem, vanitatem omnem ac tumorem aſtringit, ſi gratiam habebit, acerbum & inhumanum mitigabit. Itaque nec gravis ſit ac odioſus ſermo, nec lenis & vanus: ſed & autoritatem habeat & voluptatem. Sive enim præter modum aſtringat, plus detrimenti quam utilitatis afferet: ſive voluptati, & gratiæ ſine modo ſerviat, plus doloris quam beneficii dederit. Quare omnibus locis modus habendus eſt. Nec verò triſtis nimium ac ſeverus ſit; eſt enim injucundum: nec diſſolutus: tritum enim eſt, atque contemptum: ſed utriuſque virtus retinenda, vitium fugiendum exemplo apis: ut alterius hilaritatem teneas, alterius gravitatem. Nam ſi medicus non eodem modo cũ omnibus corporibus agit; magiſtro multo magis id faciendum eſt. Et quidem medicamen incommodum corpora facilius ferant, quam orationem animus. Veluti ſi ad te gentilis accedat, conjungendæ amicitiæ cauſſa, noli hac de re ei verba facere, priuſquam valde amicus factus ſit: cumque id evenerit, pedetentim aggredere: Viden' Paulus, cum Athenas veniſſet, ut loquatur? nec verò ô ſcelerati, dixit, & nefarii homines: at quid dixit? *Viri Athenienſes, per omnia ſuperſtitioſos vos video.* Rurſum cum iraſcendum fuit id minime vitavit, ac ſumma vehementia dixit Elimæ, *ô plene omni dolo, & nequitia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ.* Nam quemadmodum adverſus illos acerbe & contumelioſe ſe gerere, inhumanitatis fuiſſet, ita huic parcere, mollis animi.

## SERMO VI.

### In illud. *ad Coloſſ.* 4. Cum Oneſimo dilecto & fideli fratre.

SErvum hominem, fratrem appellat Paulus, id merito: cum præſertim fidelium omnium ſervum ſeſe appellet, ſuperbiam omnes abjiciamus, proteramus arrogantiam: ſervum vocat ſe Paulus, cujus dignitas orbi terrarum, & cœlis omnibus æxequatur.

*Qui fuerunt mihi ſolatio.*

*Alienæ lætitię ſocium quemque oportere.*

Oſtendit ſeipſum in magnis incommodis & calamitatibus eſſe verſatum. Nec verò exiguum hoc officium eſt, cum bonos & ſanctos viros præſentiæ noſtræ aſſiduitate, ſermone conſolamur & hortamur, cum laborum & miſeriarum nos ſocios addimus. *Vinctis* enim, inquit, *ut una vincti*: in ſtadium adductus non es? in certamen te non demiſiſti? alius nudato corpore luctatur? ſi velis præclaram cum eo ſocietatem inibis. Vnctor ipſe ſis, ejus te cupidum & ſtudioſum prebe extrinſecus inclama, excita vim animi, refice hominem & recrea, amatores compara, inde exeuntem ſumma cum cura refice: ita coronarum ejus particeps eris & gloriæ, ſi, cum nihil aliud præſtes, egregiis ejus facinoribus læteris, non vulgarem cum eo ſocietatem contraxiſti, Charitatem enim, quæ bonorum omnium caput eſt, contuliſti.

Etenim ſi qui plorant, ſocii videntur eſſe luctus, nec mediocrem gratiam ab eo, qui lugeat, ineant, magnam doloris partem tol-

ſunt: multo majorem, qui lætitiam ſuam adjungunt, comparant voluptatem. Quantum enim malum ſit, ſocios doloris non habere, audi Prophetam dicentem: *& expectavi, qui doleret, & non erat.* Ac propterea Paulus admonebat, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Alieham augeto voluptatem. Si fratrem videris honore & gloria florentem, ne tecum ipſe cogitato, illius eam gloriam eſſe, ad te non pertinere. Non fratris eſt hæc cogitatio, ſed inimici. Si velis, non illius gloria ea futura eſt, ſed tua: in te ſitum eſt eam majorem efficere, ſi non triſtis ſis, ſi hilaritatem, ſi lætitiam oſtenderis.

Atque hoc ita eſſe, hinc perſpicuum eſſe poteſt. Qui invident, non iis invident ſolum, qui præſtanti gloria ſint, ſed iis etiam, qui amicorum gloria delectantur. Sciunt enim alios affici gloria, alios glorioſis amicorum factis maxime gloriari. In quem enim laus & gloria conferatur, etiam erubeſcit, qui ejus fautor eſt, magna cum voluptate geſtit, & exultat. In athletis nonne videtis, ut alius corona decoretur, alius minime coronatur: dolor & lætitia, vel fautorum ſit, vel inimicorum?

Intellige, quanti ſit, nemini invidere. Labor ad alium pertinet, ad te voluptas, alius corona cingitur, tu lætitia geſtis, tu gloriaris. Quod ſi apud externos, non invidere tantum boni habet, & alterius bona ſua facere, quanto magis, cum ab aliquo noſtrum Diabolus vincitur? Vin' igitur dolorem ei dare? fac læteris, & gaudeas: voluptatem afferre? triſtitiam oſtende. Mœrore tuo, quem ex fratris victoria percipit dolorem, multum ſublevas;

cum illo ſtas, ubi à fratre divelleris. Scelus admittis gravius quàm ille. Intereſt enim, utrum quis pro inimico ſe gerat inimicus: an amicus, cum inimicis faciat. Hic inimico longe eſt ſceleſtior.

Si frater tuus recte, vel facto, vel dicto gloriam adeptus eſt, fac illius gloriæ ſocium te adjungas: oſtendito ejuſdem te & ipſum eſſe corporis. Quo pacto, inquies? laudem ipſe non aſſequor. Cave hoc unquam dicas: comprime labia. Si, cum hæc diceres, propter me eſſes, labiis tuis manum objicerem, ne inimicus audire poſſet. Sæpe inter nos gerimus inimicitias, nec apud inimicos id præ nobis ferimus. Tu diabolo mentem tuam oſtendis? cave hoc dicas, cave cogites. Exiſtimato contra, vos unius corporis eſſe membra, ad corpus autem univerſum laudem & gloriam pervenire.

Quid inquies, an alieni ita rem accipiant? tu in cauſſa es. Fratris decus quod à te alienum eſſe oſtendis, illi magis abalienant. Nullam tibi laudem facultate dicendi peperiſti? cum ea de re alteri gratularis, major, quam illius, tua gloria eſt. Si enim charitas ampla res eſt, & omnium virtutum ſumma, tu laudem ejus aſſequeris. Illum eloquentia exornat, te ſingularis in fratrem benevolentia. Ille verborum & ſententiarum vim oſtentavit, tu reipſa invidiam abjeciſti, protriviſti livorem. Major laus tua, majus ſplendidiuſque certamen eſt.

Nec ſolum invidiam conculcaſti, ſed glorioſius etiam aliquid feciſti. Ille unamodo corona donatus eſt, tu duabus quæ una ſint longe ornatiores. Quænam verò hæ ſunt? unam in-

vidiâ domitâ cæpiſti, alterâ ob claritatem re-vinctus es. Alteri enim gratulari, non ſolum animi invidiâ liberi, ſed etiam egregiæ con-ſtantiſque benevolentiæ, certum indicium eſt. Illi ſæpenumero commotio quædam animi ne-gotium faceſſit, ut cupiditas gloriæ: tu per-turbatione animi vacui. Neque enim ſi inanis gloriæ ſtudio ducereris, alterius te decora & ornamenta delectarent, Cedadum, Eccleſiam ille rexit? frequentiorem cœtum fecit? tu il-lum collaudato. Palmam duplicem nanciſ-ceris.

Qui invidet, Deo bellum facit, non homi-ni. Cum enim dolet, quod alter in gratia ſit, cum eccleſiam abjici & vilem eſſe vult, non illum impugnat, ſed Deum. Si quis enim fi-liam regis exornaret, & laudem hanc ob ope-ram adipiſceretur, qui eam turpem, ac de-formem vellet, utrum tandem illi, an puellæ & ejus patri inſidiaretur? eodem modo tu, qui invideas, oppugnas eccleſiam, bellum Deo infers. Cum enim utilitas eccleſiæ cum fratris laude gloriaque conjuncta ſit, hæc ſi extinguatur, illam quoque extingui ac deleri neceſſe eſt. Quare officio ſatanæ fungeris, qui corpori Chriſti inſidias pares. Hunc offendis, qui nulla te injuria unquam laceſſivit: ſed multo magis Chriſtum. Quid ab eo injuriæ ac-cepiſti, qui corpus ejus nullis ornamentis de-corari ſinas? non patiaris ſponſam adornari?

Atque intellige quid pœnarum inimicis tuis des, qui eos oblectes, cum ipſum, qui gloria præditus eſt, cui vis invidendo gravem dolorem inurere, majori voluptate cumulas; magis oſtendis invidendo, eum ſpectatum probatumque eſſe. Non enim invideres. Itaque de te pœnas ſumis.

At pudet me hæc argumenta ad hortandum afferre. Sed quoniam, adeo imbecilli ſumus, his rationibus eruditi, tam exitiabile vitium deponamus. Doles eum gloriam eſſe conſecutum? hanc igitur gloriam cur invidendo auges? Vis eum ulciſci? cur dolorem prætefers? cur in ejus conſpectu pœnas à te expetis, cujus gloriam delere cogitas? duplex jam ejus voluptas futura eſt, duplex tua pœna: non ſolum quod dolore tuo ſignificas amplum eum eſſe, ſed quod etiam pœnas ultro dando, voluptatem novam fers.

Vides ne ut graves nobis ipſi plagas imponamus, nec tamen ſentiamus? inimicus eſt. Cur quæſo, inimicus? quid injuriæ fecit? tamen inimico ſplendorem addimus, & in nos vindicamus. Quare deſine invidere, deſine ſponte tua vulnus accipere. Hæc quæſo cogitemus, duplices coronas livore carentium, laudes ab hominibus, laudes ab ipſo Deo. In mentem veniat, ex invidentia quæ mala naſcantur. Ita poterimus hanc tetram feram conficere, atque extinguere, apud Deum in gratia & laude eſſe, & idem, quod illi, qui gloria ornantur, prœmium adipiſci.

## SERMO VII.

***In illud ad Timotheum 6.*** Qui ſub jugo ſunt ſervi.
*Vt ſerviendum ſit Deo.*

SI ſervis Paulus imperavit, ut tantam aſſiduitatem, diligentiam, ſtudium erga dominos adhiberent. Cogitate quæſo, qua nos in Dominum voluntate eſſe oporteat, qui nos,

cum nihil eſſemus, in rerum naturam edi voluit, qui nos alit, qui veſtit, qui omnibus commodis & beneficiis auget. Quod ſi nulla alia ratione, certe ita, ut domeſtici nobis, ei ſerviamus. Nonne omnem illi vitam ſuam hac in cura & cogitatione conſumunt, ut dominis ſuis otium & quietem præbeant? hoc habent negotii: hæc illorum vita eſt, ut dominorum ſalutem, exiſtimationem, fortunas omni ſtudio diligentiaque tueantur. An non de dominicis negotiis totos dies ſollicìti ſunt? exiguam veſperæ partem in rebus ſuis ponunt?

At nos contra facimus, qui noſtra perpetuo, res Domini exiguam temporis partem curemus: cum ille rerum noſtrarum non indigeat, ut Domini ſervorum, cum potius ea opera, quæ illi præſtamus, in noſtrum commodum utilitatemque procedat. Illic enim ſervi miniſterium & officium domino prodeſt; hîc verò cura, aſſiduitas, diligentia ſervi nihil Dominum, ſervum multum adjuvat. *Bonorum* enim *meorum*, inquit, *non eges.* Quid enim quæſo lucri & commodi ad Deum redit ſi ego bonus, integer, juſtus fuero? quid detrimenti, ſi ſceleratus? an non illa natura æterna eſt? an non inviolabilis? ſervi nihil ſui & proprii habent, ſed dominorum omnia, tametſi ingentes divitias, infinitamque pecuniarum vim compararint: nos multas res proprias poſſidemus, nec ſine magno fructu tantis ab univerſitatis hujus Rege beneficiis ſumus affecti.

Quis unquam Dominus pro ſervi capite ad pœnam filium ſuppoſuit? nonne potius pro ſuis quiſque filiis ſervos tradat? At hic contrà

omninò ſe res habet. *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus*, inquam, inimicis, pro his, *qui eum oderant.* Servis, ſi quid gravius imperetur, ſi quid oneris, atque officii paullo acerbius imponatur, non moleſte ferunt, præſertim ſi æqui & boni ſint: nos verò ſæpiſſime inviti & indigne ferimus.

Servis nihil tale dominus pollicetur, quale nobis Deus. Libertatem interdùm promittit, quæ duriore etiam conditione ſit, quam ipſa ſervitus. Nonnunquam enim premente & affligente fame, libertas ſervitute fuit acerbior. Atqui hoc præmium eſt, hoc beneficium maximum. Apud Deum autem nihil caducum, nihil fluxum, nihil unquam interiturum eſt, quid enim? *Non dico vos ſervos*, inquit, *vos amici mei eſtis.*

Cur non tandem pudore, cur non metu ad officium adducimur? ita certe, ut ſervi noſtri nobis ſerviunt, Domino ſerviamus: vel potius ex minima parte, quam nobis ſerviunt ſervitutem, imitemur. Illos neceſſitas philoſophari cogit: veſte & alimentis contenti ſunt: nos delicias, voluptatem, luxuriam undique conſectamur.

Si nuſquam aliunde, ab illis quidem certe philoſophandi diſciplinam, ac præcepta petamus. Novit enim ſcriptura non ſolum ad ſervos, ſed ad animantia etiam rationis expertia diſciplinæ cauſſa homines mittere: ut cum apes, cum formicas imitari jubet. At ego vel ad ſervos imitandos vos hortor. Quæ illi metu noſtri faciunt, ea Dei metu nos quoque faciamus; illi noſtro timore ſexcentas contumelias ferunt; & magis, quam quiſquam philoſophus taciti conſiſtunt. Vel jure vel injuriâ mi-

ſerias, labores, incommoda ſubeunt, nihil repugnantes, ſed eos, qui cum illis acerbe & inclementer agunt, orantes, iracundiamque ac ſævitiam deprecantes, cum nihil incuriæ ſæpe faciant, cum nihil amplius, quam uſus poſtulat à dominis ſumant, interdum etiam multo minus, tamen contenti ſunt, in vili atque humili lecto dormiunt, ſolo pane ſe explent, reliquum victum & cultum admodum tenuem habent: nec tamen expoſtulant quicquam, & vi, terrore, imperio coacti nihil ſuccenſent. Si quid pecuniarum iis credatur, omnia cum fide reddunt. Neque enim hoc loco de nequam & improbis ſervis commemoro, ſed de his qui non valde mali ſint. Si quid minitemur ſtatim timidi ſeſe contrahunt.

Nonne hæc vobis ſapientiæ eſſe videntur? Nam cur dicas neceſſitatem illis eſſe impoſitam? etenim gehennæ neceſſitas & metus tibi quoque impendet: nec iccirco ad frugem & ſanitatem redis, neque tantum honoris habes Deo, quantum à ſervis tibi tribuitur: perraro videas, ſervum ſervo quicquam eripere, aut cum dicto, facto lædere. At apud liberos homines his contraria omnia committuntur. Alii alios mordemus, exedimus, Dominum nihil metuimus, conſervorum res diripimus, furamur, vel Domino inſpectante cædimus ac pulſamus. Hoc ſervus minime faciat: ſi quem forte verberet, imprudente certe nec vidente hero: ſi quid convitii faciat, non audiente, Nos vero & vidente & audiente Deo, nihil non audemus. Dominorum metus illorum oculis ſemper obverſatur: Nos Dei metus à nequitia, libidine, audacia, ſcelere non abducit.

Quamobrem omnia ſuſque deque habentur: rerum omnium perturbatio ſumma eſt & corruptela, ac nobis ne noſtra quidem peccata in mentem veniunt: in ſervorum autem noſtrorum, vel leviſſima delicta ſevere atque immiſericorditer animadvertimus.

Hæc ego apud vos diſſero, non ut ſervos negligentes & diſſolutos efficiam, ſed ut oſcitantiam vobis ac veternum excutiam, ut ignavos excitem: ut Deo ſic quidem ſerviamus, ut nobis ſervi noſtri: ei, qui nos fecit & condidit, ut nobis qui ejuſdem naturæ ſocietate conjuncti ſunt. Hi enim ſunt quoque naturæ liberi: his etenim in animantia omnia poteſtas imperiumque permiſſum eſt, non eſt hæc ſervitus à natura profecta, ſed aut fraude & circumventione potentium hominum. Hi tamen nobis honorem multum habent: at nos iis quidem ſumma diligentia, & ſeveritate imminemus, idque commodi noſtri cauſſa. Deo vero ne minimam quidem honoris partem habemus, cum tamen noſtrorum in eum officiorum ad nos reditura ſit utilitas. Quanto enim ſtudioſius Deo ſervierimus, tanto majores uberioreſque fructus ſumus percepturi.

Quamobrem committendum non eſt, ut nos tantis bonis & commodis ſponte noſtra privemus. Deus enim ſeipſo contentus eſt, nullius rei indiget: quæſtus verò; præmiumque laborum noſtrorum ad nos revertitur. Sic igitur affecti ſimus, quaſi non Deum ſed nos ipſos colamus, eique ſerviamus cum timore ac tremore, ut promiſſa bona per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum conſequamur.

## SERMO VIII.

*Suâ quemque ſorte contentum eſſe debere : nullamque vitæ rationem doloris eſſe expertem. Qui dolor ſit laudabilis. Aliena vitia corrigenda. De eleemoſyna.*

CUm fieri non poſſe intelligamus, ut quiſquam omni dolore & moleſtia vacuus reperiatur, ſed alius leviores, majores alius dolendi cauſſas habeat : deſpondere animum non debemus, neque exiſtimare nos ſolos in dolore ac miſeriis eſſe. Neque enim homo, qui hanc caducam & fluxam vitam degat, malis atque incommodis prorsùs carere poteſt. Nam iis ſi hodiernus dies eſt vacuus, craſtinus abundabit : ſi minus, poſtera quidem dies aliquam doloris materiam afferet. Quemadmodum enim qui navigant, omni tempeſtatis metu ſoluti eſſe non poſſunt, ita qui hanc vitam vivit, timore & ſollicitudine perpetuò non poteſt vacare.

Divites multas cupiditatum occaſiones habent. Imperator ipſe in multorum eſt poteſtate, nec omnia ex ſententia gerit, ſed præter judicium & voluntatem ſuam multis multa concedat neceſſe eſt. Atque ille omnium maxime non omnia, quæ vult aſſequitur, & facit. Quamobrem? quod multa plerique velint ab illo ſumere, quanto autem in dolore eſt, cum id quod velit, minime faciat, metu, ſuſpicione, propter hoſtes, propter amicos. Ac ſæpenumero, ſi quid arbitratu ſurgere conſenſerit rei bene [illegible] ac voluptas omnis extin-

guitur, cum ob eam cauſſam in multorum odium, & offenſionem ei ſit incurrendum.

Quid verò? exiſtimas ne eos, qui à rebus gerendis ſeſe removerunt, nullo in vita dolore impediri? non eſt ita. Mortalium enim vita à dolore ſejungi non poteſt. Quantam negotiorum molem eos ſuſtinere par eſt, quas moleſtias habere, quæ oratione exprimi non poſſunt, reipſa illi experiuntur? quam multi in illis divitiis ac deliciis millies mori peroptarunt? neque enim deliciæ faciunt, ut extrà dolorem vivamus. Immo ſexcentos dolores, morbos, ſollicitudines afferunt: cum etiam ſæpe nulla cauſſa ſubſit. Animus enim ita affectus, ſolet plerumque nullam ob rem & temere dolere: ac medici diſputant pro ſtomachi ſtatu intempeſtivos dolores exoriri.

Nonne & hoc nobis plerumque uſu venit, ut & doleamus, & doloris argumentum minime cognoſcamus? propria autem mala magis, quam aliena, nobis dolent. Ut enim qui ex aliqua corporis parte laborant, ad vicinas partes nihil doloris poſſe venire arbitrantur: ut in valetudine oculorum, nullum aliud malum cum illo comparant: ſtomachi laborem omnium acerbiſſimum & graviſſimum putant eſſe: ita quem quiſque in animo doloris ſenſum habet, eo nihil intolerabilius eſſe judicat, id enim ex proprio periculo decernit.

Qui nullos ſuſcepit liberos orbitatem in ſummis malis ducit: qui ſuſtulit multos adjuncta paupertate, nihil æque ac multitudinem liberorum accuſat. Qui unicum habet filium, nihil miſerius eſſe cenſet, quam unum habere. Hic enim, inquit, nequam, & ignavus efficitur, patri ſæpe dolori eſt, quod ob

charitatem & deſiderium curari, ut oportet minime poſſit.

Qui pulchram uxorem habet id pro maximo malo putat: ſuſpicionum enim & inſidiarum plenum illud eſt negotium: qui deformem injucunditatem illam & moleſtiam perferre non poteſt. Privatus & idiota nihil inutilius, nihil abjectius eſſe eâ vitâ cenſet. Miles nihil laborioſius militiâ, nihil periculoſius: ſatius enim eſſe pane ſolo & aqua uti, quam tot negocia, onera, incommodaque ſuſtinere. Qui in magiſtratu eſt, intolerandi laboris eſſe putat, aliorum neceſſitatibus & temporibus inſervire. Qui paret, ſervilem conditionem ſe ſubjiſſe conqueritur, qui alienæ poteſtati ſubjectus ſit. Qui uxorem duxit, nihil miſerius eſſe ſtatuit cura uxoria. Qui non duxit, nihil illiberalius eſſe, quam cœlibatum colere, & domo ſe ac quiete privare. Mercator agricolæ laudat otium: mercatoris divitias agricola.

Omnino moroſum eſt ac difficile genus humanum, querulum, angorique imprimis deditum laborioſum eſt hoc animal, & plane miſerum. Quam multi ſenectutem mirantur? quam multi adoleſcentiam beatam ducant? ita multus eſt in ipſis ætatibus mœror. Cum ætatem noſtram videmus accuſari, tarditatem ſenectutis querimur: cum albeſcit caput, rurſum, quo flos juventutis abiit? ſexcentas denique dolendi cauſſas habemus. Una modo via eſt ad hujus depulſionem inconſtantia, quæ ad virtutem ducit, ac ipſa quoque dolorem habet, ſed eum, qui utilitate & fructu non careat. Aut enim perculſi dolore peccata noſtra abluimus, aut lapſum fratrem ſocietate do-

loris ſublevamus, & egregiam ea re mercedem conſequimur. Qui enim calamitatum & dolorum alienorum ſe ſocios adjungunt, magnam apud Deum ſibi comparant libertatem. Audi, quid de Job philoſophentur divinæ literæ: audi quid Paulus ipſe dicat. *Flere cum flentibus.* Onus enim doloris ſocietate fit levius: ut reliqua item onera communicando ſublevantur.

Nunc vero ſi quis propinquus ſit mortuus, ſunt qui aſſiduitate & conſolatione dolorem leniant, lapſum aſinum ſæpe erigimus: fratrum autem noſtrorum labantes animos negligimus, atque prætẹrimus: ſi quem videamus ganeum turpiter ineuntem non revocamus: ſi quem ebrium, non prohibemus: ſæpe etiam nequitiam aliorum & intemperantiam adjuvamus. Ac propterea dicebat Paulus, *Non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus.* Compotationum & ebrietatis ſocietates plerumque coëuntur: ſocietatem contrahe potius, ut ebrietatis inſania deponatur. Hæc eſt invictos benignitas & humanitas conferenda, in calamitoſos ac egentes, atque aliquid hujuſmodi Corinthiis Paulus imperavit.

Jam vero ad ebrietatem, ad delicias ad luxuriam: communes lecti ſunt, communis menſa, vinum commune, communis ſumptus, eleemoſynam nemo communem fecit. Hæc erat apoſtoli eorum temporum liberalitas, omnia in medium bona conferebant, ego verò non omnia jubeo, ſed partem aliquam. Fac tibi debitorem Deum, & quidvis eum poſce, primum fœnera, deinde repete, ut cum uſuris recipias: tende manus tuas non ſolum in cœlum, ſed etiam in pauperum ma-

nus, ſi eo manum porrexeris, verticem cœli tanges; nam qui ibi ſedet, eleemoſynam accipit. Si manus infructuoſas ſuſtuleris, nihil fructus capies. Cedo enim: ſi quis quid imperator in purpura à te flagitaret, nonne parato animo ac ſtudio omnia tua dares? in pauperes igitur manus intendamus, & à Domino vel demiſſis manibus, vel taciti & nihil requirentes audiemur, ac promiſſa bona tandem conſequemur.

---

## SERMO IX.

*Bonos incommoda ſuſtinere. Præmium vitæ æternæ expectandum. De eleemoſyna.*

SI quid nobis magnum & amplum ſuſcipiendum ac gerendum ſit, hoc cogitare non debemus; multum id laboris habere, ſed fructum ac quæſtum reſpicere oportet. Vides enim Paulum non idcircò cunctari, non tergiverſari, quòd adverſarios multos habeat, ſed quoniam magnæ ei patefactæ eſſent fores, permanere, atque opus urgere. Illud enim ſignum erat denudari diabolum, neque enim contigit, ut qui ſive quid piam & exiguum geſſerit, importunam illam feram irritat. Quam cum videris, ſanctum & religioſum hominem magnas res gerere, ac ſimul permulta incommoda ſuſtinere, noli admirari, mirandum enim eſſet ſi diabolus, cum multas acciperet plagas, quieſceret, & placide vulnera perferret. Nec verò mirum eſt, ſerpentem, qui aſſidue pungatur, efferrari & in eum qui ſe pupurgerit inſilire. Nam Diabolus

quovis ſerpente infeſtior ſerpit & ſublato more ſcorpii, ſtimulo, impetum facit. Quod nos perturbare minime debet. Neceſſe eſt enim, eum, qui à bello & cæde victor redeat cruentum eſſe, vulnera habere.

Tu itaque ſi quempiam videris ſua in egentes liberaliter conferentem, & pleraque alia facta egregie perpetrantem, eaque re perfringentem Diaboli vim atque potentiam, pericula incommodaque ſubire, ne id te perturbet. Iccircò enim in eum illa inciderunt, quod vehementem diabolo plagam inflixerit.

At quo pacto id permiſit Deus? ut glorioſius coronetur & graviorem plagam ille accipiat. Cum enim poſt præclara facinora malis afflictus Deo agit gratias, vulneratur Diabolus: magnum ſane eſt, proſpero ac ſecundo rerum curſu, officio non deſiſtere, virtutem obtinere; at longe præſtantius, malis & difficultatibus affectum, in virtute perſeverare. Hic enim eſt, qui propter Deum hoc maxime faciat.

Quamobrem ſive ſint adeunda pericula, ſive alia mala perpetienda, virtutis labores majori ſunt alacritate ſubeundi. Non enim præmiorum hoc tempus eſt, nec debemus hic coronas poſcere, ne coronarum tempore præmia noſtra minuamus. Vt enim in opificibus, qui in opere faciendo ſe ipſos alunt, plus mercedis capiunt, qui vero ab iis qui ſe conduxerint, aluntur, non exiguam partem mercedis præcidunt: idem in bonis & ſanctis viris, cujus plurima ſunt & egregia facta conjuncta cum incommodis ac miſeriis, mercedem habet integram & præmium longe uberius, non ... m meritis debitum, ſed cum iis etiam

malis, quæ perpeſſus eſt, compenſatum: at qui hic rebus ſecundis deliciiſque utitur, minus illuſtres & ſplendidas coronas illic capit.

Ne igitur hic præmia quæramus, tumque potiſſimum lætemur, cum in innocentia, atque integritate incommoda capimus. Non enim benefactorum modo, ſed etiam calamitatum & miſeriarum præmia Deus illic reſervat.

Atque ut id, quod dico, fiat apertius, duos ponamus eſſe divites miſericordiæ ac beneficentiæ laude præſtantes, qui pauperibus copias ſuas impartiant. Eorum alter in divitiarum abundantia ventos ſecundos habeat, alter in paupertatem, morbum, calamitates incidat, gratiamque Deo habeat. Horum igitur, cum è vita migrarint, uberiorem mercedem uter capiet? an non is, qui ærumnis, & morbis affligitur? nam cum & innocenter vivat, & malis incommodiſque conflictetur; nihil rerum humanarum eum commovet. Hic enim immota ſtatua eſt, hic adamantinus, hic potius, æquus, & bonus ſervus.

Quod ſi non regni æterni ſpe, virtutum officiis defungendum eſt, ſed ut voluntatis divinæ, quæ cujus regno antecellit pareamus: qua pœna dignus eſt, qui in capeſſenda virtute, iccircò diſſolutus eſt & ignavus, quod hac juncta, mercedem non capiat?

Quare ne perturbemur, cum videamus eum, qui & viduas vocet & hoſpitio liberaliter invitat, vel ædes incenſas perdidiſſe, vel aliud quodvis incommodum accepiſſe: hanc enim ob cauſſam merces ei dabitur. Neque enim Job ipſe propter liberalitatem, miſericor-

diam, beneficentiam, virtutis ſuæ admirationem tam commovet, quam quòd poſtea miſeriis & malis eſt affectus. Amici verò ejus propterea contemnuntur, abjiciuntur, nullo loco habentur, quòd repræſentare ſibi præmia poſtulabant, quod præmiorum æſtimatione juſtum & innocentem virum condemnbant.

Non igitur optandum nobis eſt, ut meritis noſtris hac in vita gratia referatur: ſponte potius pauperes & mendici eſſe debemus. Extremæ enim miſeriæ eſt, cœlo propoſito, & iis bonis quæ cœlum ſuperant, humana reſpicere. Quamobrem ſi quid nobis improviſi forte objiciatur, Deo affixi ſimus, beati Pauli monitis obſequamur.

Atque in primis domi noſtræ pauperum arculam ſtatuamus, ibi poſita ſit arcula, ubi precaturus es. Quoties oratum is, ſtipem depone pauperibus, deinde vota nuncupato. Ac quemadmodum illotis manibus nunquam orationis religionem ſuſcipis; ita nec munere vacuæ manus in cœlum tendendæ ſunt: nec enim levius ducendum eſt, ad lectum eleemoſynam collocari, quam evangelium dependere. Nam evangelium ſi ſuſpendas, ignavus atque otioſus, nihil utilitatis inde capies: hanc vero arculam ſi habueris, adverſus Diabolum arma comparas, alas orationi adjungis, ſanctam domum & inviolatam efficis, qui imperatoris alimenta intùs repoſita habeas. Hæc etiam arcula ad lectum ideo ſit poſita ut horribili tetraque ſpecie nox vacare poſſit; modo nihil injuriâ & fraude partum eo conjiciatur. Nunquam enim ex inhumanitate & crudelitate eleemoſyna efferre ſe poteſt, ac fructum edere.

Vultis ne etiam ediſſeram, quam condendæ ſtipis nanciſcamini facultatem? ut id vectigal facile vobis & proclive ſit? Quivis opifex, ſutor, coriarius, faber, alio artificio præditus, cum quid de arte vendiderit, primitias accepti precii Deo conſecret; exiguam particulam eo dejiciat, pauxillum aliquid impertiat Deo. Nec verò magnum quid ego poſco quantum Judæorum gens, veri ignara, multis obſtricta ſceleribus, tantum, nos quibus poſſeſſio cœli in expectatione eſt, ſponte dependamus.

Hæc autem non ita ſancio, quaſi plus prohibeam, ſed id peto, ut ne decima parte minus perſolvatis. Atque hæc ratio non in vendendo ſolum, ſed etiam in emendo ſervanda eſt. Qui poſſident agros, percipiendis fructibus huic legi pareant. Item omnes, qui vitæ colendæ tuendæque cauſſa, ſine cujuſquam injuria quæſtum faciunt. Neque enim mihi cum illis ratio eſt, qui per ſummum ſcelus uſuras efflagitant: nec cum militibus, qui alios expilant, qui calamitates alienas turpiſſimæ nundinationi & quæſtui habent. Nihil enim inde percipere vult Deus.

Ad illos hæc dico, qui copias domeſticas juſto labore colligunt, atque augent. Nam ſi ad hanc conſuetudinem nos adduxerimus, teſtis conſcientia poſtea ſtimulabit, ſi quando ab hac lege per inertiam receſſerimus. Cæterum hoc negocium grave non ducemus, ad majora paulatim veniemus, & pecuniæ deſpicientiam meditati, omniumque malorum convulſa radice, tranquillo & queto animo vitam traducemus, ſempiternamque gloriam tandem adipiſcemur.

## SERMO X.

### *Militiam hanc vitam eſſe, divitias & contemnendas.*

TOtum vitæ noſtræ tempus militia eſt: imminet nobis *Diabolus: tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret:* graviſſima vitia nos adoriuntur: quæ hoc loco, ne fruſtra nos ipſos fallamus, commemoranda ſunt. Quæ enim res eſt, quæ nobis bellum non faciat? divitiæ, deliciæ, pulchritudo, potentia, licentia, invidia, gloria, dementia. Neque enim ſolum gloria noſtra nos oppugnat, ad humilitatem prohibens deſcendere, ſed aliorum etiam, nos ad invidiam & livorem incitans. Quid his contrariæ res? paupertas, ignominia, nihil omnino poſſe, contemptum eſſe & abjectum. Hæc in nobis ſunt. Quæ autem ab hominibus? improbitates, inſidiæ, fraudes, calumniæ, ſexcentæ circumventiones.

Jam quid à dæmonibus contra nos eſt? Principatus, Poteſtates, mundi Rectores tenebrarum ſæculi hujus: Spirituales nequitiæ: alii ſumus in gaudio, alii in dolore. Horum autem utrumque à recta ratione declinat. Modo valetudo ſecunda eſt, modo adverſa. An non undique peccandi cauſſa eſt?

Vultiſne me ab Adamo exorſum ab ipſo principio rem vobis explicare? Qua re Protoplaſtus captus eſt? ciborum voluptate, cupiditate imperii. Qua re ejus filius? invidentia

ætatis. Noë quidnam delinivit? corporum voluptates, & ex iis mala orta. Filium ejus quid in fraudem impulit? contumelia & licentia. Quid Sodomitas? potervia, laſcivia, ſatietas panum. Sæpe etiam paupertas idem facit ac propterea ſapiens dicebat, *Divitias & paupertatem ne dederis mihi.* Vel potius nec paupertas, nec divitiæ: ſed voluntas hominum, quæ his recte uti neſciat.

Nobis non imminet carnifex, qui latus fodiat, qui ſacrificare compellat: at inexplebilis pecuniarum cupiditas urget, inſana avaritia, quæ vel oculos nobis effodiat. Nullus miles pyram nobis ſuccendit, non in craticule collocat, at ingens corporum ardor animum incendit. Non adeſt Rex, qui ſexcenta bona pollicitetur, qui præmiorum & donorum ſpe commoveat: at inſania gloriæ præco eſt, quæ deterius quam ille titillet.

Magnum hoc revera bellum eſt: ſi ſapimus, coronas ſuas habent hæc tempora. Audi dicentem Paulum. *De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Cum unicum filium & carum amiſeris, qui in magnis divitiis ac deliciis educaretur, qui ſpe bona præditus, futurus tibi erat hæres: noli ingemiſcere: eum affice gloria, qui filium tuum receperit, nihilo Abrahamo eris inferior. Ut enim ille Deo juſſus dedit: ſic tu, tuum recipiente Deo, nihil ingemuiſti. In gravem ille morbum incidit: multi præſto ſunt, qui te cogant alii incantationibus, alii ſuſpenſis, alii alia ratione malum hoc conſolari. Metu Dei fortiter & conſtanter tuliſti, ac quidvis perpeti maluiſti,

quam quicquam idolicum in ſte admittere. Hoc tibi martyrii palmam affert ne dubita.

Vt autem id, & quomodo fiat, ego aperiam: ut martyr fortiter cruciatuum dolores perfert, ne idolum adoret: ita tu ex eo caſu magnos dolores conſtanti animo ſuſtines: quod ſi illi vehementiores ſunt, hi certe longiores, ut par momentum ſit. Quid enim cum intus ardens moleſtaque febris ſuccenſa eſt, tu verò contrà eorum, qui adſunt authoritatem atque voluntatem incantationes repudias, an non martyrii corona tempora revinxiſti?

Pecunias item aliquis amiſit. Multi authores ſunt, ut ariolos conſulas: & divini judicii metu (quoniam id vetitum eſt) mavis pecuniam non recuperare, quam Dei præceptis non parere. Parem habes mercedem, atque is qui in pauperes ſua erogavit, ſi perditis rebus Deo gratias agas, ſi, cum divinos adire poſſis, damnum facere malis, quam eo modo recipere: ut enim ille metu Dei adductus, bona ſua egentibus impertivit, ita tu ablata atque erepta, quo minus reciperes, legum divinarum timor impedivit. In noſtra poteſtate eſt injuriam vel accipere, vel defendere.

Quod ſi ita libet, in furto rem ſane expendamus. Parietem tuum reſcidit fur: thalamum ingreſſus eſt; ſuppellectilem magni pretii abſtulit, ſurripuit gemmas & margaritas, quæcumque potuit, compilavit: nec deprehenſus eſt. Grave facinus, damnum eſſe videtur, nec dum tamen eſt. Verum in te ſitum, id fraudi tibi, an quæſtui ſit. Quo pacto, inquis, id lucro eſſe queat? id ego conabor demonſtrare. Qui tandem? multum ſi ita in animum inducas, lucrifeceris: ſi alio eris ani-

mo, detrimentum gravius fiet. In ipſis artificibus propoſita materia peritus artis, ut oportet utitur: imperitus corrumpit, & in damnum vertit. Qua igitur ratione lucrũ inde fiet? ſi Deo gratias agas, ſi non ingemiſcas, ſi dicas exemplo Job, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: nudus egreſſus ſum de ventre matris meae nudus & revertar illuc.*

Quid ais? idne abſtulit Dominus? id quæſo ne mireris. Job enim quæ abſtulerat Diabolus: ea Dominum dixit abſtuliſſe. Quo pacto, quæ fur eripuit, à Domino ablata dicam? ne dicas, non habeo gratiam: Illud meæ ſententiæ negotium non fuit: fur cepit imprudente ac nolente me quæ merces futura eſt. Ipſo Job quoque inſciente, ipſo nolente, ingens jactura facta, at forti animo tulit. In te verò ſitum eſt, tantam mercedem accipere, quantam ſi ſponte abjeciſſes. Eum enim magis admiramur, qui fraudem & injuriam grato animo ferat quam qui ultrò ſua largiatur. Cur tandem? laudibus ille & recte facti conſcientia ſuſtentatur: bona ſpe erigitur, cumque antea pecuniarum amiſſionem leviter tuliſſet, eas abjecit. Hic fortunis omnibus, cum iis etiam aſtrictus & affixus eſſet, everſus eſt.

Nec vero eſt ſimile, perſuadere ſibi, pecunias amittendas eſſe, atque ita eas exhaurire, & his privari eum, qui habendi cupiditate teneatur. Si illo ſermone utaris, multis partibus plura recipies, plura, quam ipſe Job. Ille enim duplicia hîc recepit, tibi verò centuplum Chriſtus eſt pollicitus. Metu Dei adductus nihil convitii, nihil maledicti emiſiſti, vatibus non es uſus, injuria affectus egiſti

ſti gratias : ſimilis es ei, qui illa contempſit. Hoc enim fieri non poteſt, niſi pro nihilo prius habueris. Intereſt autem, utrum quis perdiu contemptum pecuniarum meditetur, an reſpectivum damnum patienter ferat. Ita detrimentum in lucrum convertitur; ita nihil incommodi capies, immo etiam aliquid commodi ab adverſario.

Quo pacto autem, grave detrimentum fit cum animo infertur. Quid enim? pecunia magna te privavit fur : tu ſponte tua ſalutem amittis. Quid ita? quòd ob ea incommoda doleas, quæ ab aliis accepiſti, in majora mala te ipſe conjicis. Ille fortaſſe in paupertatem te redegit, ille iis privavit, quæ extra te eſſent, quæ poſteà vel invitus amiſſurus eras, tu æternas tibi divitias eripis. Dolorem tibi dedit Diabolus ablatis divitiis? tu item dolorem ei dato. Cave eum oblectes. Si divinos adeas; oblectabis : ſi Deo gratias agas, opportunum ei vulnus impones.

Ac vide quid eveniat. Nec tua reperies vatibus conſultis. Neque enim quicquam certi ſciunt : quod ſi quid forte exploratum dixerint, & animam ipſe perdis & à fratribus derideberis, & bona tua iterum male perdes. Cum enim dæmon intelligat, te damnum non ferre, pecuniæ gratia à Deo deficere, copias & opes rurſus largietur, ut decipiendi tui, & abducendi à Deo occaſionem nanciſcatur. Ac ſi quid judicii ab ariolis fiat, id ne miremini. Dæmon enim corporis expers eſt, omnia peragrat, fures ipſos armat. Neque enim hæc ſine dæmone committuntur.

Nec vero mirandum eſt ſi, cum te intelligat incommodo dolere, aliud incommodum

objicit: ſi te deridere & contemnere ſenſerit, hac via deſiſtet. Ut enim inimicos noſtros iis rebus afficimus, quæ dolorem inurant; at cum dolore omni vacare ſentimus, ac nulla remorderi, deſiſtimus: ita Diabolus nobiſcũ agit.

An non vides eos, qui navigant, de pecuniis nonnunquam minimum laborare? exorta tempeſtate res ſuas ejicere? Quid tibi quæſo eſt? tu tempeſtatem & naufragium adjuvas? priuſquam tibi divitias fluctus eripiant, manu ipſe diſſipas? quid naufragium ſuſcipis ante fractam navim? Verum hæc ruſticus quidam atque imperitus rerum, & maritimorum periculorum expers dicat. Qui verò rei navalis peritus ſit, quique intelligat, quid tranquillitatem efficiat, quid tempeſtatem, eum, qui ita loquatur, irridebit. Idcircò enim abjicio, inquiet, ne fluctibus navis obruatur: ita qui prudentiam habet rerum humanarum & periculorum hujus vitæ, cum tempeſtatem viderit imminere, cum animadvertit, ſpiritualia nequitiæ moliri naufragium, pecuniarum reliquias ſponte abjicit.

Furtum tibi factum eſt. Fac tu eleemoſynam: navigium hac ratione ſublevabis. Prædones aliquid rapuerunt? da Chriſto reliquias. Sic enim poteris inopiam, quæ ex iis incommodis orta eſt, conſolari: levationi navis tibi eſt conſulendum. Cave quæ ſuperarunt, ipſe retineas: neſcapha fluctibus opprimatur. Illi ut corpora ſervent, mercium & inſtrumenti nautici jacturam faciunt, neque expectant, ut navis undarũ mole ſubvertatur. Tu, ut animarũ ſaluti conſulas, naufragio non ſuccurres?

Si parum fidei mihi habetis, facite quæſo, periculum. Tum gloria Dei quanta ſit, co-

gnoſcetis. Si quid tibi moleſti, & adverſi contigerit, omni benignitate, & liberalitate pauperes complectere. Ob eum caſum Deo age gratias. Videbis leve incommodum quanta voluptas excipiat. Quod enim lucri facit animus, quamvis ſit exiguum, tantum ponderis habet, ut eo omnia vitæ damna facile ſarciantur. Quamdiu Chriſto largiri quid potes, locupletem, & copioſum eſſe te ducito.

## SERMO XI.

### *De Humilitate.*

SI Paulum non puduit, Oneſimum ſervum in filii ac fratris loco ducere, cur quæſo nos pudeat? ſed quid Paulum dico? ipſum Pauli Dominum non puduit, ſervos noſtros fratres ſuos dicere: nos qua ratione id pudebit? videſne quanto nos honore afficiat? ſervos noſtros fratres ſuos appellat, amicos, cohæredes In quo ipſe deſcendit. Quid igitur nobis faciendum eſt ut officium noſtrum expleamus? non omninò certe muneri debito ſatisfacere poſſumus: ſed quemcumque humilitatis gradum attigerimus, ab ſummo longe aberimus. Quid enim quæſo? tu in conſervum tuum liberalis es? at Dominus tuus ſervos ſuos maximis beneficiis affecit. Audi, exhorreſce, nec ob humilitatem unquam extollaris.

Dictum hoc fortaſſe ridetis, humilitate homines inflari. At nolite mirari: effert enim, ſi minime vera ſit. Quonam tandem modo? hoc enim diabolicum eſt. Nam quemadmodum multi gloriam minime conſectando, au-

cupantur: ita ſe demittendo, efferunt, quod ſibi aliquid ea re tribuant. Venit ad te frater, aut etiam domeſticus tuus. Eum recepiſti, laviſti pedes. Statim animos ſuſtuliſti: feci, quod nemo alius: humilitatem ſum aſſecutus.

Vnde igitur poſſit quis in humilitate permanere? ſi hoc præceptum Chriſti meminerit: *cum omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus:* & orbis terræ magiſtrum ita loquentem audierit, ego me non puto comprehendiſſe. Qui ſibi perſuaſit, nihil ſe egregii & ampli rectè feciſſe, qui ſe nondum finem aſſecutum putat, hujus ſolius demiſſi ſunt animi. Multi contra ex humilitate, animo ſublato fuerunt.

Id ergo caveamus. Humile aliquid, & vile feciſti: noli magnos icircò ſpiritus ſumere. Summam enim officii tui perdideris. Hujuſmodi Phariſæus fuit; inflatior propterea factus eſt, quòd decimas pauperibus daret, eamque ob rem benignitatis ſuæ fructum, & mercedem amiſit. A quo multum abfuit publicanus. Audi item Paulum dicentem. *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Vides cum ſe non extuliſſe, ſed omni ratione contraxiſſe, atque abjeciſſe; idque, cum ad ſummum faſtigium ipſe perveniſſet.

Ac pueri quidem tres cum in flamma & medio camino eſſent quid dicebant? *Peccavimus, inique egimus una cum patribus noſtris.* Hoc eſt, cor contritum habere: ac propterea dicere poterant, *ſed in corde contrito, & ſpiritu humiliationis accipiamur.* Hac ratione cum in caminum conjecti eſſent, animo fractiore ac demiſſiore erant, quam ante periculum. Poſtquam enim id miraculum animadverterunt, cumque ſeſe ſalute indignos judicarent,

ad omnem humilitatem deſcenderunt. Cum enim nobis perſuaſum fuerit, maximis nos beneficiis nullo merito eſſe affectos, tùm maxime animum dejicimus. Tametſi quid illi beneficii præter meritum acceperant? ſe ſe dediderant in caminum, ob aliena peccata & ſcelera captivi abducti fuerant. Nam adoleſcentuli etiam tum erant: nec tamen conqueſti, vel ira accenſi ſunt, nec dixerant. Quid ne boni habemus, quod ſervimus Deo? Hic ſceleratus & impius, Dominus noſter factus eſt, quid Dei cultus & adoratio nobis profuit? cum idololatris ab idolorum cultore pœna afficimur: in hoſtium poteſtatem pervenimus: patriam, libertatem amiſimus: fortunis omnibus everſi, captivi & ſervi facti ſumus, externo regi ſervimus. Nihil eorum dixerunt. Quid autem? *peccavimus, iniquè egimus.* Ac ne pro ſe quidem, ſed pro aliis orant, Regi inimiciſſimo atque improbiſſimo tradidiſti nos.

Hoc bonorum & æquorum ſervorum eſt, non ſolum in beneficiis, ſed etiam in ſupplicio ac pœna omnia Domino permittere. Nam nonne abſurdum eſt, dominos ſinere qui ſervos verberent, & exiſtimare, illis parci, quod in poteſtate ſint: Deum autem minime parcere? Hoc etiam Paulus ſignificavit, cum diceret, *ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* In filios ſuos animadvertit: nemo noſtrum filiis magis paruit, quam ille, qui nos, cum nihil eſſemus, in rerum naturam adduxit, qui facit, ut ſol oriatur, qui imbres demittit, animam inſpirat, filium ſuum pro nobis tradidit.

Quare ſpiritus noſtros frangamus, atque

contundamus, adhibeamus ad omnia modeſtiam, temperemus nobis, nec verò efferendi animos eam idoneam cauſſam eſſe ducamus. Humilis ne es, atque adeò omnium mortalium humillimus? noli ideò magni te æſtimare, noli aliis exprobrare, ne gloria tua, & laus deleatur. Iccircò enim abjicis animum, ut amentia & inſania libereris.

Quid ſi eam ob rem ad vecordiam adduceris? ſatius multo eſt, humiles animos & fractos non gerere. Audi enim dicentem Paulum, *ut ſit ſupra modum peccans peccatum per mandatum:* Cum in mentem tibi venerit, propter humilitatem teipſum admirari, cogita de Domino tuo: conſidera, quo deſcenderit: tum temet miraberis, nec laudabis, deridebis potius, ac nihil feciſſe vere exiſtimabis, & omni modo debitorem eſſe. Quicquid feceris, parabolam illam recordare: *Quis ex vobis*, inquit, *habet ſervum, & ingreſſus fuerit, & dicit, recumbe? non dico vobis: Sed, ſta, & miniſtra mihi.* An ſervis noſtris gratiam habemus, quod nobis miniſtrant? at nobis Deus habet gratiam non miniſtrantibus ſibi, ſed rei & commodo noſtrò ſervientibus.

Verumtamen ne ita affecti ſimus, quaſi ille gratiam habeat: ut habeat majorem. Sed nos officio debito functos eſſe putemus. Re enim vera quicquid facimus, debemus. Si enim pecunia ſervos comparantes, eos nobis vivere æquum ducimus, & quicquid poſſident, nobis habere, quanto magis is, qui nos in hanc lucem edidit, qui poſtea pretioſo ſanguine redemit, qui tantum pretium pro nobis dependit, quantum ne pro filio quidem ſuo velit quis perſolvere, qui ſanguinem ſuum cauſſa noſtra profudit?

An igitur, ſi ſexcentas vitas habeamus, eaſque pro eo profundamus, par à nobis gratia relata fuerit? nullo modo. Quamobrem? ille non quod aliquid deberet, hoc fecit, ſed beneficii cauſſa & gratiæ. Ceterum nos ei debemus. Atque ille cum Deus eſſet, ſervus factus eſt: & cum morti non eſſet obnoxius, ſub mortem ſponte ſe ſubjunxit aſſumpto corpore: nos etſi vitam pro eo non ponamus, tamen naturæ lege ex ea poſtea decedemus. Eademque ratione ſi nihil propter eum pecuniarum largiemur, propter neceſſarium vitæ humanæ finem eas relinquemus: ſi animos ejus voluntati atque imperio minimè ſummittemus, calamitatibus, miſeriis, variis caſibus fracti tandem concident.

Vides quid gratia noſtra faciat? non hæc ejus eſt ratio, Quid magnum & amplum mihi martyres præſtant? etſi propter me mortem non oppetent, morientur omnino. Verum magnam iis habet gratiam, quod ſponte ſua vitæ finem obeant, quem poſtea communis naturæ conditio vel invitis allatura ſit. Nec verò ita loquitur, Quid tantum ij merentur, qui pecunias ſuas exhauriunt? ſi iis pepercerint, neceſſitate coacti tandem privabuntur. Immo gratiam habet, nec dubitat in conſpectu omnium confiteri, ſe dominum ſervorum benignitate & copiis ſuſtentatum eſſe. Nam ad domini laudem & gloriam pertinet, ſervos frugi habere, ab iis diligi, res eorum pro ſuis putare.

Tantam Chriſti charitatem amemus, & vereamur ne adeo ſegnes & ignavi ſimus in ſalute animarum noſtrarum: eum pro viribus diligamus, omnia ejus charitate adducti pro-

ſundamus, vitam, pecunias, gloriam, exiſtimationem, fortunas omnes noſtras: idque læto animo, ſummo ſtudio & voluntate faciamus, non ut aliquid in eum conferentes, ſed ut in nos ipſos. Hæc lex eſt verorum amicorum: beneficium ſe accipere putant, ſi quid ſit laboris & incommodi amicorum gratia ſubeundum. Hac ergo in Dominum noſtrum voluntate ſimus, ut immortalia & æterna bona his muneribus atque officiis perfuncti tandem adipiſcamur.

---

## SERMO XII.

*Vt utendum rebus humanis. Divitiarum incommoda, & rectus earum uſus.*

CHriſtiani non eſt, paupertatem fugere, mirari divitias, ſed ad hæc utenda idoneum animum comparare. Nam qui domum ædificat, non id cogitat & agit ne in eam imber delabatur, neve radius veniat: fieri enim id non poteſt, ſed ut apta ſit ad cœli vim, & incommoda perferenda. Qui fabricatur navim, nihil molitur, quo minus in eam fluctus irruant, ſi tempeſtas excitatur: neque enim id conſequi poteſt: ſed ut navis ipſa ad impreſſionem & maris & cœli ſuſtinendam bene comparata ſit. Cui corpus ſuum curæ eſt, non hoc ſtudio habet, ne aëris inæquabilitas oriatur, ſed ut omnia corpus facile ferre poſſit.

Hoc igitur idem efficiamus in animo, neque id ſtudeamus, ut paupertatem effugiamus, ut diteſcamus, ſed ut horum unum quodque ad incolumitatem noſtram pertracte-

mus. His omiſſis, animum ad divitias & ad paupertatem accommodatum comparemus. Etſi enim humanum nihil accidat, melior is eſt, qui divitias contemnat, qui humana facile ferre ſciat, quam cui opes & copiæ affluant. Qui tandem? quod hic incolumitatis ſuæ rationem pendentem habet extrinſecus: ille intra ſe. Ac quemadmodum miles eſt melior, qui corporis viribus & arti bellicæ confidit, quam qui in armis vim repoſitam habet: ita eo qui pecuniis confidat eſt melior, qui virtute ſeſe munerit.

Deinde quod tametſi in paupertatem non incidat, ſine omni perturbatione poteſt vivere. Divitiæ enim multos fluctus habent & perturbationes: virtus certam voluptatem & incolumitatem. Nam hominem tutum ab aliorum inſidiis reddit, divitiæ fraudi & injuriæ expoſitum. Atque ut in animantibus, cervi ac lepores propter timiditatem naturalem facillime omnium capiuntur: aper, taurus, leo in inſidias non temere incidunt: ita in divitibus, inque iis, qui paupertatem voluntariam ſuſceperunt, contingit. Alteri enim leonibus tauriſque ſimiles ſunt: alteri cervis & leporibus. Quid enim, dives non metuit? nonne latrones, potentes, invidos, calumniatores?

At quid dico latrones & calumniatores? cum ſervos etiam ſuos ſuſpectos habeat. Ne mortuus quidem à prædonum maleficio liber eſt: neque eum in tuto mors collocat, ſed mortuum etiam malefici compilant: tantum periculi habent divitiæ: neque enim ædes ſolum perfodiuntur, ſed monumenta etiam & ſepulchra perrumpuntur. Quid ergo miſerius cum ne mors quidem eum in tuto ponat, cum

N v

miſerum id corpus ne vita quidem privatum vitæ malis & incommodis defungatur: cum ij, qui talia maleficia perpetrant, pulveri cinerique bellum funeſtius inferant & acerbius, quam tum, cum viveret. Tum enim cellam ingredientes, arculas commovebant, ab ipſo corpore abſtinebant, neque tam multa auferebant, ut etiam corpus denudaretur. Ab hoc vero jam non abſtinent ſceleſtæ perfoſſorum manus: ſed commovent, verſant, atroci crudelitate contumeliam inferunt.

Quis igitur tam infeſtus eſt hoſtis, quam divitiæ quæ & vivorum animos corrumpunt, ac perdunt, & mortuorum corpora contumeliis afficiunt, nec ut humo tegantur, permittunt: quod damnatis, criminibuſque graviſſimis convictis tamen conceditur. Legiſlatores enim ab illis capitis pœnam expetentes, nihil præterea curioſe requirunt. Ab his verò divitiæ poſt mortem acerbiſſimas pœnas repetunt, quæ nudos exponant & inſepultos. Luctuoſum ſpectaculum & miſerabile. Cum his enim longe acerbius agitur quam cum iis, qui per iram & ſententiam judicum condemnantur. Hi etenim cum unum aut alterum diem inſepulti manſerint, terræ mandantur. Illi commendati terræ, nudantur, & contumeliis graviſſimis affliguntur. Quod ſi latrones non ablata theca diſcedunt, non divitiis gratia, ſed paupertati, quæ illam tuecantur, habenda eſt. Nam ſi eam quoque divitiis commiſiſſemus, & prætermiſſo lapide, ex auro conflaſſemus, ejus etiam ſine dubio damnum factum eſſet. Adeo divitiæ, infidele negotium eſt, nec tam eorum, qui habent, quam qui diripere conantur.

Itaque ſupervacaneum eſt dicendo velle oſtendere non facile divitias poſſe obtineri, cum ne in obeunda quidem morte ſalvæ haberi poſſint. Quamquam quiſnam eſt, qui cum vita defuncto non reconcilietur? etenim ipſum ſpectaculum idoneum eſt ad eum inflectendum qui vel ferreus ſit, & ſine ullo doloris ſenſu. Ac propterea ſi quis mortuum aſpiciat, tametſi inimicum videat & infeſtum hoſtem, cum amiciſſimis lacrymatur. Ira cum vita ipſa extinguitur, miſericordia commovetur: nec facile in funere & elatione mortui, amícum dignoſcas, atque inimicum. Adeo omnes communem naturam legeſque ob ea latas reverentur.

At divitiæ eos, qui nulla laceſſiti ſint iniuria, mortuis inimicos faciunt: ſi quidem corpus mortuum ſpoliare acerborum inimicorum & hoſtium eſt. Ac natura quidem efficit, ut cum eo inimici in gratiam redeant: divitiæ vero, eos qui nihil accuſare poſſint, ad faciendum bellum incitant, & corpus in ſolitudine violant. Quanquam multa ibi ſunt, quæ miſericordiam commovere poſſint, cadaver ipſum immobile, ad terram pergens, quod nemo ſit qui opem & auxilium ferat. At nihil horum omnium eſt, quod improbam horum hominum cupiditatem infringere poſſit. Pecuniarum enim amor quaſi ſervus quidam & importunus tyrannus inhumanis imperiis urget atque inſtat, & hos in beſtiarum naturam verſos ad thecas mortuorum adducit. Nam immanium ferarum exemplo eos qui vita defuncti ſunt, adorientes, ne à carnibus quidem ſe abſtinerent, ſi quid ipſa membra utilitatis & commodi haberent.

N vj

Digitized by Google

# PETRI MORINI
## PARISIENSIS
### THEOLOGI;
## EPISTOLA;
### AD SANCTISS. D. N.
# SIXTUM PAPAM V.

*De LXX. Interpretibus, & Græcorum Bibliorum Editione.*

BEATISSIME PATER,

Quamvis mihi in ſuſcepto labore pergenti paterna Sanctitatis veſtræ benedictio non defuerit, quòd eam, ſicuti mediocres homines ſolent, pluribus locis ſæpe quæſierim, meque eâ munire ſtuduerim, quò omnia mihi conſilia factaque melius ac felicius evenirent: tamen cum intellexerim, non ſolùm conficiendam & ad exitum perducendam Græcorum

telligentiam Latinæ editionis, quam Romana Apoſtolica Eccleſia amplexa eſt, non ſolum tranſlatio L X X. virûm plurimum conducit, ſed etiam aliorum Interpretationes, Beatiſſime Pater, ſummo labore ex Veteribus Sanctorum Doctorum commentariis collectæ uſui futuræ ſunt, in quibus cum ſtudium operamque meam ponerem, ac, more argumentoſæ apis, undecunque, quæ poſſem excerperem, memini Reverendum *Petrum Ciaconum* diligentiſſimnm hominem, ſummique laboris atque induſtriæ, ſæpe etiam excitaſſe diligentiam meam, & currenti ſtimulos addidiſſe, cum nihil prætermittendum, nihil negligendum inculcaret: Is cum ſuo munere egregie fungeretur, & è Latinis Patribus, quæcumque uſui eſſent ſtudioſè conferret; mihi quoque faciendum eſſe duxi, ut impoſitam oneris partem exequerer, & Græcorum Doctorum divinos commentarios perluſtrarem, ex iiſque promerem, quæ inſtituto operi accommodata eſſent.

Hæc omnia, Beatiſſime Pater, quam utilia ſint Sanctitas Veſtra intelligit; hanc Principibus Deus mentem dat, hanc infundit ſapientiam eorum animis, ut eorum omnium, quæ publicam utilitatem adjuvent, intelligentes ſint, & optime judicent, quæ ex quaque ſcientia, arte, profeſſione, inſtituto, commoda proficiſcantur, tametſi illarum artium plerumque ſint ignari. Non enim hoc ab iis requiritur, ut norint artes & literas omnes, qui enim id poſſet fieri in tanta & brevitate vitæ, & imbecillitate humani ingenii? Sed hoc ipſi præſtant, ut quoruncumque hominum induſtria, arte, peritia bene utantur,

eaque ad publicam utilitatem dirigant, & honores iis ac præmia pro cujuſque dignitate proponant.

Verum hoc, Beatiſſime Pater, fœlicitatis loco recte ponimus quicunque ad eccleſiaſticas literas illuſtrandas adhibemur, quòd de his non ſolum Sanctitas Veſtra judicare poteſt, id enim Principes omnes poſſunt, ac debent, ſed etiam quod divino conſilio olim animum mentemque tuam ad eas literas applicuiſti, in quibus nunc Sanctitati tuæ ſervimus, earumque cognitione & ſcientia plurimum Eccleſiæ profuiſti, docendo, monendo, concionando, B. Franciſci progeniem & ſodalitia toto orbe diſperſa, ſanctis legibus moribuſque informando, Catholicæ demum Eccleſiæ, cum ſacri Senatus eſſes pars, fideliter ac diligenter conſulendo. Eadem te nunc recordatio præteritorum ſtudiorum tacitis præceptis imbuit in Summi Pontificatus, Tibi divinitùs commiſſi munere adminiſtrando, rerúmque gerendarum rationes & præcepta ſuppeditat.

Intelligit ergo Sanctitas Veſtra hanc Editionem Græcæ Interpretationis magnæ utilitati futuram, ad editionis Latinæ explicationem, ad veterum Eccleſiæ Doctorum ſcripta intelligenda, & enucleandos multiplices ſacrarum Scripturarum ſenſus: Eccleſiam Catholicam ex clariſſimorum Doctorum authoritate, ambas has tranſlationes amplecti, ſententiis inter ſe congruentes, ſacrorum oraculorum utilitati atque ubertati inſervientes, tametſi verborum ſpecie aliquot locis diſſimiles: harum ambarum conjunctionem atque conſenſum, inſtar eſſe omnium tetraplorum,

luſtriſſima Veſtra Amplitudo ab Urbe proficiſcens in ædem ſacram depoſuit, conſilium tuum eſt, eane velis univerſa recipere, an per partes. Nam ut recte ac ordine omnia gerantur: utque negotium ex Juriſconſultorum ſententia eo diſſolvatur modo, quo aſtrictum eſt & contractum: in manum iſtam, unde profecta ſunt, ac depoſitæ, Concilia omnino redire oportet, indeque Typograhiæ mandari. De *Epheſino Concilio* quid fieri oportere putem, per libellum expoſui Amplitudini Veſtræ. Perpauca in eo adminiſtranda reſtant quæ triduo aut quatriduo explicari poſſunt. Quæ ante in ſequentibus Conciliis gerenda ſunt, aveo quàm primum demonſtrare: verum in re præſenti: ac tum, cum libri in manum tuam redierint. Nam juris prudentes recte monent in rem præſentem eſſe veniendum, ut pleraque facilius poſſint expediri. Nec vero convenit ſenem hominem ſolum ea ſcire, quæ fieri opus ſit: aut ea non primo quoque tempore obire, quæ ab ipſo geri oporteat. Id quid ſit, tum in conventu coram expoſui, tum deinde per libellum: nempe me *ſeptimam Synodum* deſiderare ab *Anaſtaſio Bibliothecario* Latine verſam. Ac puto Sanctiſſimum Dominum hanc veniam, libenter daturum, ut ea fidei meæ credatur, cum, quid multis ab hinc annis factum ſit, intellexerit. Nam cum olim ad editionem *Bibliorum Græcorum*, variæ lectiones tranſlationeſque colligendæ eſſent, atque annotandæ, mihi, qui id munus ſuſcepiſſem, immenſi Commentarii, qui *Catena* dicuntur, editi ſunt è Bibliotheca Apoſtolica, & apud me, quoad iis opus fuit, manſerunt Chirographi mei cautione: idque meminiſſe

poteſt *D. Marinus*, Bibliothecæ cuſtos. Eos quidem, ut par erat, ſumma diligentia cuſtodiebam, ac vel in manibus, vel abſens clauſos habebam: ne quis, me imprudente, attingere poſſet. Intelligebam enim, id negotium, commodati fines longe prӕterire, nec ſatis eſſe ſi quis ad ſuum modum, ac, ut res ſuas tueretur: verum leviſſimam in tanta re indiligentiam & culpam, dolo proximam eſſe. Quamobrem ab Amplitudine Veſtra Illuſtriſſima peto, exorare ſtudeat Sanctiſſimum Dominum, ut velit ac jubeat, eam è Bibliotheca Apoſtolica Synodum promi, &, Chirographi fide, mihi tradi: qui per ætatem non poſſum ſæpius Bibliothecam obire, quique ab ea longe habito. Scit *D. Antonius Aquinas*, eum me librum, vivo adhuc D. Cardinali *Carafa* bo.memo. deſideraſſe, ac potuiſſe habere, ſi plus ei otii ad hoc expediendum, fuiſſet. Nec vero tantopere urgerem, ſi hoc ætas mea differri pateretur, aut ſi notas meas alii facile intelligere poſſent. Video enim ad illam Synodum ſero Typographiam perventuram, ac dementiæ eſſe, ſenem de propinqua morte minime cogitare.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1594.*

Epiſtola VII.

## AD EUNDEM,

*De Menſtruo ſtipendio & annona Scolaſtici Vaticani ſibi à Sanctiſſimo impetranda.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Magnam ſpem habeo, fore, ut, ſi me communi ſtudio & commendatione Illuſtriſſima Amplitudo veſtra, & Illuſtriſſimus D. Cardinalis *Caietanus* apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum adjuvabitis, adipiſcar quod opto, eum videlicet modum annonæ, quem *Scholaſtici Vaticani* capiunt: & , officii mei cauſſa, menſtruum ſtipendium. Veterani militis commoda, juvenum alacritatem ad ſuſcipiendos labores exacuent, & commovebunt ſpe præmiorum quæ diuturnæ militiæ meæ viderint perſoluta. Hoc igitur oro Illuſtriſſimas Amplitudines veſtras, ut mihi impetrare veſint; ac multis abhinc annis ſacrarum literarum, ac demum *Conciliorum editioni* ſervientem, authoritate ſua & gratia tueatur.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtrę, quam Dominus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1594.*

Epiſtola VIII.

## AD EUNDEM,

*De Scholaſtici Vaticani VI. virûm obtinenda ſibi debita annona Pontificia: Deque navata à ſe Vaticanis typis opera.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Hæc ſenectutis ætas, cum *Secretarii* conjuncta munere, Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, me etiam tacente, hortatur ac orat, ut officio meo ſalarium ſtudeat impetrare, meque auctoritate & commendatione ſua adjuvare velit apud Illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Caietanum, benigne mihi pollicitum, res rationeſque meas ſibi curæ fore. Inceſſunt me paulatim incommoda ſenectæ ſubſidiumque poſtulant, & majores copias, quibus olim, dum ætate florerem, carere potui, & vero libenter carui. Nam quæ *Gregorius* XIII. fel. recordationis, in me conferre voluit, adductus commendatione Cardinalium *Sirleti* & *Caraſæ*, facile tuli ad alios, qui ea petiverunt, eſſe tranſlata, beneque ſaltem collocata eſſe lætatus ſum. Ille mihi ad præclaros labores aggredienti, cum voluntatem meam probaret, illis beneficiis animum addere voluit ad diligentiam atque induſtriam, & alacritatem ſtudii mei vincere liberalitate. Quod cum non proceſſiſſet, nullo tamen modo debilitata induſtria mea eſt, qui non præmia, ſed officium ſequebar, in eoque ſatis ma-

gnum fructum poſitum eſſe putabam. Itaque incredibili ſtudio perrexi in Bibliis Græcis exornandis, quaſi id unum opus haberem: ac proxime Annotationes pluribus etiam locis amplificavi; dum pleraque Eccleſiaſtica monumenta evolvo, totaque ipſa Biblia Græca diligenter relego. Ad Biblia Latina primum vocatus, deinde ad eundem laborem revocatus ſum. Proxime autem mihi, Patres Ampliſſimi, præfecti Indici inſtaurando, operum dediſtis immunitatem, antiquo ſacri conſeſſus veſtri conſiliario: qua cum aliqua lætitia fruor, teſtimonio induſtriæ meæ ac diuturnorum in Illuſtriſſimas Amplitudines Veſtras officiorum: quæ patronis meis, pro ipſorum magnitudine animi, grata accidiſſe, mihi gratulor. Quid in Conciliis œcumenicis navarim, idoneus, ſecundum Cardinalem Carafam bo. mem. ipſe es teſtis, ad quem tam egregie conatus ſumma rediit. Nulla me præmiorum duxit ſpes, ut in his perſeverarem, Illuſtriſſime Domine: hæc exequentem me ſenectus eſt aſſecuta, pene nec opinantem. Non bene ceſſerunt ea, quæ Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis *Cuſentinus*, juſſu Sixti V. fel. mem. tribuere mihi voluit. In hæc veſtra tempora in hanc neceſſitudinem miniſterii, in veſtram humanitatem ac benevolentiam dilatus ſum. Quamobrem Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram oro, cum Illuſtriſſimo Domino Cardinali *Cajetano* agat, ut de officii mei ſtipendio, deque eodem modo annonæ, qui Scholaſticis V I. viris Vaticanis præbetur, Sanctiſſimum Dominum Noſtrum exoret, hocque beneficium bene apud me poſitum iri ſibi perſuadeat. In Sanctiſſimi Domini benignita-

ſe, inque utriuſque veſtrum auctoritate magnam ſpem habeo: quæ cum bene evenerit, vix augere poterit voluntatem meam, quæ maxima eſt, ſed voluntati egregię facultatem idoneam ſuppeditabit.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno* 1594.

Epiſtola IX.

## AD EUNDEM,

*Ne quid à Vaticanis Correctoribus Græcè dubium aut obſcurum in editione Conſiliorum Vaticana, ſe inconſulto vel Fulvio Vrſino & ſociis immutetur.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Tum ſuſceptæ Conciliorum editionis, tum mea etiam valde intereſt nihil in edendo à DD. Correctoribus mutari, ubi præſertim dubitatio aliqua ſubeſt, inconſulta Amplitudine Veſtra Illuſtriſſima, quæ, arbitratu ſuo, vel D. *Fulvii Vrſini*, vel meam, vel cujuſpiam alterius ſententiam ſciſcitetur ſi quid in lingua Græca obſcurius inciderit. Fieri enim poſſe libere confiteor, ut docti homines aliquid animadvertant, quod me fugerit, qui labi & errare poſſum, ac propter ætatem, oculis non commodiſſime utor: in quo tamen diligentiæ

ſubſidium mihi comparavi. De doctiſſimo viro Hippocrate, proditum memoriæ eſt, eum aliquando libere profeſſum, à futuris ſe deceptum eſſe: & magnum clarumque virum errorem ſuum celare noluiſſe. Cujus exemplum nobis omnibus imitandũ judico, ideoque ſi quid erraro, ab aliis me cupio reprehendi. Et qui in omni vita diſcendi cupidiſſimus fui, nec hoc ſtudium vel ſenex omiſi: ex aliis, qui in errara mea animadvertant, per quam libenter diſcam, quod non conſequerer, ſi me alii animadverſiones ſuas celarent, dolerémque me diſcendi amittere occaſionẽ. *Salvianus*, vetus Juriſconſultus, *Si alterum pedem*, aiebat, *in ſepulcro haberem, adhuc diſcere vellem.* Cato vero Cenſorius ſenex Græcas literas didicit. Itaque mirum videri non debet, eum, qui à prima ætate ſtudio doctrinæ deditus fuit, ſenem undecumque poſſit, cupere aliquid addiſcere. Huc accidit, Illuſtriſſime Domine, quod in reprehendendo fallere ſeſe quiſque poſſit. Itaque, ut is unde aliquid petitur, in jus vocandus eſt: ita qui reprehenditur, eſt appellandus: ut vel diſcat, ſi quid erravit, vel aliis, qui ſeſe ipſi fallant, errorem eripiat. Nam utrumque evenire poteſt. Hæc, Illuſtriſſime Domine, ut recte & ordine fiant, in Amplitudine Veſtra eſt poſitum: Cujus authoritatem ac poteſtatem, fabri ac operarii jure reveremur, & ab ea pendemus omnes: ut opus hoc felices progreſſus, exituſque optatos habeat.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus incolumem ſervet,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe April.*

Epiſtola X.

## AD EUNDEM
## BORROMÆUM.

*De impetrando debito ſibi ſtipendio Pontificio Ciſalpina Penſione Vaticani Secretarii munere fungenti, ſororiſque filio optimæ ſpei juveni.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Poſtquam abhinc viginti annis Romam Sancti Jubilei cauſſa veni, ac navavi primum operam in *Bibliis Græcis*, deinde in *Latinis*, & in condendo Indice, edendiſque ſummorum Pontificum *Decretalibus Epiſtolis*, accidit, ut ad Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram ſumma editionis *Conciliorum* rediret, utque in ejus clientelam ac patrocinium veniremus quotquot *Scholaſtici* Conciliis dabamus operam ac Typographiæ Apoſtolicæ. Nec vero ſenecta retardavit, quo minus in Scholaſtica militia veteranus perſeverarem, Conciliis expoliendis, ac *Secretarii* munere exequendo, cujus officii cauſſa cum nullum mihi ſalarium attributum ſit, ab Illuſtriſſima Amplitudine Veſtra ſupplex peto, ut, pro ſalario, penſionem mihi aliquam Ciſalpinam à Sanctiſſimi Domini Noſtri benignitate ſtudeat impetrare, in qua tribuenda ætatis meæ ratio habeatur, & ſuperiorum laborum, & præſentis officii mei, & egregiæ voluntatis ſemper quidem navandi aliquid, ſed remiſſiore ac ſenili

labore. Me præterea opitulari convenit tum ſorori, tum ſororis filio, juveni ſingularis induſtriæ, ac doctrinæ, ejuſque mihi alenda tuendaque ſtudia ſunt, literis jam Latinis, Græciſque ac philoſophicis mirifice exculti: quę ſtudia ad diſciplinas Eccleſiaſticas meo ſuaſu omnia referuntur,

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus

PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Mai.*

Epiſtola XI.

## AD EUNDEM,

***De deligendis aliis duobus Græcis Correctoribus Conciliorum editioni, repetendaque editione Vaticana.***

Illem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Heri, ſi quid otii Illuſtriſſimæ Amplitudini Veſtræ fuiſſet, agere me oportuit de Conciliorum editione longo intervallo repetenda Audio *D. Bandinum* valere, & operam navare poſſe. Dum igitur *D. Meſſius* firmior ſit, videtur Græcus corrector ei ad tempus ſubrogari debere: de quo conſiderandum num expediat agere cum Illuſtriſſimis Cardinalibus *Ioioſa* & *Caietano*. Omnino enim faciendum eſt, ne tam immenſum opus diutius intermittatur. Nuper reditum eſt ad *Aureoli*

commentationes in Magiſtrum excudendas, ac multo magis videtur, hoc *Conciliorum opus*, quod publico ſumptu fit, progredi oportere. Quod ut fiat, utque nullum unquam intervallum ſit, duo minimum oportet Græci correctores ſint, ut, altero neceſſariam aliquam ob cauſam ceſſante, alter in opere exequendo perſeveret. Idque aliquando in Ampliſſimo conſeſſu veſtro memini Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram reſpondere, cum quæreretur ex ea, cur duos vellet *Breſſium* & *Macarium* adhiberi. De his igitur, Illuſtriſſime Domine, eſt conſulendum. Ac ſolent principibus viris maxima, mediocria, minima curæ eſſe.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ,
quam Chriſtus Dominus incolumem tueatur,
Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. Quintil.*

Epiſtola XII.

## AD EUNDEM,

***De Ciſalpina ſibi ſeni ſororiſque filio præclaræ ſpei & erudito adoleſcenti neceſſaria penſione à Pontifici impetranda.***

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Priuſquam Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra ab urbe proficiſcatur, eam ſummopere oro, ut, ſi occaſio tulerit, nec erit incommodum ac moleſtum, ſuam erga me voluntatem ac

benevolentiam poſtremum declaret, in impetranda mihi à Sanctiſſimo Domino noſtro Penſione Ciſalpina, qua rebus meis inclinationique ætatis proſpiciatur. Hoc autem eſt optatum meum: cupio, quoad vivam, apud Illuſtriſſimum Patronum meum D. Cardinalem Veronæ degere, tum aliis potiſſimum de cauſis, tum etiam, quod, cum ibi copioſam Bibliothecam habeam, delicias meas, propter mihi omnino vivendum eſt, nec ab ea unquam libenter abſtrahar. Verum præterea mihi neceſſe eſt, aliquot homines ſumptu meo alere ac tueri, iiſque aliquas ædes propinquas, mediocri mercede, conducere. Hi autem ſunt, ſororis meæ filius, *D. Iohannes Hibernus* Preſbyter, tertius qui anagnoſtæ ſcribæque officio apud me fungatur, atque his aliquo famulo eſt opus, qui cæteris ſibique obſonetur & coquat. Hæc, Illuſtriſſime Domine, requirit ætas mea, & perpetuum ſtudium ſemper aliquid navandi. Habeo multos commentarios ex aſſiduis lectionibus excerptos, quos omnes, ſed præcipue eccleſiaſticos, in animo habeo ſororis filio mandare in ordinem locorumque diſtinctionem redigendos, ſed aliena opera & officio: ne, cui otium præbere ſtudeo, ejus otio abutar. Nam abhinc triginta amplius annos, poſt perceptam Theologiam Scholaſticam, dediſti me perlegendis monumentis Eccleſiaſticis, ex iis potiſſimum ea colligens, quæ ad confutandam hæreticorum hujus ætatis dementiam atque inſcitiam pertinent. Animadverti autem conſanguineum hunc meum aliquid ſemper ſcribendi cupiditate duci. Quo in ſtudio mei commentarii, iique quos per ſe ipſe multa legendo conficiet,

uſui futuri ſunt in refellenda, tum dicendo tum ſcribendo, hæretica pravitate. Egemus denique uterque ſcribæ alicujus opera, qui pleraque identidem deſcribat. Hac in re, Illuſtriſſime Domine, oro, ut Amplitudinis Veſtræ me auctoritas & gratia juvet apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum: cujus benignitas, induſtriæ hominum nullo loco deeſſe ſolet.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1594. Menſ. Ianuar.*

Epiſtola XIII.

## AD CARDINALEM CAIETANUM.

*De editione operum S. Auguſtini Typis Vaticanis adornanda.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Quæ cum viris principibus coram locutus ſum, ſoleo interdum, memoriæ ipſorum cauſſa, graviſſimis negotiis diſtentorum, libello complecti. *Ac de corpore operum S. Auguſtini* dixit mihi Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra, convenire, id eſſe publicum ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ: ut Scholaſticis Vaticanis ad conferendos manuſcriptis libros, & ad varietates

lectionum annotandas, ſinguli tomi, prout opus erit, diſtribuantur, ſeque factum, ut Illuſtriſſimus Dominus Quæſtor Apoſtolicus pro univerſo corpore operum, Bibliopolis pretium ſolvat. Inſtitores univerſum corpus R. D. *Abbati Adriano* vendiderant, ac tradiderant, fidem ejus de pretio ſecuti. Cœpit D. Abbas primum tomum excolere, in eoque varietates notare. Ita videt Illuſtriſſima Veſtra Amplitudo, rem jam affectam eſſe. Proximo vero ſancto Natali Domini, contendit inſtitor; vel pretium ſibi repræſentandum eſſe, vel libros. Hanc enim legem ſibi à Dominis dictam. Itaque, cum pretium ad diem non ſolveretur, libros abſtulit: idque, ut antea ſignificavi, quod mirum eſt, affecto jam opere: ut neceſſe ſit, ſatisfieri inſtitoribus, remque in integrum reſtitui: Quamobrem, quid conſulendum ſit, Amplitudo Veſtra, pro prudentia ſua, intelligit. Puto vero, emptum illud corpus, tradendum eſſe, publici commodi cauſſa, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodibus: non ut in eadem cauſſa ſit, qua cæteri libri Bibliothecæ, qui injuſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri auferri inde non poſſunt: Sed ut de eo fiat, quod vel Illuſtriſſimus D. *Cardinalis Verona*, vel Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra, vel Illuſtriſſimus D. Quæſtor, juſſeritis. Nec eo vel DD. Correctores, vel ego, vel quiſquam alius, inconſultis nobis, utemur. Mihi quidem plane decretum eſt (quod antea feciſſe me, teſtes mihi, Patres Ampliſſimi, eſtis) nihil prorſus, quod ad officium meum pertineat, agere, niſi vobis authoribus. Cum vero, Deo juvante, opus illud collationum perfectum fuerit, ac ex hoc corpore in aliud

corpus veſtra authoritate tranſlata fuerint ac perſcripta, quæ Typographiæ mandanda viſa fuerint, hocque corpore primitus empto ſatis ſuperque fuerimus uſi, vel potius cum univerſa opera S. Auguſtini juſſu veſtro fuerint edita, perfectumque hoc prope infinitum opus: tum demum omnia recte in manus cuſtodum dabuntur, ut perpetuo in Apoſtolica Bibliotheca extent, eadem prorſus, qua cætera, conditione atque lege. Nemini in idem piſtrinum hæc pervolvendi redeundum erit, nec cuiquam eadem immenſa diligentia perfungendum, nec repetenda, ut aiunt, crambe. Nam deſiderantibus inſpiciendi facultas erit. Hæc fortaſſe, Illuſtriſſime Domine, verboſius, quam oportuit: quod ſit, ad occupatos, brevitate utendum: atque hic idcirco conſiſtam.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Dominus cuſtodiat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. April.*

Epiſtola XIV.

# AD EUNDEM,

*De operibus Sancti Auguſtini diſtribuendis ac recognoſcendis in editionem Vaticanam VI, viris Scolaſticis Vaticanis.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Quoniam, ob magnitudinem ac multitudi-

nem *operum S. Patris Auguſtini*, plures inſtituendæ claſſes ſunt, quibus ſingulis ſinguli præficiantur Scholaſtici Vaticani: oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut velit, eum, qui R. P. Magiſtro *Angelo Rocco* ſubrogabitur, in hujus laboris ſocietatem venire, atque unius claſſis eſſe ducem, eique aliquot è religioſis Ordinibus jungi adjutores: itidemque *D. Broſſio*, ſimulac ad urbem redierit, eaſdem hujus commentationis partes dari. Nam quod quædam Græca ſuſcepit Latinè transferenda, ſubciſivis horis id exequi, erit ei facillimum. Nec quènquàm, opinor, pigebit, verſari in Vaticana Bibliotheca tres circiter matutinas horas, quibus ea profeſtis diebus patet. R. P. *Abbas Adrianus* Bibliothecam iis paucis horis obit, ac *S. Auguſtino* navat operam, quamvis fortaſſe, ſi ita ſacer veſter conſeſſus juſſerit, eum aliquid operæ ad *S. Cypriani* editionem una cum aliis conferre oporteat. Urgendum enim, Illuſtriſſime Domine, hoc immenſum opus, ac maturandum: niſi, ut abſolvatur, Kalendæ nobis Græcæ expectandæ ſunt. Ita, ut juſtus progreſſus fiat, multa manu eſt opus.

**Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem,**

**Humillimus ſervus**
**PETRUS MORINUS.**

**Anno**

corpus veſtra authoritate tranſlata fuerint ac perſcripta, quæ Typographiæ mandanda viſa fuerint. Hocque corpore primitus empto ſatis ſuperque fuerimus uſi, vel potius cum univerſa opera *S. Auguſtini* juſſu veſtro fuerint edita, perfectumque hoc prope infinitum opus: tum demum omnia recte in manus cuſtodum dabuntur, ut perpetuò in Apoſtolica Bibliotheca extent, eadem prorſus, qua cætera, conditione atque lege. Nemini in idem piſtrinum hæc pervolvendi redeundum erit, nec cuiquam eadem immenſa diligentia perfungendum, nec repetenda, ut aiunt, crambe. Nam deſiderantibus inſpiciendi facultas erit. Hæc fortaſſe, Illuſtriſſime Domine, verboſius, quam oportuit: quòd ſit ad occupatos brevitate utendum: atque hic idcircò conſiſtam.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Dominus cuſtodiat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. April.*

Epiſtola XIV.

# AD EUNDEM,

*De Operibus ſancti Auguſtini recognoſcendis ac diſtribuendis in editionem Vaticanam VI. Viris Scolaſticis Vaticanis.*

ILme & Revme D. Patr. mi Colendiſſ.

Quoniam, ob magnitudinem ac multitudi-

nem *operum S. Patris Auguſtini*, plures inſtituendæ claſſes ſunt, quibus ſingulis ſinguli præficiantur Scholaſtici Vaticani : oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut velit, eum, qui R. P. Magiſtro *Angelo Rocco* ſubrogabitur, in hujus laboris ſocietatem venire, atque unius claſſis eſſe ducem, eique aliquot è religioſis Ordinibus jungi adjutores : itidemque *D. Broſſio*, ſimulac ad urbem redierit, eaſdem hujus commentationis partes dari. Nam quod quædam Græca ſuſcepit Latinè transferenda, ſubciſivis horis id exequi, erit ei facillimum. Nec quenquam, opinor, pigebit, verſari in Vaticana Bibliotheca tres circiter matutinas horas, quibus ea profeſtis diebus patet. R. P. *Abbas Adrianus* Bibliothecam iis paucis horis obit, ac *S. Auguſtino* navat operam, quamvis fortaſſe, ſi ita ſacer veſter conſeſſus juſſerit, eum aliquid operæ ad *S. Cypriani* editionem una cum aliis conferre oporteat. Urgendum enim, Illuſtriſſime Domine, hoc immenſum opus, ac maturandum: niſi, ut abſolvatur, Kalendæ nobis Græcæ expectandæ ſunt. Ita, ut juſtus progreſſus fiat, multa manu eſt opus.

**Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem,**

**Humillimus ſervus**
**PETRUS MORINUS.**

**Anno**

corpus veſtra authoritate tranſlata fuerint ac perſcripta, quæ Typographiæ mandanda viſa fuerint. Hocque corpore primitus empto ſatis ſuperque fuerimus uſi, vel potius cum univerſa opera *S. Auguſtini* juſſu veſtro fuerint edita, perfectumque hoc prope infinitum opus: tum demum omnia recte in manus cuſtodum dabuntur, ut perpetuò in Apoſtolica Bibliotheca extent, eadem prorſus, qua cætera, conditione atque lege. Nemini in idem piſtrinum hæc pervolvendi redeundum erit, nec cuiquam eadem immenſa diligentia perfungendum, nec repetenda, ut aiunt, crambe. Nam deſiderantibus inſpiciendi facultas erit. Hæc fortaſſe, Illuſtriſſime Domine, verboſius, quam oportuit: quòd ſit ad occupatos brevitate utendum: atque hic idcirco conſiſtam.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Dominus cuſtodiat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. April.*

Epiſtola XIV.

## AD EUNDEM,

*De Operibus ſancti Auguſtini recognoſcendis ac diſtribuendis in editionem Vaticanam VI. Viris Scolaſticis Vaticanis.*

ILl^me^ & Rev^me^ D. Patr. mi Colendiſſ.

Quoniam, ob magnitudinem ac multitudi-

labore. Me præterea opitulari convenit tum ſorori, tum ſororis filio, juveni ſingularis induſtriæ, ac doctrinæ, ejuſque mihi alenda tuendaque ſtudia ſunt, literis jam Latinis, Græciſque ac philoſophicis mirifice exculti: quę ſtudia ad diſciplinas Eccleſiaſticas meo ſuaſu omnia referuntur,

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ,
quam Chriſtus Dominus tueatur incolumem,
Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Mai.*

Epiſtola XI.

## AD EUNDEM,

*De deligendis aliis duobus Græcis Correctoribus Conciliorum editioni, repetendaque editione Vaticana.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Heri, ſi quid otii Illuſtriſſimæ Amplitudini Veſtræ fuiſſet, agere me oportuit de Conciliorum editione longo intervallo repetenda. Audio *D. Bandinum* valere, & operam navare poſſe. Dum igitur *D. Meſſius* firmior fit, videtur Græcus corrector ei ad tempus ſubrogari debere: de quo conſiderandum num expediat agere cum Illuſtriſſimis Cardinalibus *Ioioſa* & *Caietano*. Omnino enim faciendum eſt, ne tam immenſum opus diutius intermittatur. Nuper reditum eſt ad *Aureoli*

commentationes in Magiſtrum excudendas, ac multo magis videtur, hoc *Conciliorum opus*, quod publico ſumptu fit, progredi oportere. Quod ut fiat, utque nullum unquam intervallum ſit, duo minimum oportet Græci correctores ſint, ut, altero neceſſariam aliquam ob cauſam ceſſante, alter in opere exequendo perſeveret. Idque aliquando in Ampliſſimo conſeſſu veſtro memini Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram reſpondere, cum quæreretur ex ea, cur duos vellet *Breſſium* & *Macarium* adhiberi. De his igitur, Illuſtriſſime Domine, eſt conſulendum. Ac ſolent principibus viris maxima, mediocria, minima curæ eſſe.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. Quintil.*

Epiſtola XII.

## AD EUNDEM,

*De Ciſalpina ſibi ſeni ſororiſque filio præclaræ ſpei & erudito adoleſcenti neceſſaria penſione à Pontifici impetranda.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Priuſquam Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra ab urbe proficiſcatur, eam ſummopere oro, ut, ſi occaſio tulerit, nec erit incommodum ac moleſtum, ſuam erga me voluntatem ac

benevolentiam poſtremum declaret, in impetranda mihi à Sanctiſſimo Domino noſtro Penſione Ciſalpina, qua rebus meis inclinationique ætatis proſpiciatur. Hoc autem eſt optatum meum: cupio, quoad vivam, apud Illuſtriſſimum Patronum meum D. Cardinalem Veronæ degere, tum aliis potiſſimum de cauſis, tum etiam, quod, cum ibi copioſam Bibliothecam habeam, delicias meas, propter mihi omnino vivendum eſt, nec ab ea unquam libenter abſtrahar. Verum præterea mihi neceſſe eſt, aliquot homines ſumptu meo alere ac tueri, iiſque aliquas ædes propinquas, mediocri mercede, conducere. Hi autem ſunt, ſororis meæ filius, *D. Iohannes Hibernus* Preſbyter, tertius qui anagnoſtæ ſcribæque officio apud me fungatur, atque his aliquo famulo eſt opus, qui cæteris ſibique obſonetur & coquat. Hæc, Illuſtriſſime Domine, requirit ætas mea, & perpetuum ſtudium ſemper aliquid navandi. Habeo multos commentarios ex aſſiduis lectionibus excerptos, quos omnes, ſed præcipue eccleſiaſticos, in animo habeo ſororis filio mandare in ordinem locorumque diſtinctionem redigendos, ſed aliena opera & officio: ne, cui otium præbere ſtudeo, ejus otio abutar. Nam abhinc triginta amplius annos, poſt perceptam Theologiam Scholaſticam, dediſti me perlegendis monumentis Eccleſiaſticis, ex iis potiſſimum ea colligens, quæ ad confutandam hæreticorum hujus ætatis dementiam atque inſcitiam pertinent. Animadverti autem conſanguineum hunc meum aliquid ſemper ſcribendi cupiditate duci. Quo in ſtudio mei commentarii, iique quos per ſe ipſe multa legendo conficiet,

uſui futuri ſunt in refellenda, tum dicendo tum ſcribendo, hæretica pravitate. Egemus denique uterque ſcribæ alicujus opera, qui pleraque identidem deſcribat. Hac in re, Illuſtriſſime Domine, oro, ut Amplitudinis Veſtræ me auctoritas & gratia juvet apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum: cujus benignitas, induſtriæ hominum nullo loco deeſſe ſolet.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1594. Menſ. Ianuar.*

Epiſtola XIII.

## AD CARDINALEM CAIETANUM.

*De editione operum S. Auguſtini Typis Vaticanis adornanda.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Quæ cum viris principibus coram locutus ſum, ſoleo interdum, memoriæ ipſorum cauſſa, graviſſimis negotiis diſtentorum, libello complecti. *Ac de corpore operum S. Auguſtini* dixit mihi Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra, convenire, id eſſe publicum ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ: ut Scholaſticis Vaticanis ad conferendos manuſcriptis libros, & ad varietates

lectionum annotandas, ſinguli tomi, prout opus erit, diſtribuantur, ſeque facturum, ut Illuſtriſſimus Dominus Quæſtor Apoſtolicus pro univerſo corpore operum, Bibliopolis pretium ſolvat. Inſtitores univerſum corpus R. D. *Abbati Adriano* vendiderant, ac tradiderant, fidem ejus de pretio ſecuti. Cœpit D. Abbas primum tomum excolere, in eoque varietates notare. Ita videt Illuſtriſſima Veſtra Amplitudo, rem jam affectam eſſe. Proximo vero ſancto Natali Domini, contendit inſtitor, vel pretium ſibi repræſentandum eſſe, vel libros. Hanc enim legem ſibi à Dominis dictam. Itaque, cum pretium ad diem non ſolveretur, libros abſtulit: idque, ut antea ſignificavi, quod mirum eſt, affecto jam opere: ut neceſſe ſit, ſatisfieri inſtitoribus, remque in integrum reſtitui: Quamobrem, quid conſulendum ſit, Amplitudo Veſtra, pro prudentia ſua, intelligit. Puto vero, emptum illud corpus, tradendum eſſe, publici commodi cauſſa, Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodibus: non ut in eadem cauſſa ſit, qua cæteri libri Bibliothecæ, qui injuſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri auferri inde non poſſunt: Sed ut de eo fiat, quod vel Illuſtriſſimus D. *Cardinalis Verona*, vel Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra, vel Illuſtriſſimus D. Quæſtor, juſſeritis. Nec eo vel DD. Correctores, vel ego, vel quiſquam alius, inconſultis nobis, utemur. Mihi quidem plane decretum eſt (quod antea feciſſe me, teſtes mihi, Patres Ampliſſimi, eſtis) nihil prorſus, quod ad officium meum pertineat, agere, niſi vobis authoribus. Cum vero, Deo juvante, opus illud collationum perfectum fuerit, ac ex hoc corpore in aliud

corpus veſtra authoritate tranſlata fuerint ac perſcripta, quæ Typographiæ mandanda viſa fuerint, hocque corpore primitus empto ſatis ſuperque fuerimus uſi, vel potius cum univerſa opera S. Auguſtini juſſu veſtro fuerint edita, perfectumque hoc prope infinitum opus; tum demum omnia recte in manus cuſtodum dabuntur, ut perpetuo in Apoſtolica Bibliotheca extent, eadem prorſus, qua cætera, conditione atque lege. Nemini in idem piſtrinum hæc pervolvendi redeundum erit, nec cuiquam eadem immenſa diligentia perfungendum, nec repetenda, ut aiunt, crambe. Nam deſiderantibus inſpiciendi facultas erit. Hæc fortaſſe, Illuſtriſſime Domine, verboſius, quam oportuit: quod ſit, ad occupatos, brevitate utendum: atque hic idcirco conſiſtam.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Dominus cuſtodiat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. April.*

Epiſtola XIV.

## AD EUNDEM,

*De operibus Sancti Auguſtini diſtribuendis ac recognoſcendis in editionem Vaticanam VI, viris Scolaſticis Vaticanis.*

ILLem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Quoniam, ob magnitudinem ac multitudi-

rio, ſuppeditantur, libenter operam navatuſi fuerint, laude ſola ac virtutis conſcientia ducti. Hi vero jure expectant, ut à vobis, Patres Ampliſſimi, ad quodcumque opus adhibeantur. Vaticana autem Apoſtolica Bibliotheca, ipſorum palæſtra, officina, Gymnaſium & Academia eſt. Ac in conſpectum veſtrum, Illuſtriſſimi Domini, qui ad hoc munus à Sanctiſſimo Domino noſtro lecti fuerint, porro venient, ſi quando vobis, neceſſarias aliquas ob cauſſas, cœtum habendum eſſe decerneris. Neque enim unam ob rem aut ob alteram vultis, idque monuiſtis me. Interea vero ceſſare gravantur diligentes homines ac induſtrii. *Obrius* quidem, nulla interpoſita mora, opus ſuum eſt aggreſſus. Nec cum moratum eſt, quòd nullum olim operum S. Auguſtini corpus eſſet emptum. Libros ipſe ſibi providit, dum acciperet de publico, ne interim vacaret. Quam religionem cæteri etiam ſuperabunt, nedum imitabuntur. *R. Abbas* in primo tomo, ſtudium & officium ſuum ponit, *R. Obrius* in tertio. Oro itaque Illuſtriſſimam Amplitudinem veſtram, ut *D. Aldum* jubeat ſecundi tomi provinciam capeſſere. Hoc enim imperium vir probus ac navus expectat.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtrę, a quam Deus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. Iuni.*

Epiſtola XV.

## AD EUNDEM.

*De eodem argumento, diſtribuendorum in ſingulos ſingulis D. Auguſtini, typis Vaticanis edendorum operum tomis.*

ILlem. & Revem. D. Patr. mi Colendiſſ.

Qui jam provinciam ſuſceperunt commentationum S. Auguſtini, magnum operæ pretium ſe facturos aſſeverant, valdeque libenter in eo munere perſiſtunt, RR. DD. *Abbas Adrianus*, Doctorque Pariſienſis *Obrius*. Egregios enim eſſe Vaticanos libros, magnumque eorum eſſe numerum, unde variæ lectiones pleræque excerpuntur, pleraque item, quæ in Lovanienſibus libris, quantumvis accuratis, deſiderantur: ut hæc editio, veſtra, Ampliſſimi Patres, authoritate ſuſcepta, Chriſtianæ doctrinæ lucem allatura ſit. Lovanienſes in ſingulos S. Auguſtini tomos ſingulas claſſes inſtituerunt, nec tamen niſi poſt multos annos opus abſolvere potuerunt. Nec ij claſſium illatum fuere duces, quibus de publico annona præberetur, ſed ſuis quique ſtipendiis militabant, ſatiſque putabant præmii in virtute ac officio eſſe poſitum. Quod, Illuſtriſſime Domine, non dubitandum, quin Scholaſticorum Vaticanorum excitet induſtriam æqui, detractis etiam his commodis, quæ à penu Palatina, & ab æra-

cana

nem *operum S. Patris Auguſtini*, plures inſtituendæ claſſes ſunt, quibus ſingulis ſinguli præficiantur Scholaſtici Vaticani : oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut velit, eum, qui R. P. Magiſtro *Angelo Rocco* ſubrogabitur, in hujus laboris ſocietatem venire, atque unius claſſis eſſe ducem, eique aliquot è religioſis Ordinibus jungi adjutores : itidemque *D. Broſſio*, ſimulac ad urbem redierit, eaſdem hujus commentationis partes dari. Nam quod quædam Græca ſuſcepit Latinè transferenda, ſubciſivis horis id exequi, erit ei facillimum. Nec quenquam, opinor, pigebit, verſari in Vaticana Bibliotheca tres circiter matutinas horas, quibus ea profeſtis diebus patet. R. P. *Abbas Adrianus* Bibliothecam iis paucis horis obit, ac *S. Auguſtino* navat operam, quamvis fortaſſe, ſi ita ſacer veſter conſeſſus juſſerit, eum aliquid operæ ad *S. Cypriani* editionem una cum aliis conferre oporteat. Urgendum enim, Illuſtriſſime Domine, hoc immenſum opus, ac maturandum: niſi, ut abſolvatur, Kalendæ nobis Græcæ expectandæ ſunt. Ita, ut juſtus progreſſus fiat, multa manu eſt opus.

**Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem,**

**Humillimus ſervus**
**PETRUS MORINUS.**

**Anno**

corpus veſtra authoritate tranſlata fuerint ac perſcripta, quæ Typographiæ mandanda viſa fuerint. Hocque corpore primitus empto ſatis ſuperque fuerimus uſi, vel potius cum univerſa opera *S. Auguſtini* juſſu veſtro fuerint edita, perfectumque hoc prope infinitum opus: tum demum omnia recte in manus cuſtodum dabuntur, ut perpetuò in Apoſtolica Bibliotheca extent, eadem prorſus, qua cætera, conditione atque lege. Nemini in idem piſtrinum hæc pervolvendi redeundum erit, nec cuiquam eadem immenſa diligentia perfungendum, nec repetenda, ut aiunt, crambe. Nam deſiderantibus inſpiciendi facultas erit. Hæc fortaſſe, Illuſtriſſime Domine, verboſius, quam oportuit: quòd fit ad occupatos brevitate utendum: atque hic idcircò conſiſtam.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Dominus cuſtodiat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. April.*

Epiſtola XIV.

## AD EUNDEM,

*De Operibus ſancti Auguſtini recognoſcendis ac diſtribuendis in editionem Vaticanam VI. Viris Scolaſticis Vaticanis.*

ILl^me & Rev^me D. Patr. mi Colendiſſ.

Quoniam, ob magnitudinem ac multitudi-

*Anno 1595. Menſ. Iunii.*

Epiſtola XV.

# AD EUNDEM.

*De eodem argumento, diſtribuendorum in ſingulos ſingulis D. Auguſtini, typis Vaticanis edendorum operum tomis.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Qui jam provinciam ſuſceperunt commentationum S. Auguſtini, magnum operæ pretium ſe facturos aſſeverant, valdeque libenter in eo munere perſiſtunt, RR. DD. *Abbas Adrianus*, Doctorque Pariſienſis *Obrius*. Egregios enim eſſe Vaticanos libros, magnumque eorum eſſe numerum, unde variæ lectiones pleræque excerpuntur, pleraque item, quæ in Lovanienſibus libris, quantumvis accuratis, deſiderantur: ut hęc editio, veſtra, Ampliſſimi Patres, authoritate ſuſcepta, Chriſtianæ doctrinæ lucem allatura ſit. Lovanienſes in ſingulos S. Auguſtini tomos ſingulas claſſes inſtituerunt, nec tamen niſi poſt multos annos opus abſolvere potuerunt. Nec ij claſſium illarum fuere duces, quibus de publico annona præberetur, ſed ſuis quique ſtipendiis militabant, ſatiſque putabant præmii in virtute ac officio eſſe poſitum. Quod, Illuſtriſſime Domine, non dubitandum, quin Scholaſticorum Vaticanorum excitet induſtriam: qui, detractis etiam his commodis, quæ à penu Palatina, & ab æra-

rio, ſuppeditantur, libenter operam navaturi fuerint, laude ſola ac virtutis conſcientia ducti. Hi verò jure expectant, ut à vobis, Patres Ampliſſimi, ad quodcumque opus adhibeantur. Vaticana autem Apoſtolica Bibliotheca, ipſorum palæſtra, officina, Gymnaſium & Academia eſt. Ac in conſpectum veſtrum, Illuſtriſſimi Domini, qui ad hoc munus à Sanctiſſimo Domino noſtro lecti fuerint, porro venient, ſi quando vobis, neceſſarias aliquas ob cauſſas, cœtum habendum eſſe decernetis. Neque enim unam ob rem aut ob alteram vultis, idque monuiſtis me. Interea vero ceſſare gravantur diligentes homines ac induſtrii. *Obrius* quidem, nulla interpoſita mora, opus ſuum eſt aggreſſus. Nec eum moratum eſt, quòd nullum olim operum S. Auguſtini corpus eſſet emptum. Libros ipſe ſibi providit, dum acciperet de publico, ne interim vacaret. Quam religionem cæteri etiam ſuperabunt, nedum imitabuntur. *R. Abbas* in primo tomo, ſtudium & officium ſuum ponit, *R. Obrius* in tertio. Oro itaque Illuſtriſſimam Amplitudinem veſtram, ut *D. Aldum* jubeat ſecundi tomi provinciam capeſſere. Hoc enim imperium vir probus ac navus expectat.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtrę; quam Deus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595.*

Epiſtola X VI.

# AD EUNDEM,

*Quis Cardinalium edendis operibus D. Auguſtini Vaticanis typis Præfectus habendus.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Jam decrevit Illuſtriſſima Amplitudo veſtra corpus operum S. Auguſtini parandum eſſe, ut Notariis Bibliothecæ ac Typographiæ Apoſtolicæ Vaticanæ ſuppeditetur. Quod cum factum fuerit, judicium eſt, Ampliſſimi Patres, penes quem illud corpus eſſe oporteat: utrum apud Illuſtriſſimum Dominum *Cardinalem Veronæ*, qui veſtri ſacri conventus in præſentia Princeps eſt, ac, ſententia veſtra, huic editioni præfectus: an apud Illuſtriſſimam Amplitudinem veſtram, qui es ex hoc ſacro cœtu unus, & ad hæc præfectus ærario Pontificio: an apud Illuſtriſſimum Dominum Quæſtorem. Hoc vero, pro officii munere exponi à me oportuit, ut, de eo, quod viſum fuerit decernatis,

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimę Amplitudinis voſtrę, quam Deus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

P

*Anno 1595.*

Epiſtola XVII.

## AD EUMDEM.

*De Scholaſticis Vaticanis occupandis aliiſque Regularium adjungendis D. Auguſtini recenſendis operibus.*

ILl^me^. & Rev^me^. D. Patr. mi Colendiſſ.

Non ſine cauſſa proximis diebus bis terque adii Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, qui, amans ſolitudinis & quietis, non admodum cupidi frequento procerum aulas: nam me officii neceſſitudo hortatur, ut quædam contra ingenium meum faciam. Hic autem ſtatus eſt Apoſtolicæ Typographiæ, cui, Patres Ampliſſimi, præeſtis, ut, cum à principio Sanctiſſimus Dominus Noſter. Sex Typographiæ ſuæ Scholaſticos legerit, eoſque per Sacram Epiſtolam juſſerit tum Illuſtriſſimo D. Bibliothecario Apoſtolico, tum vobis Patres Ampliſſimi, parere, inque veſtra poteſtate atque authoritate eſſe: duo poſtea ſupernumerarii ſint adjuncti, pridem *R. Obrius* Doctor Sorbonicus, ac proxime *R. Ioannes Dominicus* Troianus, Reverendiſſimo vero D. Sacriſtæ Apoſtolico ſubrogatus ſit *R. Aldus Manutius*, ſicque octo numero ſunt. Ex his unum & alterum operam Conciliis Navare oportet.

Cæteros vero, Patres Ampliſſimi, an penitus ceſſare vultis? ac præſtantis operis Architecti, fabros, ac operarios veſtros ad nullum opus, non ſine dedecore adhibebitis? Vix enim ſine probro, aut fabro Architectus, aut dominus ſervo non utitur. Homines docti & induſtrii ceſſatores & eſſe & haberi, haud æquo animo ferent. Ceſſatio enim dedecore vacare non poteſt. Ipſi autem arbitratu ſuo opus ſuſcipere non debent, ſed attributum à vobis munus ac opus exequi. Quamobrem Illuſtriſſime Domine, ſi in decreto veſtro perſeveratis, corpus operum S. Auguſtini quamprimum parandum eſt, nec ea emptio amplius differenda. Digna ea materies eſt, in qua ſe viri ingenio ac eruditione præſtantes exerceant, ſingularumque claſſium ſinguli Scholaſtici, vel etiam bini ſi ita videbitur Illuſtriſſimis Amplitudinibus Veſtris, ſint duces, aſſignatis iis aliquot adjutoribus ex Ordinibus religioſis. Vix dici poteſt, quantoperè libri Vaticani excuſos jam ac divulgatos adjuvare & illuſtrare poſſint. Nam periculum jam eſt factum. Oro igitur, Illuſtriſſime Domine, ne hoc diutius differatur, cujus mora tantum publici damni ac dedecoris habeat.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595.*

Epiſtola XVIII.

## AD EUNDEM,

*De recenſendis D. Auguſtini operibus & coëmendis exemplaribus, ne operam remittant Vaticani Scholaſtici adornantes.*

Quemadmodum veteribus claris ſcriptoribus moris fuit, ut alia ederent, alia facerent, alia meditarentur: ita Typographia Vaticana ſic inſtituta eſt, ut alia edantur ac excudantur, alia Scholaſtici Vaticani ad excudendum ornent & perpoliant. Cum igitur dudum decretum ſit, ut S. Auguſtini opera parentur, in Illuſtriſſima Amplitudine Veſtra eſt ſitum, & in Illuſtriſſimo Domino Quæſtore Apoſtolico, ut omnino corpus hujus Doctoris operum ematur. Quod niſi propediem fiet, magna Scholaſticorum veſtrorum pars ceſſatura eſt, omnium operum immunis. Quod, Illuſtriſſime Domine, committendum non eſt, nec hoc inurendum viris induſtriis dedecus, ut & uberrimam annonam & juſtum ſalarium capiant, ipſi vero ceſſatores in ignaviæ veniant ſuſpicionem. Quod crimen ut effugiant, implorant prudentiam veſtram ac benevolentiam erga ſe. Facturos enim, ne diligentiam ſuam in egregio opere, Patres Ampliſſimi, deſideretis, modo iis ſuppeditetis hæc arma militiæ ſuæ, Sumptum enim jure deprecantur in

eo, quod in multos diſtribuendum eſt, quodque publicum eſt futurum. Nam hoc operum S. Auguſtini corpus deponi tandem oportet in Bibliothecam Vaticanam, multa variarum lectionum copia ornatum, & poſteritati ad omnem memoriam conſecratum.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimę Amplitudinis Veſtrę, quam Dominus incolumem ſervet,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Septemb.*

Epiſtola XIX.

## AD EUNDEM,

*Vt ematur Corpus operum D. Auguſtini Scolaſticis Vaticanis adornantibus, ne cogantur ab opere manum retrahere.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Etiamne expectandum eſt, dum Scholaſtici Vaticani Deum hominesque teſtentur, non culpa ſua eſſe ſe ceſſatores? Studiumque ſibi eſſe, egregiam navandi operam, ſed materiam non ſuppetere. Illuſtriſſime Domine, obſecro, ut hoc tandem operum S. Auguſtini corpus ematur, ac nolitis, Ampliſſimi Patres, Scholaſticorum veſtrorum præclaro ſtudio deeſſa,

verum agatis cum Illuſtriſſimo Domino Quæſtore Apoſtolico, ut rem tandem conficiat, utque reſpondere poſſit ſciſcitanti Sanctiſſimo Domino Noſtro, eos in officio atque in opere eſſe. Nec vero, Optime Patrone, eſt expectandum, ut denuò Ampliſſimus conſeſſus veſter decernat eam emptionem, quæ utiliſſimorum laborum cupidos excerceat, ac flagitioſę ignaviæ crimen amoliatur. Hoc, quæſo, Illuſtriſſime Domine, vobis curæ ſit, qui doctos homines adhibendos ac exercendos ſuſcepiſtis.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Deus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſ. Septemb.*

Epiſtola XX.

## AD EUNDEM,

*De domicilio Vaticano D.* Obrio *providendo.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Prohibuit lippitudo, quo minùs iſtuc venirem, fecitque, ut libellum mitterem, vicarium diligentiæ meæ: Scripſeram autem exemplo libellum ad Illuſtriſſimum Dominum

Cardinalem Ioioſæ: ſed non miſi, veritus, ne in luctu, ſicuti eſt in proverbio, muſica importuna eſſet. At intelligit Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra pro ſua prudentia, ſe in præſens utriuſque partes agere debere. Eum demum oro, ut velit *D. Obrio* habitationem Vaticanam à Sanctiſſimo Domino Noſtro impetrare.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus Dominus incolumem ſervet,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

Epiſtola XXI.

## AD EUNDEM,

*De retinendo Romæ Agellio, ejuſque Typis Vaticanis & utili & neceſſaria opera.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ

Poſtquam intellexi, R. P. *Agellium* ablegatum iri ab urbe, valde dolui ejus virtute, doctrina, induſtria Typographiam Vaticanam eſſe carituram: ac idcirco Amplitudinem Veſtram Illuſtriſſimam oro, ut is, priuſquam hinc proficiſcatur, edoceat eos, qui Romæ manſuri ſunt, & Bibliothecæ ac Typographię Apoſtolicæ operam navaturi, quemadmodum pleraque exequi poſſint, quæ ipſe vel à ſe affecta, vel ſaltem cogitata, perficere non poterit;

epiſcopatu ſuſcepto. In his potiſſima eſt *editio Novi Teſtamenti Græci*, variarum lectionum Annotationibus illuſtrata, multa item alia, quæ eo abſente, utcunque explicabuntur. Ejuſmodi enim is vir eſt, ut urbicis Bibliothecis, quæ aliquot egregiæ ſunt, optimè uti poſſit, ex iiſque quamplurima promere, & ornare, quæ divulgata, maximam Eccleſiæ utilitatem, Sanctæque Sedi Apoſtolicæ dignitatem afferant, & quod caput eſt, pudefaciant adverſarios obtrectatores Eccleſiæ Catholicæ eoſque arguant, quod in quibus aliquid ſe eſſe arbitrantur, noſque præ ſe contemnunt, in iis nos, multo plus, quam ipſos intelligere vel potius ſe nihil intelligere, eamque vim ac poteſtatem principum Apoſtolorum eſſe, ut operariis ſuis benedicant, iiſque munerum divinorum ubertatem mirificam impetrent à Deo. In Patre *Agellio* egregia ſunt ingenii, doctrinæ, Sacrarum literarum intelligentiæ munera: ut non ſine cauſſa doleam, eo nos carere oportere, eaſque interire utilitates, quas ex ipſo perceptura Roma erat. Et vero, Illuſtriſſime Domine, ſi forte integrum eſt, libenter Amplitudinem veſtram Illuſtriſſimam orem, ut eo potius Sanctiſſimus Dominus Noſter, voſque proceres hic perfruamini, quam alio ablegetis, ubi ſingularis ejus doctrina campum nullum habeat. Non deſunt facultates tuendi hic hominis & ornandi, & ad ea accommodandi, ad quæ factus natuſque eſt. Nam & monent civilia rerum gerendarum præcepta ut vos, reipublicæ primores, nobis, mediocribus hominibus, ſciatis bene uti, noſque ad ea adhibere, quibus maxime idonei ſumus. In his, Illuſtriſſime Domine, ſi quid

me fallit, voluntatem meam certe vobis gratam fore confido.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Dominus tueatur incolumem,

PETRUS MORINUS.

*Anno* 1593.

Eipſtola XXII.

AD EUNDEM

*De annona Scholaſtici Vaticani à Sanctiſſimo ſibi providenda.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

De conſequendo eo demenſo annonæ, quod Scholaſticis Vaticanis præbetur, deque Salario, officii mei tuendi cauſſa, Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra intelligit, æquum poſtulatum meum eſſe. Ac idcirco eam oro, mihi ut apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum faveat, ejuſque Sanctitatem exoret, ut homini ſeni ac militi veterano hæc proſpici jubeat: quo voluntas & alacritas juvenum ad capeſſendos labores excitetur.

Illuſtriſſimę ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRVS MORINVS.

*Anno 1595. Menſe Quintili.*

Epiſtola XXIII.

## AD CARDINALEM

# DE TOLETO.

*De variis à ſe Typis Vaticanis editis & edendis Conciliorum operibus.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Gratulatus ſum Eccleſiæ Catholicæ, Sanctæque Apoſtolicæ Sedi, cum intellexi, Sanctiſſimi Domini Noſtri eſſe voluntatem, ſummam editionis Conciliorum penes Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram eſſe. Et quemadmodum ſæpe lætatus ſum, cum ambos, quos unice diligebam atque obſervabam, conjungi viderem & combinari, ętate diſpares quidem, ſed pietate & communis utilitatis ſtudio compares: ita nunc gaudeo, alteri ab Urbe profecto alterum eſſe ſubrogatum. Ac ex animo polliceor Illuſtriſſimæ Amplitudini Veſtræ, eandem operam, diligentiam, induſtriam, quam Illuſtriſſimo Domino *Cardinali Boromæo* præſtiti, ac probavi. Sæpe, Illuſtriſſime Domine, in animo habui, multas ob cauſas, adire ſalutatum Amplitudinem Veſtram, & nonnunquam etiam, ( ita multæ ſunt principum virorum occupationes ) moleſtus,

ac importunus veni. Ideoque ipſam oro, mihi ut certam diei horam indicat, qua, non magno ejus incommodo, poſſim adire, ut optimo architecto faber & operarius mei operis rationem reddam. Nam *in octo œcumenicis primis Conciliis, Græcis ac Latinis*, multi ſuſcipiendi fuere labores. Quorum, Illuſtriſſime Domine, ſępe optavi, ut ſpectator eſſes ac teſtis, eorumque mihi, ac præterea ſuperioris induſtriæ navatæ *in Bibliis Gręcis*, deinde *in Latinis*, præmii aliquid à Sanctiſſimo Domino Noſtro, ſubſidio huic ſenectuti, impetrares: cui memini olim me à D. Cardinali *Contarello* bo. mem. tanquam in manum eſſe traditum, & commendatum, idcircoque valde charum fuiſſe: cum is Amplitudinem Veſtram in fratris loco ac pene parentis diligeret, judiciumque ſuum domeſticis interdum familiariter declararet, ac quem ipſe diligeret, maximique faceret, à nobis quoque coli ac diligi vellet. Ejus benevolentiam ac obſervantiam erga te, Optime Pater, pene ſolus ſuperſtes ſum, qui meminerim: tum maximus natu fere omnium contubernalium, quique nunc ſexageſimum tertium ago annum ætatis, imbecillo corpuſculo, & afflictis viribus, ſola, juvante Deo, mente vivida. Quæ utinam ad extremum uſque ſpiritum ita ſit, ut patronorum meorum voluntati atque imperiis poſſim ſupereſſe. Atque ut hoc, Illuſtriſſime Patrone mi, exequi incipiam, ac apud Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram exponere, quo loco hæc Conciliorum editio ſit: excuſo jam *Concilio Nicæno*, ac ejus appendice, *Sardicenſi*, item *Conſtantinopolitano:* nunc *Epheſinum* eſt in manibus: quod, viſum eſt D. *Cardinali Cara-*

*ſæ* bo. mem. iiſque qui ipſi in Concilio fuerunt, trifariam partiri : in ea, quæ Concilium anteceſſerunt : in acta Concilii : in ea quæ Concilium ſecuta ſunt : idque novo ſed egregio more : nam antea temporis ac ordinis nulla ratio fuit. Prima Concilii pars jam excuſa eſt : altera excudi cœpta : cujus cum ſeptem ſint actiones, prima actio in manibus adhuc eſt Typographorum : ſecundam vero actionem, tertiam, quartam, quintam jam pridem edidi Scholaſticis Vaticanis, Typographicorum erratorum animadverſoribus. Cumque longo intervallo Typographia repetetur, opus habent in trimeſtre ſpatium. Partem adhuc habeo ſextæ actionis, & actionem ſeptimam : tum ea, quæ poſt Concilium facta ſunt : hæcque commoditatis cauſa diviſi in duos tomos, habeoque omnia, cùm expectarem, ut ad intermiſſum opus rediretur, viderem-que me non morari Typographiam, cujus-tum multa materia penes Scholaſticos Vaticanos ſit, pars nempe extrema primæ actionis Concilii, & pars altera, tertia, quarta, quinta, parſque ſextæ. Quæ vero adhuc habeo, Illuſtriſſime Domine, multum in iis commentandis, ut & in ſuperioribus, operæ, diligentiæ, ſtudii poſui : ideoque lætor hęc in manum iſtam eſſe ventura, ut tum ejus tractationem judiciumque ſubeant, tum ut à tanta tamque ſingulari humanitate ac benignitate teſtimonium aliquod laudis, ſi forte mereor, nanciſcantur. In commentando autem cum mihi non ſatisfaciam, idque tutum videam eſſe, labores meos alieni judicii feci, deque iis retuli ad R. *Patrem Sirmundum* Gallum Societatis Jeſu, qui magnam Eccleſiaſti-

corum monumentorum, literarumque Latinarum & Græcarum intelligentiam habet: cujus alicubi judicio & animadverſioni obſecutus ſum, idque valde libenter profiteor. Deinde ad alium quoque virum Doctiſſimum hæc miſi, ejus ſententiam ſciſcitans: eumque urgebo, ut inſpicere maturet, quo citius omnia, cum extremam manum impoſuero, ad Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram perferantur. In præſentia autem ea mitto, quibus defuncti omnes ſumus. Ex quibus Reverendi *P. Peltani* Latinum codicem valde ſtudui meum eſſe, ac penes me haberi, monumentum, inter alia, alicujus induſtriæ meæ: in eaque, peto ab Amplitudine Veſtra ut me adjuvet, mihique velit favere & gratificari. Nam publicum video librum eſſe. Quamvis enim *D. Cardinalis Carafa* bo. mem. fuerit, & ab eo teſtamento legatus, una cum cætera Bibliotheca impreſſa, nepoti Fratris *Antonio Carafa*: tamen ut Juriſconſulti definiunt, picturæ, propter precium ac dignitatem, à tabula cedi, ita liber hic cedit commentationibus laborioſis ipſi aſcriptis: ut amplius ab eo vendicari non poſſit, cui legatus eſt, ſed is ſatis debeat habere purum librum ſibi dari. Nec tamen ipſe petet, nec hoc morabitur. Hinc quidem reſpub. ſuum fecit, idque Annotationibus meis: propter quas eum mihi condonari opto. In *Anathematibus Cyrilli*, ac refutatione *Theodoreti*, *Cyrilli*que reſponſione, mirum fuit, undecimo ac duodecimo anathematiſmo, Latinis, quæ apud *Peltanum* eſſent, nihil in Græco reſpondere. Ideoque conſilium mihi cum eſſet, Græca vertere, commodum R. P. *Sirmundus* dixit, hæc ab Reveren-

do Patre *Turriano* bo. mem. eſſe tranſlata, deque iis mihi commodavit: quod tacendum non fuit, ne de aliena laude quicquam detraheretur. Hæc mitto, & Concilii canones, in quibus, quod pene ubique Eccleſiaſtica tranſlatio vetus videretur, mihi admodum temperavi, ne quid, niſi neceſſario, mutarem. Cætera, cum repetiero, &, quoad fieri poterit, perpoliero, iſtuc una cum Originali Græco afferentur. *Concilium* quoque *Chalcedonenſe*, quod inſequitur, quam operam deſideret, Amplitudini Veſtræ exponam. De cæteris quoque agam: quæ fateor à me, cum inchoarim, explicanda eſſe: idque libenter, ac ut diligentiſſime potero, faciam, patroniſque meis, Deo juvante officium meum probabo. Deinde mihi, Ampliſſimi Patres, ætate diuturniſque laboribus feſſo, miſſionem dabitis: non ut omnino vacem, ſed ut laborem remiſſius, & arbitratu meo, & ſenum more: qui graviorum laborum immunes, juvenum induſtriæ authores ſunt, & ſpectatores, & hortatores. De *œcumenicis* verò *Conciliis*, Illuſtriſſime Domine, quæ in Occidente orbeque Latino habita ſunt, valde cupio ab Illuſtriſſima Amplitudine Veſtra accerſiri Reverendum *Patrem Odoardum Carthuſienſem*. Qui hiſtoriæ illorum Conciliorum ſcribendæ munus ſuſcepit, jamque ad *Conſtantienſe* pervenit: ac explicare poteſt. Quænam de iis apud Illuſtriſſimum D. *Cardinalem Boromæum* decreta maximi momenti facta ſint: unde proficiſci oporteat, ab eóne, quod Alexandro III. Pontifice in Laterano habitum eſt, an ab eo, quod antè Innocentio II. Pontifice: tum *de Baſilienſi Concilio* quæ diſputata ſint. Amabit præterea,

ſat ſcio, Amplitudo Veſtra hominis tum doctrinam ac promptam memoriam, tum prudentiam cum ſimplicitate conjunctam, hominem apertum, ſincerum, verum, antiqui moris & officii, eaque omnia, quorum pectus completum habet, facile ac libere expromentem. Ita, quo ſtatu omnia ſint, ediſſeremus omnes, ac Amplitudini Veſtræ, ut ſpero, ſatisfaciemus.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ,
quam Chriſtus Dominus tueatur incolumem,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Sextili.*

Epiſtola XXIV.

## AD EUNDEM.

*De Concilii Epheſini & Chalcedonenſis editione & annua ſibi Ciſalpina penſione.*

ILlme. & Revmc. D. Patr. mi Colendiſſ.

Ut Illuſtriſſimæ Amplitudinis Veſtræ voluntati obſequerer, cui obſequor libentiſſime, miſi quoque poſtremam *Concilii Epheſini Græco-latini* partem nondũ à me perfectam. Eam, oro, ut ad me remitti jubeat, una cum *Concilio Epheſino Græco manuſcripto.* Quædam reſtant non minimi momenti, eaque quatriduo poſ-

lum abſolvere, ac ſtatim remittam. Deinde *Chalcedonenſe*, ſi remittetur, in manus ſumam. Doleo quidem, propter hæc, quæ imperfecta ſunt, nihil propius factum eſſe, quam ut contumax viderer, cum dimittere nollem niſi abſoluta, ideoque morarer, ac, propter exigui temporis moram, nihil damni fieri cogitarem. Verum omnia bene tandem Deo juvante, ceciderunt: ac nihil offenſionis fuit. Deum ſane ex animo precor, ut Illuſtriſſimæ Amplitudini Veſtræ aliquid à plurimis maximiſque occupationibus otii ſit, quo labores in his Conciliis meos, plurimis annis exantlatos, poſſit aſpicere, & Sanctiſſimum Dominum Noſtrum exorare ſenectuti meæ præſidia & adjumenta, quæ juvenis non valde deſideravi. Spem mihi affert Amplitudinis Veſtræ benignitas, qua adductus, poſt confecta *Biblia Latina*, commendationem ultro pollicitus es. Eam nunc multas ob cauſas deſidero, Illuſtriſſime Domine, eam ſpero mihi non defuturam. A Sanctiſſimo Domino impetrare cupio penſionem ciſalpinam, in qua attribuenda & ætatis meæ ratio habeatur, & præteritorum laborum, & præſentis officii mei, quo me Ampliſſimi Patres, Typographiæ Apoſtolicæ præfecti, ornarunt, cum me, *poſt Bibliorum Grecorum ac Latinorum, Synodorumque œcumenicarum commentationem*, quieturum ſperarem.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Sextili.*

Epiſtola X X V.

## AD EUNDEM;

***De ejuſdem Epheſini Concilii à ſe accurandæ editione.***

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Poſtremas *Concilii Epheſini* partes à folio 187. uſque ad ultimum 521. mitto in duobus tomis ad Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram : à me quodam affectas, ſed ſane nondum perfectas, quaſque in manus redire oportet, ut perficiantur. Atque idcircò eam exorare cupiebam, moleſtiæ fugiendæ cauſſa, ut ne hinc immature auferrentur, antequam abſolviſſem. Mitto præterea *Concilium Epheſinum Gręcum manuſcriptum , & idem Gręcum impreſſum in Germania.* Ad hæc *Concilium Chalcedonenſe Gręcum manuſcriptum , & Latinum impreſſum , & Græco Latinum manuſcriptum in duobus tomis* : quæ itidem nondum abſoluta ſunt. Hanc ob cauſſam oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut hæc penes ſe potius haberi velit, quo eorum facilior ſit uſus. Ipſemet portarem, ac quamprimum iſtuc venirem, quod multas ob cauſſas & opto, & debeo. Sed ignoſcat quæſo Amplitudo Veſtra ætati meæ, cujus ſexageſimum quartum jam

annum ago, aſſiduis præterea laboribus feſſus, quorum fructus *in Bibliis* olim *Græcis*, deinde *in Latinis*, in *Indice* demum ac *his Conciliorum voluminibus* conſtiterunt. Jamque me oportet Illuſtriſſime Domine, aſſidua opera, induſtria, labore cedere junioribus: quorum labores fortaſſe regere poſſum, exemplo Reipub. in qua labores, juvenum ſunt; conſilia, ſenum. Quæ commoda, quæque incommoda ſenectus afferat. Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra experitur. Ita ſpero fore, ut ſenex ſeni parcat, militi veterano egregius dux præclarorum operum.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Deus tueatur incolumem;

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno* 1595. *Menſe Septemb.*

Epiſtola XXVI.

## AD EUNDEM;

*De Hiſtoria Conciliorum, à Veſtano Epiſcopo &* Odoardo *Carthuſienſi edenda, deque Concilii Epheſini actis à ſe abſolvendis.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

D. Cardinalis *Carafa* bo. me vir utemorum

hominum admodum peritus, ( quæ non minima prudentiæ pars eſt ) de *Conciliis* edendis conſilium apud ſe cœtumque habuit clarorum ac in primis Europæ Doctorum virorum RR. *Epiſcopi* quondam *Veſtani*, *Cæſaris Baronii*, *Roberti Belarmini*, *Conſalvi de Ponce*, *Odoardi Carthuſienſis*. De eorum conſilio tum alia decrevit, quæ Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra ex *Patre Odoardo* & ex me, cum ipſi otium erit, cumque videbitur, audiet : tum ſingulis Conciliis ſingulas addendas hiſtorias, quæ ea illuſtrarent. Conciliorum autem *Nicæni*, *Sardicenſis*, *Conſtantinopolitani* : *Epheſini*, jam excuſæ hiſtoriæ ſunt, ac ſi forte miratur Amplitudo Veſtra Illuſtriſſima *Sardicenſe* in œcumenicis numerari, cauſas audiet ex Patre *Odoardo*. Harum hiſtoriarum ex illius conventus decretis condendarum, Reverendiſſimo D. *Epiſcopo Veſtano* negotium datum eſt ; quod ei plus, quam cæteris, otii ſuppetere videretur ad hæc enim ſcribenda idonei omnes erant : ac omnes demum de iis, quæ epiſcopus ſcripſiſſet, judicarunt : deque iiſdem ſententiam R. P. *Stephani Tutii* D. Cardinalis bo. mem. voluit ſciſcitari. Et quoniam reſiduæ inſequentium œcumenicorum Conciliorum ad octavum uſque hiſtoriæ penes Reverendiſſimum D. Epiſcopum Sarni, *D. Antonium Aquinatem*, ſunt : in rem eſſe videtur, eas ab ipſo petere : ut ſpatium quoque Amplitudo Veſtra habere poſſit de iis judicandi eam jam feci certiorem cæterorum œcumenicorum Conciliorum, in orbe Latino habitorum, hiſtorias R. Patri *Odoardo* eſſe mandatas. Sed præterea id ipſi negotii datum eſt, ut præfationem in omnia Concilia meditaretur. Quæ-

cumque prætetea geſta ſunt ac decreta, utinam, Illuſtriſſime Domine, otium aliquando habeas ex ipſomet audiendi ac fruendi homine vero, probo, ſincero, qui nihil celet eorum, quæ expromere debeat. Imo qui ultro promat, ac ſe ſuaque aperiat: cujuſmodi homines conſuetudine virorum principum digni in primis ſunt. Hunc quidem virum ſcio vobis omnibus, Ampliſſimi Patres, commendatum & charum eſſe. Verum interdum fit ut, propter molem graviſſimorum negotiorum, quæ ad ſummam remp. pertinent; qui medioeria tractant, raro aſpiciantur, ac in oblivionem veniſſe exiſtimentur. Si qua prçterea Reverendiſſimus Epiſcopus Sarni habet, quæ conſulta decretaque ſint. Monendus ut colligat, & ad Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram afferat: ac interdum vel accerſat Patrem *Odoardum*, vel eum adeat, prout utrique erit commodum: ac una de omnibus commententur ad *Tridentinum* uſque, & ad Amplitudinem Veſtram referant. Eam demum oro, ut extrema *Concilii Epheſini*, quæ nondum abſolvi, ad me referri jubeat. Ea cum aliquot dies habuero, ſtatim remittam. Præſtat enim apud alios eſſe, quam apud hominem ſenem.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1593. 20. Octobr.*

Epiſtola XXVI.

## AD CARDINALEM CUSENTINUM.

*De proœmio laborum ſuorum in edendis Bibliis Græcis à Smo. D. Sixto V. providendo.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Et ſi quæ in me conferre beneficia Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra in animo habuit, parum proceſſere, propterea quod pleraque non in authoritate ſolum tua, ſed etiam in quodam rerum eventu & aliena voluntate poſita eſſent: tamen me ſingulari tuo erga me ſtudio in perpetuum devinctum fore libenter confiteor. Peto autem ab Amplitudine Veſtra Illuſtriſſima ut, quoniam Sixtus V. fel. record. rationibus meis benigne conſulere voluit, ejuſque imperium ſummopere exequi ſtuduiſti, nec per rerum difficultatem potuiſti, facias, ut id aliqua ratione Sanctiſſimus Dominus noſter ac Illuſtriſſimus D. Cardinalis Datarius ſciant: quo intelligant laborum meorum præmia in hæc uſque tempora dilata eſſe. Spero Sanctiſſimum Dominum, teſtimonio & commendatione tua adductum, mihi liberaliter proſpecturum eſſe, ac Sixti V. bo. mem. voluntatem ſecuturum: ad quem

cum Cardinalis *Carafa* bo. mem. *Biblia* ei *Græca* oblaturus RR. *Fulvinum Vrſinum*, & *Flaminium Nobilium*, ac me præterea dixiſſet nobîs ſeruis ac humilibus filiis, pro magnitudine animi ſui dixit gratiam ſe maximam habere, ac ſingularibus verbis noſtram induſtriam laudavit, huncque nobis honorem habuit, ut numiſmata quoque ſua, aurea atque argentea, unicuique dare, ac præterea bene ſperare deliberalite ſua juberet cumque ei denuo à Cardinali Caraſa ſtudioſe commendatus eſſem, paulo poſt Illuſtriſſima Veſtra Amplitudo mihi dixit, annuam centum octoginta ducatorum aureorum penſionem mihi attributum iri. Antea vero admodum, pro ſingulari in me benevolentia, laboraras, ut penſionis trecentorum annum nummum parte dimidia potirer. Eam vero ſummam penſitaturus erat *D. de Boma* Sequanus, impoſitam prioratui ei dato. Poſt etiam, ſacerdotium uberrimi reditus, in Britannia Celtica ſitum ut haberem, ſtuduiſti. Hæc vero me omnia, Illuſtriſſime Domine, fugerunt, ac voluntatem egregiam tuam erga me eventus fruſtratus eſt. Id vero æquo animo uſque tuli, dum calamitas patriæ meæ Lutetiæ, ac miſeriæ preceſque conſanguineorum, animum percuſſerunt, ac impulerunt, ut viam aliquam iis ſubveniendi reperirem. Quamobrem oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut horum, quæ commemoravi, teſtimonium mihi apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum vélit dare, meiſque incommodis commendatione ſua opitulari. Nec vero neceſſe eſt, me hoc loco commemorare, libenti animo navaſſe operam Pſalterio Romano, id ipſemet, cum hic eſſes, intellexi-

ſti : id quoque cum ad urbem redieris, teſtificari apud te poterunt Reverendiſſimus D. præfectus cubiculi ac Reverendiſſimus *D. Marius Alterius* quibus probavi ſtudium meum, officium, induſtriam, diligentiam : quoſque puto nonnulla, quæ monui, in reditum tuum explicanda ac emendanda differre. Utinam eo contentus eſſe poſſem, Illuſtriſſime Domine, ut officia mea grata eſſent proceribus. Quid enim eo optabilius ? quid præterea requirendum eſt ? Verum quoniam id fortunæ meæ non patiuntur, ignoſcant oportet Patroni mei, & labores meos atque officia commemorantem ferant. Nam in his profecto turbis urbicis, in hac concurſatione hominum, pleraque non exaudiuntur, non aſpiciuntur : ut beatus ille ſit, qui officiorum ſuorum conſcientia tranquillo animo fruitur, nec aliena conſcientia opus habet. Hoc mihi non contigit, Illuſtriſſime Domine, ideoque Amplitudinem Veſtram precor ut eorum, quos expoſui, caſuum mihi ſit teſtis. Romæ. Ad xiii. Kal. Novembris M. D. XCIII.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, cujus manus deoſculor, quæque, Deum oro, ut ad urbem incolumis redeat,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſis Mart.*

Epiſtola XXVII.

AD

# D. BARTOLOMÆUM CÆSIUM THESAURARIUM APOSTOLICUM.

*De operibus S. Auguſtini à DD. Correctoribus illuſtrandis & recenſendis, deque ſumptibus in id neceſſariis.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Qui operum S. Auguſtini commentationem ſuſceperunt, poſthac ſunt ceſſaturi, niſi iis corpus univerſum ſuppeditetur, ut opus ſuum exequantur, utque in ſingulas claſſes ſinguli tomi diſtribuantur: ac demum, confecto, Deo juvante, opere, corpus ipſum, notationibus variarum lectionum ornatum, in Bibliothecam Apoſtolicam Vaticanam deponatur, ut ibi in perpetuum extet. Sic Illuſtriſſima Amplitudo Veſtra pro prudentia ſua, videt, publico ſumptu corpus illud DD. Correctoribus præberi oportere. Immenſum enim illud opus, maximi laboris, multique temporis, cum ab uno ſuſcipi non poſſit, pluribus correctoribus eſt imponendum quorum unuſquiſque princeps ſit alicujus claſſis quæ ex aliquot adjutoribus, qui ipſis adjungantur,

tur, conſtituatur, ac præcipue ex iis religioſorum ordinibus, qui S. Auguſtinum parentem & authorem inſtituti ſui habent. Nec vero æquum videtur, Illuſtriſſime Domine, communi illorum ſumptu corpus hoc emi. Singulos autem ſingula corpora emere, nimis ſumptuoſum eſt & grave, ac præterea ſupervacaneum. Si vero communi ſumptu emerint, conſtitui non poteſt, penes quem tandem univerſum corpus eſſe oporteat, ſociorum damno. Singulos autem Correctores ſingulis tomis, quos commentati fuerint, potiri, inutile ipſis eſt: quis enim velit ex omnibus operibus unum modo aut alterum tomum habere? Ipſi quidem debent, in hac militia, armis miliare ſuis. Verum, eorum arma ſpiritalia ſunt, ingenium, doctrina, induſtria, quæ ipſi omnia libenter ac diligenter conferunt: hunc vero ſumptum jure, mea quidem ſententia, recuſant. Nemo enim emat, quod ſuum futurum non ſit, vel quod ſibi inutile futurum, quodque ipſe non ſit habiturus. Quamobrem Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram ſummo ſtudio oro, ut, cum ei tantæ curæ Typographia Apoſtolica ſit, cumque intelligat, infinitum harum commentationum opus maturandum eſſe, nec ullo modo intermitti debere, velit Correctoribus quamprimum providere in univerſum hoc corpus, quod & publicum eſſe oportet, & Bibliothecæ tandem Vaticanæ cuſtodiendum mandari, cum ex eo in aliud corpus, quod itidem emendum tum erit, tranſlata fuerint, quæ Ampliſſimi Patres, ex formula diplomatis Sixti V. fel. record. excudenda edendaque judicarint. Illuſtriſſime Domine, ut maxime DD. Correctores hoc

ſumptu defungi cupiant, ſatis tamen copiarum non habent, ut id onus ſubire poſſint: quibus neceſſe eſt, ea annona, quam acceptant, eoque ſtipendio, quod datur, ſeque & unum alterumve famulum alere ac tueri: cum præſertim ſtudeant, aliquem eruditum hominem apud ſe habere, quo adjutore in officio ſuo utantur. Ita vix ſumptum neceſſarium habent, nedum extraordinarium ſuſcipere poſſunt. Grave autem his eſt hominibus induſtriis, ceſſatores haberi, ac, librorum inopia, omni opere eſſe vacuos. Quod fiet, niſi huic negotio prudentia & cura Amplitudinis Veſtræ proſpiciat.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Deus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Iunio.*

Epiſtola XXIX.

## AD EUNDEM,

*De eodem argumento operum D. Auguſtini illuſtrandorum.*

ILlme. & Revme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Illuſtriſſimus D. Cardinalis Veronæ cœtum

habere avet eorum, qui dant, quique daturi ſunt S. Auguſtino operam: neque id ante expedit, quam univerſorum operum ad eum corpus ſit allatum, ut ſingulis claſſium principibus ſingulos dividat tomos. Dixi autem nuper Illuſtriſſimæ Amplitudini Veſtræ, aſſeverare R. *Abbatem* ac R. *Obrium*, egregium hujus operæ fructum ac pretium fore. Idque cupio ipſammet ex iis ſciſcitari, quo citius corporis hoc, tam neceſſarium, expediat. Pluribus verbis egi antea, quantopere hoc in rem ſit, ſatiſque multa argumenta mihi videor attuliſſe, nec repetam, ne principi viro occupatiſſimo ſim moleſtus. Nec profectò tantopere urgerem, niſi etiam proſpicerem has Doctorum virorum commentationes Ampliſſimis Patribus Cardinalibus Illuſtriſſimæque Amplitudini Veſtræ, aliquando gratas & jucundas fore.

Illuſtriſſimę & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus ſervet incolumem,

Humillimus ſervus
PETRVS MORINVS.

*Anno 1595. Menſ. Novemb.*

Epiſtola XXX.

## AD EUNDEM,

*De eodem argumento, Operum illuſtrandorum D Auguſtini, emendiſque exemplaribus.*

ILl^me^. & Rev^me^. D. Patr. mi Colendiſſ.

Summo ſtudio precor Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram, ut mihi credat, ac ſibi perſuadeat, in S. *Auguſtini Operum* commentatione magnum operæpretium factum iri, utque quamprimum velit hoc emptionis negotium explicare. Id jamdudum Illuſtriſſimorum Patrum conventus decrevit: quem quoniam ipſamet voluit honeſtare præſentia ſua, ejus quoque decreta ſancta habet, eaque tueri ſtudet ac exequi. De quo verboſius non ſcribam, ne Principi multorum negotiorum mole occupato moleſtus ſim, neve apud memorem ea repetam, quæ ſuperiores meæ literæ expoſuerunt. Oro Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram ut hoc quamprimum confici velit, hortatur publica utilitas, cujus cauſſa hunc Typographicum cœtum ipſa ſtuduit obire. Si quid hujus negotii huic D. *Ioanni*, Presbytero Hiberno mandare voluerit, ſedulo & cum fide exequetur, idque ſpondeo.

Illuſtriſsimæ & Reverendiſsimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Deus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRVS MORIN.

*Anno 1595:*

## Epiſtola XXXI.

## AD SILVIUM ANTONIANUM
Sacri Cubiculi Apoſtolici Præfectum.

*De priſtina vitæ ſua ratione & laboribus, eorumque obtinenda remuneratione.*

ADm. Illuſtris & Rev. D. P. mi Col.

Multum adjuvare me poteſt Reverendiſſima Amplitudo Veſtra muneris mei ſtipendiis ab Sanctiſſimo Domino Noſtro impetrandis: idque ut faciat, ab ea ſummo ſtudio peto. Quod ſi rationes ac neceſſitudines meæ ferre poſſent, ut hac ope carerem gratuitamque operam Principibus Apoſtolis, Sanctæque Sedi Apoſtolicæ navarem: non video, quid mihi optabilius in vita contingere poſſit. Sed mea iis, ut ſpero, grata erit voluntas. Valetudo jam affecta, & ætas ingraveſcens urget, ut quibus ſubſidiis juvenis carere potui, ea demum quæram ſenex. Præclaris enim laboribus ſenectus paulatim obrepſit, cogitque ea commemorare, quæ obliviſci debueram. Fœlici Jubilei anno M. D. LXXV. Roma eſſe me reductum (nam huc decem ante annis ve-

neram ) nunquam non lætabor. Occaſionem nactus cœpi frequentare de propinquo Bibliothecam Vaticanam, ac diuturnam ſitim explere fruendi Græcis Eccleſiaſticis monumentis quæ divulgata non eſſe ſciebam. Patebat autem fere quotidie Bibliotheca tres matutinas horas. Quam multa ibi cupidiſſime legi. Nihil *Athanaſii* Græce erat editum, nihil *Origenis*, nihil *Gregorii Niſſeni*: non multa *B. Chryſoſtomi*, præ ejus immenſis operibus: pauca *Theodoreti*. Timebam oportunitatem, ne aliquando deeſſet: quod poſt evenit, ac, ut humana ſunt, fuit migrandum. Anno vero LXXVIII. quem in meis lætiſſimis numero, author fuit Papæ *Gregorio XIII*. Cardinalis *Montaltus*, poſtea *Sixtus V*. bea. mem. ut Bibliis Græcis Scholam inſtitueret, idque monente *Petro Ciacono*, qui ei valde familiaris erat, adjutaratque in *S. Ambroſii* operum commentatione. Statim Gregorius dedit *Cardinali Carafa* negotium, ut Scholaſticos aliquot homines convocaret eorumque cœtum haberet. Acceſſit Cardinalis *Franciſcum Turrianum*, *Petrum Ciaconum*, *Antonium Agellium* & me. Sed *Turriano*, quod propemodum auribus captus eſſet, ſuffectus eſt *Paulus Comitulus* ejuſdem RR. Jeſuitarum ſodalitatis: nobiſque poſt aliquod tempus aggregatus eſt *Fulvius Urſinus*. Cardinalis cum inter nos comparaſſet, libros Bibliorum veteres evolvēdos diſtribuit. Multa eaque recondita in medium attulit *Ciaconus* è Doctoribus Latinis. *Mihi* vero uni data eſt provincia *Commentariorum in vetus Teſtamentum* Vaticanorum quæ *Catenæ* dicuntur, evolvendorum ac perlegendorum, ut ex iis varias lectiones variaſque interpretationes *Aquilæ*,

*Symmachi*, *Theodotionis*, Quintæ præterea ac Sextæ Editionis exciperem, & in Annotationes conferrem, quas itidem ſcribendas ſuſceperam. Immenſum id opus tam multa legendi in quo vel totam hominis ætatem bene conſumi quis putaret, aliquot annis exhauſi, ac pleraque correxi ex Hebraicæ linguæ conjectura. Cujus laboris, peto ab Reverendiſſima Amplitudine Veſtra, ut in his incommodis meis & domeſtica clade ratio habeatur. Nam ſi mihi non peperci, non valetudini, non labori, ſi ad illam attuli ſcholam, Latinarum literarum, & Græcarum & Hebraicarum ſcientiam, ſi præterea linguæ Syriacæ, Æthiopicæ; Arabicæ: nam in has linguas Græca L X X. Interpretum editio tranſlata eſt, ac Pſalterium Æthiopicum Coloniæ excuſum eſt, Arabicum Genuæ: in Iſaïa autem Syriacis opus fuit literis. In Pſalterio, Æthiopica & Arabica Tranſlatione ſum uſus: ſi induſtria mea nullo loco defuit, ſi omnia conquiſivi, ſumpſi mea ſponte pleroſque libros à *Cardinali Sirleto* utendos, Græca cum Hebraicis ubique ſumma diligentia contuli, ſi ſolus omnium à principio uſque ad extremum perſeveravi: in calamitate patriç meæ ac domeſticis difficultatibus, & ſi non jure meo, ſed in beneficii loco & gratiæ, ſine reprehenſione auxilium peto, & hæc mihi videor ſine arrogantiæ & vanitatis ſuſpicione commemorare. Gregorius X I I I. quæ mihi detulit, in alios melius fortaſſe collata ſunt. Illuſtriſſimus *Cardinalis Palottus* penſionem primum mihi dare voluit C L X X X. aureûm nummûm, deinde CL. hæ minimè proceſſerunt: ad extremum dixit, *R. Mario Alterio* cum in *Pſalterio Romano*

diuturnas commentationes meas reſciviſſet, mihi ſe proſpecturum: id quoque fruſtra fuit. Nec tamen intermiſi laborem. Nam cum Cardinalis *Carafa* Biblia Latina, adhibitis *Flaminio, Nobilio, Anto. Agellio, Lælio, Valverdio*, ac *me*, detuliſſet emendata ad Sixtum V. ecce Pontificatu Gregorii XIV tu ipſe, Morine, dixiſti, ad Biblicos labores? Et miratus ſum. Sed tamen ab Illuſtriſſimo *Cardinali* M. Antonio *Columna* accerſiti ſumus, *Belarminus, Agellius, Lælius*, & *ego*: Cumque res traheretur, ab eo ducti *Zagarolum*, unà cum Illuſtriſſimo *Alano Cardinali* ac Reverendiſſimo *Miranda Magiſtro* S. P. ac ibi novemdecem totos dies commentati unà ſumus: cum Illuſtriſſimus *Columna* ea annotaret, & de quibus, obſcuris ac dubiis diſſentiebamus. Romam reverſis, quæ ipſe quoque attulerim, quæ diſputarim, ſciunt Ampliſſimi Patres, quibus me ſatisfeciſſe officiumque meum probaviſſe arbitror. Longum eſſet *de Indice* plura ſcribere, *deque œcumenicis Conciliis*, quorum maxima pars à me emendata etiamnum eſt penes RR. Vallicellis Patres, apud quos Illuſtriſſimus *Cardinalis Boromeus*, ab Urbe Mediolanum profecturus, hæc depoſuit, depoſitique adhuc partem exiguam repetiit. Horum, Reverendiſſime Domine, præmium ſit, ac ſenectuti levamen noviſſimo huic ſcribæ muneri, non parum laborioſo, attributum ſtipendium, & annona Palatina, quæ cæteris ſcribis dari conſuevit, quam memini præberi *Frizolio* cum mecum apud Cardinalem *Contarellum* viveret, ac nuper *Bruto*, cum in familia eſſet *Cardinalis Carafa*. Mihi explicanda pleraque onera ſunt: apud me habendus conſanguineus vo-

luntarii exilii ſolamen: utendum opera ſcribæ non indocti qui legat, qui nonnulla deſcribat, interdum enim magno meo incommodo, nec exiguo ſumptu, mitto ad pragmaticos parionos, quæ mihi deſcribant, ſcriptiunculaſque meas non ſine moleſtia divulgare cogor. Hæc expedi veteri amiculo, dedito à prima ætate ſtudiis ignobilis otî: cum tu nobile & cum dignitate conjunctum otium ſequereris: quem adoleſcentem memini Ferrariæ olim ſplendidam domum habuiſſe, ac celebre auditorium apud forum, colentem Eloquentiæ ac Philoſophiæ ſtudia, quæ te poſtea ad Juris prudentiam, ac demum ad reginam diſciplinarum omnium Theologiam applicarent: in qua tam magnos progreſſus habere te qui nunc miror, ac lætor, olim miratus ſum monumenta vetuſtatis fæliciter tractantem cum audirem dici, multas te *Livii* hiſtorias Cardinali *Ferrarienſi* memoriter recitaviſſe, ipſumque Cardinalem, ac eos qui adeſſent in ſummam admirationem adduxiſſe. Hæc eadem, tametſi non tam feliciter, amavi ſtudia, & Philoſophiæ Juriſque prudentiæ præceptis authore patre meo, egregio Juriſconſulto, informatus, contuli me, relictis pragmaticis atque cauſidicis, ad Theologiæ copioſiſſima monumenta in quibus ab hinc triginta annis acquieſco, quæque S. *Thomas*, & *Magiſter Sententiarum* & *Summa Damaſceni* collegerunt, libenter in veteribus doctoribus recognoſco, iiſdemque in campis uberrimis ad extremum uſque ſpiritum verſari cogito. Quamobrem oro Reverend. Amplitudinem Veſtram, ut me in tuendo ac gerendo impoſito munere apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum juvet, cui

precum mearum dabo libellum, magnaque ſum ſpe, fore, ut ejus Sanctitas dum Scholaſticis Vaticanis proſpicit, mei quoque eadem benignitate habeat rationem. In eo ſuffragatorem & patronum habeo Illuſtriſſimum Cardinalem *Caietanum*, quicum præterea egi ne doctori *Franciſco Collado* ob nationem præſcribatur. Nam quamvis ſapienter inſtitutum ſit, hæc munera diſpertienda eſſe nationibus: tamen is eſt *Colladus*, eaque Theologiæ, ac linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ ſcientia, ea probitate, ſanctimonia, religione, ejuſmodique habet lectiſſimorum hominum teſtimonia, ut vel extra ordinem in eorum numerum recipiendus eſſe videatur, dignuſque ſit, qui te fautorem, adjutorem, & egregiorum operum alipten atque hortatorem habeat. Senili garrulitati veniam orarem, niſi cum eo agerem, cui ipſi ſenectus imminet, morumque ſenilium ſemper affinis gravitas, quæ ſibi nihil ignoſcens ignoſcit libenter aliis, verboſumque ſenem ferre poteſt.

**Admodum Illuſtris & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Chriſtus tueatur,**

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1593.*

Epiſtola XXXII.

## AD EUNDEM,

*De edendis à ſe Ioan Chryſoſtomi* de ſacerdotio *& aliis, ac ſibi opitulando.*

ADm. Illuſtris & Rme. D. P. mi Col.

Mihi conſilium erat, *S. Joannis Chryſoſtomi* divinos de ſacerdotio libros, Græce tantum excudendos curare. Verum ab Reverendiſſima Amplitudine Veſtra monitus, mutavi ſententiam, & conſtitui, cum Græcis Latina conjungere. Itaque hæc *Germanii Brixii* cœpi emendare: teque ſummo ſtudio precor, ut aliquod induſtriæ meæ ſpecimen capias. Utar autem in his edendis Typographia *Zanetti* quæ in hac vicinia eſt, quæque egregiis characteribus edidit *Laërtium.* Cumque hoc opere fuero perfunctus, in animo habeo *S. Chryſoſtomi* præclaram *orationem in Babylam martyrem*, duaſque *Gregorii Nyſſeni* conjungere, alteram *in Sanctum Stephanum*, alteram *in S. Theodorum* Martyrem: quibus in orationibus ſingularia teſtimonia ſunt de Invocatione Sanctorum, deque ſacrarum reliquiarum divina poteſtate. Adjunxiſſem è *Therapeutica Theodoriti* octavum librum, valde luculentum περὶ

Q vj

*μαρτύρων τιμῆς*, niſi jam Græce edita à Germanis hæc Therapeutica eſſet, qui in hoc æmuli Romanorum atque adeo Catholicorum omnium induſtriæ occuparunt, ac R. D. *Fulvii Vrſini* diligentiam prævertcrunt, qui hoc opus pollicebatur, meo monitu ac juſſu *Cardinalis Sirleti* bo. mem. deſcriptum è Bibliotheca ſive ipſius Sirleti, ſive Vaticana. Operæ pretium autem eſſe puto, dum omnia Doctorum opera Græcè pervulgentur (quod utinam ætate noſtra fiat, hæc interea carpi, ac edi, quæ Eccleſiæ Catholicæ inimicorum inimicam confutent inſaniam. Hęc enim fortaſſe Græce legent qui Latinas tranſlationes faſtidiunt, nec curant in manus ſumere. Quamobrem mitto quædam excerpta quæ delectabit te recordari) Chryſoſtomi de Sacerdotio. Græca impreſſa ſtudui mandare cum Vaticanis libris conferenda. Sed me deterruit propoſitus magnus ſumptus. Peto itaque ab Reverendiſſima Amplitudine Veſtra, ut me in his velit commendatione & gratia ſua juvare. Intereſt reipub. ait Ariſtot. induſtriam non eſſe *ἀχορήγητον*; ſed ei præberi idoneos ſumptus. Bene apud me collocatum iri quæcumque dabuntur ſponſores multos habeo, tum vivos, tum mortuos. Inſumam enim in utilitatem communem Eccleſiæ, quam ad metam jampridem laborum meorum conſilia direxi. Opus modo eſt adjumentis: opus ſeni qui quædam legat, alia excerpat è libris, alia quæ ſcripſerim, deſcribat, atque adeo nulli non officio datur adjutor. Utinam ex ſententia mea poſſem, quædam, in Bibliotheca Vaticana, deſcribenda curare, quædam cum veteribus libris conferenda atque emendanda. Aliquid profe-

cto navarem amplius. Sed hæc ad occupatum ſentio verboſiora eſſe: quæ pro incommodis & difficultatibus meis brevia eſſe duco. Nam de conſanguineorum meorũ ærumnis, ac precibus querimonias meas refricare nimis moleſtum ac longum eſſet: propter quas enitere, obſecro, ut etiam mihi ſubveniatur.

Admodum Illuſtris ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam incolumem Chriſtus tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1593. 26. Maii.*

Epiſtola X X X I I I.

## AD EUMDEM,

*De non movenda Bibliotheca Vaticana, ejuſque uſu ſibi ſervando.*

ADm. Illuſtris & Rev. D. P. mi Col.

Poſtquam aliquot abhinc annis Illuſtriſſimus Patronus meus ad ſe me recepit commota non eſt Bibliotheca mea. Viſum eſt, ut veſtiario; cui eſt adjuncta, ſic ei parcendum eſſe. Ingenti enim molimine, multaque manu opus eſſet, ad armaria commovenda: multo præterea cuſtode ad transferendos libros, quibus auxiliis careo: nec valde deſidero. Ut autem olim Vezonæ cuſtos, fui

copioſæ Bibliothecæ, è qua Dominus Epiſcopus modo hos, modo illos libros, prout uſus erat, accerſebat, ac deinde remittebat: ita hæc Bibliotheca Patrono meo Cardinali adeo uſui fuit, ut mihi videretur herilis: cum identidem mitteret qui alias hunc peterent librum, & ad ſe afferrent, alias alium. Eo abſente, peto, quam maximo ſtudio poſſum, ab Illuſtri & Reverendiſſima Dominatione Veſtra, agat cum Sanctiſſimo Domino noſtro, ut, ſi quidquid, hujus Bibliothecæ adjumento pridem navavi in editione *Bibliorum Græcorum*, deinde in *Latinorum*, proximeque in *œcumenicis Conciliis*, gratum ejus Sanctitati acceptumque: hoc proprium mihi commodum perpetuumque velit eſſe. Immobilia hæc bona ſunt, iis prope conſimilia quæ ædificiis adhærent. Ægrè commoventur, ægerrimè autem ab iis divellor. Quibus juvenis uſus ſum, in his acquieſco ſenex, bonis amicis & jucundis. Scitum autem eſt illud Publianum, *Aſpicere oportet, quod times deperdere*. Itaque ab hac ſtatione & cuſtodia æquo animo diſcedere non poſſum, quæ tantopere cordi eſt. Faciat quæſo benevolentia veſtra erga me, ut hoc metu ac æſtu Sanctiſſimus Dominus in perpetuum me liberet. Nam metatorem ego ac libri mei jure, pro poteſtate officii, formidamus, is, opinor, mihi libenter parcet, ſi Sanctiſſimi voluntas erit: de qua, peto iterum, Patrone mi, ut bono animo eſſe me jubeas.

Admodum Illuſtris ac Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus tueatur incolumem

Humillimus ſervus vetuſque amiculus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595. Menſe Iunio.*

Epiſtola XXVI.

## AD EUNDEM,

*De Penſione Ciſalpina, & otio ſeni & emerito impetrando, Nepoti recens appulſo.*

A Dm. Illuſtris & Rme. D. P. mi Col.

Defunctus jam multis laboribus, commentatione *Bibliorum Græcorum*, ac *Latinorum*, deinde vero *Indicis*, & *Conciliorum generalium*, oro Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, ut me gratia ſua & commendatione juvet in adipiſcenda penſione Ciſalpina, qua & ætati meæ ingraveſcenti proſpiciatur, & præteritorum officiorum meorum, & præſentis muneris, voluntatiſque obtinendæ induſtriæ ratio habeatur. Nam iiſdem in officiis, ſed aliquando remiſſius, & ſenili ſtudio, perſeverare in animo mihi eſt. Nuper Romam venit ſororis meæ filius, juvenis ſcientia Latinarum Literarum, & Græcarum, & Hebraicarum excultus, eruditusque præterea Philoſophicis diſciplinis, cui ea cogito mandare, quæ exequi nunquam mihi fuit otium: ut videlicet commentarios pleroſque meos, ſed maxime Theologicos, in ordinem locoſque communes redigendos curet. Nam hunc

video ſcripturire: cui ſtudio non valde deditus fui, quodque mihi ab iis ereptum eſt, qui ſcripta mea ab aliorum ſcriniis proficiſci, aliquando cavillati ſunt. Eum, ſi quando videbo non eſſe incommodum, iſthuc ſalutatum ducam. Non enim ita eſt, ut nonnulli exiſtimant, parum meam erga te obſervantiam profuiſſe: qui, dum vivam, meminero, quantopere adjuverit, præſertim in iis mandandis partibus, per quam honorificis, quas alii affectârunt, mihique nulla ratione inviderunt, ubi ſi Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ expectationi ſatis feci, ſi ſtudium meum non defuit, & quantulacumque eruditio, oro, ut opus tuum, & tuum clientem, tuique imprimis obſervantem, tuearis. Nam eo, quod peto, mihi valde eſt opus, ſeni & arduis laboribus feſſo.

**Admodum Illuſtris & Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Dominus incolumem ſervet,**

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

*Anno 1595.*

## Epiſtola XXXV.

## AD R. P. BARTHOLOMÆUM DE MIRANDA,

Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtoli Magiſtrum.

*De expurgatione Lexicorum & Dictionariorum, & iis utendi facultate Nepoti ſuo concedenda.*

PAter & Rev. D. Patr. mi Colendiſſ.

Reverendiſſimum Patrem *Picum* oravi, ut mihi de animadverſionibus in hæc lexica Græca commodaret, quò poſſem ea delere ac plane inducere, quæ pietatem moreſve Chriſtianos labefactare poſſunt, quod is libenter gratificatus eſt. Comperi autem pleraque juſtis cenſuris eſſe notata quæ in aliis dictionariis poſita ſunt, in hoc vero propter brevitatem, non ſunt. In verbo, πίστις, fides, nonnulla jam hoc in libro, hæreticorum perverſitati conſentanea inducta prorſus erant, quædam alia à quibus piæ aures abhorrere debent, non ſolum obliteravi, ſed etiam curavi inducenda, ne ulla unquam ratione legi queant. Lexicorum authores, quia primus, ob vetuſtatem, incertus eſt author, paſſim permittuntur. Sic pro incerto habeo hoc dictionarium quiſnam condiderit. Quamobrem à Reverendiſſima Paternitate Veſtra peto, ut

hujus libri habendi ſororis meæ filio poteſtatem faciat : quam mihi olim veniam Reverendiſſimus Conſtabilis [a] deceſſor tuus dedit : quo tamen libro vix unquam ſum uſus : nec valde hic juvenis deſiderat, ac dixit carere ſe poſſe. Verum cum jam expurgatus ſit expedit habere, tametſi perraro quis utatur. Hunc juvenem excultum Latinis literis, Græcis, Hebraicis, Philoſophiæque diſciplinis informatum, &, quod caput eſt, alieniſſimo ab hæretica pravitate animo ſpero reipub. Chriſtianæ aliquando uſui fore. Ideoque eum cupio Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ boniſque omnibus eſſe commendatum. ſi tamen, quod cupio & ſpero, merebitur. Eam demum oro, ut commendationem quam mihi benigne pollicita eſt, exequatur, ac ætati meæ ingraveſcenti ſubſidia, præmia diuturnis laboribus voluntati ſemper aliquid navandi facultatem & adjumenta à Sanctiſſimo Domino Noſtro ſtudeat impetrare: hoc enim, ſalvo pudore, ab iis petere poſſe mihi videar, quos induſtriæ ac laboris hortatores ac teſtes habui.

Reverendiſſimę Paternitatis Veſtræ, quam Chriſtus incolumem ſervet,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

[a] Fuit *Paulus Conſtabilis* Ferrarieuſis Magiſter ſacri Palatii creatus à Gregorio XIII an. 1573. inde Magiſter Ord. Generalis 1580. cui ſublectus S. P. Magr. F. *Sixtus Fabri* à 1580. ad 1383. tum F. *Thomas Zobio* à 1583. ad obitum ejus 1589. cui ſuffectus F. *Vincentius Bonardus* à 1589. ad 1591. tum F. *Barthol. de Miranda* à 1591. ad

1597. 7. Junii quo obiit. hunc excepit F. *Ioan. Bapt. Lancius* à 1597. Cujus anno ſeq. 1598. F. *Ioan. Maria de Guanzellis* de Briſighella locum implevit ad 1607. 25. Junii, quo Polymnianenſis Epiſcopus F. *Auguſtinum Galaminium* ſucceſſorem habuit anno uno 1607. Magiſter Ord. 1608. ac 1611. Cardinal.

Epiſtola X X X V I.

## AD PRÆLATUM PONTIFICI à Secretis, Anepigraphe.

*De Gennadio à ſe illuſtrato & edendo.*

REvme. D. Patr. mi Colendiſſ.

Ex ſententia & voluntate tua facturum me exiſtimavi, ſi hoc honeſtum otium, in quo à te liberaliſſime ſuſtentor, ad aliquam utilitatem publicam, & reip. Chriſtianæ dignitatem referrem. Qui enim viderem te cæteroſque tui ſimiles, proceres Eccleſiæ Catholicæ, ipſius Eccleſiæ temporibus & commodis omni ope ſervire, nec ullum prætermittere reip. adjuvandæ locum: me quoque judicavi, qui in clientelam tuam & familiam beneficio tuo veniſſem, eandem mentem, ſtudium, conſilium ſuſcipere debere. Cætera ſtudia mea non commemorabo hoc loco, ne longior ſim, neve moleſtus, atque adeo ineptus. Intelligo enim, quam ſit putidum quamque lubricum, de ſe quempiam, niſi ob cauſam neceſſariam, aut ſcribere, aut loqui. *Gennadium* autem, qui homo Græcus Græce ſcripſit, ut ipſi Græ-

ciæ & popularibus ſuis pleroſque errores eriperet, cum multo ante in Bibliotheca Vaticana legiſſem, quam ederetur: gratum tibi arbitratus ſum laborem meum fore, nec inutilem Eccleſiæ, ſi pleraque ab eo vel non animadverſa, vel prætērita, & ad eandem ſententiam pertinentia, in lucem afferrem, eaque præſertim quæ in veteribus Græcis monumentis abſtruſa, vel à Latinis doctoribus egregie ſcripta, maximum pondus habitura viderentur, ad reconciliationem Græciæ, & ad majeſtatem Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ſanciendam. Ea ſane edi expediat, necne, non eſt exiſtimationis meæ, judicium & authoritatem tuam, atque aliorum libenter ſecutus ſum, quique hæc, quantulacunque ſunt, Eccleſiæ matri offerrem, intelligo, ſacrificiis atque oblationi obedientiam præſtare. Voluntatem quidem meam & conatum tibi probatum iri confido, qui & fautores atque haberis hominum doctrinæ ſtudio deditorum, præſertim Eccleſiaſticæ, & iſta vides domi tuæ nata, & ab eo ſcripta, quem alis ac tueris, quique his in rebus libenter operam ſuam ponit, ac fatetur ingenue, judicium tuum eſſe oportere, quam ad artem quiſque eorum, quos domi habes, maxime ſit idoneus. Sui enim ſuæque facultatis vix quiſquam eſt verus exiſtimator ac judex. Quod vero me antea ſuppudebat, ſi quando ex me quæreretur, quam mihi partem hujus præclari muneris mandaſſes, quòd vererer, ne inertiæ atque ignaviæ vacatio mea tribueretur, eum conſuetudo diuturna pudorem abſterſit, & humanitas tua, & quod hæc, tracto, laudi quoque à te, & bonis omnibus ducuntur. Nihil

enim plane ſentirem, ſi horum expertem eſſe me ideo moleſtè non ferrem, quod non viderem, quàm egregia & illuſtris iſta ſit, quam adminiſtras, provincia. Nam quale quantumque munus illud ducendum eſt, cui ſummi Catholicæ Eccleſiæ Pontificis, & œcumenici paſtoris acta omnia, beneficia, reſcripta, edicta, leges item, legumque interpretationes committuntur? cui ſcrinia omnia ſacra ſive precum oblatarum, ſive diplomatum Pontificiorum, ſive obſignationum credita ſint? Cumque princeps Eccleſiæ, viva vox ſit Eccleſiaſtici juris, quæ is per ſubſcriptionem conſtituit, quæ per libellum ac de plano interlocutus expedivit, ea excipere & oracula ſacra perferre ad homines, magnum eſſe & perhonorificum omnes intelligunt. Et quoniam princeps ipſe neminem à ſe, quoad ejus fieri poteſt, triſtem vult diſcedere, ſummæ virtutis eſt, ſummæque prudentiæ, frangere nonnullorum cupiditatem immoderatam, docere homines, quid verum, quid æquum ſit, quid ſine alterius injuria fieri non poſſit. Quid delectum habere hominum? quid noſſe, quid negandum ſit, quid pleriſque indulgendum, quid ſine exemplo nonnunquam concedendum, & occultis actis? Hæc igitur, cæteraque omnia tot ac tanta cum ſuſtineas, ac geras voluntatis & juſſorum juſtiſſimi ſanctiſſimique Pontificis diligentiſſimus atque integerrimus adminiſter, cumque harum rerum uſu multa quotidie addiſcant ij, qui à te adhibentur, quique tibi præſtò ſunt: & in iis eſſe ſtudui diſcendi ipſe quoque cupidus, olimque adoleſcens deditiſſimus juriſprudentiæ: & voluntati tuæ libenter acquievi, non

inſcius, ubi eſſem, aut apud quem viverem. Si quis miratur, vacuum me eſſe, poſſum dicere, niſi cui forte aliquid negotii extra ordinem mandas, uni & alteri locum eſſe, ſive libellorum ſubſcriptorum annotanda ſumma, ſive ex illa annotatione, & ex præſcripta á té die atque anno, libelli in tabularium mittendi ſunt, ut ab actuariis in literas publicas referantur. Quare quæ nuper Græce ſcripſi, vacuus omni negotio, & hoc honeſtiſſimum otium nactus benignitate ac liberalitate tua, Patrone optime, ea, ſi quando jubebis, edentur: quæ vero è Græcis verſa ad te nunc affero, ut ea judicii tui faciam, peleges, ſiquid dabunt maxime occupationes temporis. Eum verò, qui hæc ſcripſit apud te, & in clientela ac fide tua, hominem tibi deditiſſimum, tuique amantiſſimum & obſervantiſſimum, perge tueri, ut facis. Meæ enim omnes ſpes atque opes in te uno poſitæ: te reſpicio, ex te pendeo. In accipiendo beneficio multum intereſt, à quo quis accipiat. A bonis accipere, ſummæ laudi datur. Quæ habuero à te, ea vitæ meæ non ſolum præſidio, ſed etiam decori ornamentoque futura ſunt.

Reverendiſſimæ Amplitudinis Veſtræ, quam Chriſtus incolumem tueatur,

Humillimus ſervus
PETRUS MORINUS.

Epiſtola XXXVII.

# AD JOSEPHUM CASTELLUM,

Veronenſis Epiſcopi Cancellarium.

*De nova ſua Rhetorices editione.*

ETſi non longè hujus libri nova editio progreſſa eſt, Patrone Illuſtriſſime, nec ſpem magnam habeo nullum ejus imprimendi intervallum futurum, propterea quod is qui opus conduxit, exiſtimetur ad rationem ſuam ſuſceptum opus accommodaturus, & ſi ſua res ita ferat, intermiſſurus: tamen in rem eſſe puto, jam de titulo libri cogitationem à nobis ſuſcipi, in quo ſi meæ quoque ſententiæ rationem habendam judicas, conſideres velim, an is tibi probetur, cujus exemplum mitto. Addit librum ſcriptum ad Acolythos, & jam placere tibi ſignificaſti, & id quemadmodum expediri poſſit *Celſus Paſius* dixit ſe tecum acturum. Quemobrem ejus in titulo mentio facienda mihi eſſe viſa eſt. Quod autem qui primum *Rhetoricæ* libri, tum Veronæ, tum Venetiis, tum Mediolani excuſi in multorum manus venerunt, & trans alpes in Germaniam, & Hiſpaniam, & in Galliam quoque noſtram portati ſunt: qui autem proxime Veronæ, numero fuere pauci, nec publice expoſiti, ſed iis diviſi quibus tu voluiſti: idcirco, quaſi denuo impreſſi non ſint Veronæ, auctos eos &

locupletatos eſſe, qui Romæ divulgantur, recte, mea quidem ſententia, ſignificabitur. Nam primum edita plerique cum legerint, eos, ne relegendi ſit faſtidium ſcire oportet, bene operam iri poſitum. Tam multa autem correcta ſunt & addita & mutata, ut id lectorem fugere non debeat. Ita faciendum ſi judicabis, utramque præfationem, Veronæ à me ſcriptam, adjungendam eſſe exiſtimo. Qui enim legent, admoniti, quæ acceſſerint, ea, ſuo quæque loco, ſi deguſtare volent, requirent, cætera vel prætermittent, vel, ſi libebit, in otio recolent. Nec ulla ratio eſt, iis, qui Veronæ iterum excuſa, eſſent lecturi, mea præfatione conſultum eſſe, non conſuli his, qui hæc recentiſſima legent. Omnium enim communiter utilitati ſerviendum. Quod ſi Reverendorum Medicæ, *Adorni*, *Emanuelis* mentionem non prætermittendam ſtatuiſti pro modeſtia, exæquitate animi tui & benevolentia in ipſos, minus committendum eſt, ut quenquam hoc tempore fallat, quid illis te debere profitearis, quam tum, cum privatim hæc excuderentur. Quare & titulum Veronæ excuſum retinendum eſſe puto, & in meis præfationibus nullam literam eſſe mutandam: Id modeſtiæ eſt, & ſimplicitatis tum tuæ, tum etiam meæ (ſi tamen me, imitatorem laudum tuarum, ejus laudis ſocium eſſe pateris) in eo te ſimilem eſſe tui, quæque Veronæ impreſſa ſunt, eadem recudere Romæ. Nihil laudis detractum erit, vel illis amicis tuis, tui cupidiſſimis, vel his, qui Romæ aliquid operæ navarunt. Id modo in iis præfationibus adjungam, ubi ſcripſerim, &, quo quidque anno ſcripſerim. De his quid fieri jubeas, ex-

pecto,

pecto, & quicquid ſtatueris, ſtudium meum, & voluntatem tibi ſpero gratam fore.

Româ. *Die* 9. *Maii. Anno* 1596.

Epiſtola XXXVIII.

# MORINUS PRUSTO.

## VERONAM.

*De eo cooptando in Vallicellicorum Patrum Congregationis Oratorii Sodalitium, Neapoli: & peregrinatione ejus in Garganum, Barium, &c.*

TUi quidem doloris cauſſa, doleo aliquid tibi, non ex ſententia & ſpe tua accidiſſe. Qui enim aliter poſſum? Verùm multo magis mihi dolet, quòd, quo conſilio te in comitatu eſſe Illuſtriſſimi Domini Oratoris optavi, quodque in eo maxime ſecutus ſum, id mihi non aſſequi videor, ut apud eum plurimùm verſeris, ejuſque ſingulari perfruaris doctrina. Non enim dubito, quin in longo itinere aliqua ei naſcatur cauſſa de rebus Eccleſiaſticis ſermonis, quem excipiens & melior fias & doctior. Ego quidem à principio eum propter & Rempub. & ſummam ipſius exiſtimationem cœpi colere. Cum autem aliquoties audiviſſem, tum ſenſi multum acceſſiſſe ad benevolentiam & obſervantiam meam, nullumque prætermiſi ei inſerviendi locum: ac niſi hæc, quæ me etiam nunc male habet, tuſſis & gravedo prohibuiſſet, longe etiam magis aſſi-

R.

duus apud eum fuiſſem. Et mihi ipſe teſtis eſſe potes, quos tecum de eo ſermones habuerim, ut ſtudium tuum audiendi ac diſcendi excitarem, quod ut obtineas, tibi etiam atque etiam author ſum, qui melius, quam tu, intelligam, id tua magni referre. Atque ideo laudo moderationem animi tui, qui ſcribas, ſcire te, perquam honorificum tibi eſſe, habere cum eo iter, & qualicunque eſſe loco. Nam vides, non tam commoditati tuæ atque utilitati conſulendum, quàm ipſum ejuſque proximos ac neceſſarios decernere oportere, quid è re ejus ac dignitate ſit. De eo enim nec tua nec mea exiſtimatio eſt, nedum judicium. Ejus benevolentia gratiaque contentum eſſe te oportet, qua ego quoque ſum contentus, eamque ſemper maximi feci, ac nunc facio. De eo vero, quod faciendum tibi eſſe judicaſti, id, pro conſilio animi tui, vel laudi erit, vel vitio dabitur: ex conſiliis enim plerunque, ut ipſe quoque intelligis, facta penduntur. Mea quidem cauſſa nihil ſecus facere debuiſti, fateor enim, non tanti me eſſe. Nec pluribus verbis docere te debeo, rem meam ferre non poſſe majores ſumptus. Ut autem poſſit, contendiſſe Illuſtriſſimum Dominum, meminero, dum vivam, memineris & ipſe, utrique enim conſultum voluit. Nam & à principio rogatus diligenter egit, ac pene impetravit: & poſtremò, tui meique fecit ultro mentionem, quod in ſingularis beneficii & gratiæ loco pono, ac ſpero ejus commendationem mihi plurimùm eſſe profuturam, egregiæ quidem voluntatis ſignificatio fuit. Quam voluntatem cum initio tantummodo ſequerer, non beneficium: beneficium ipſe voluit

dare, ac mihi prodeſſe, ſtudiaque erga ſe mea longe ſuperare. Jam vero ſi probare potes quod antiquiſſimum mihi de te conſilium fuit, id ſequi nondum ſerum eſt: idque facies, omnibus hominibus approbantibus. Videtur enim ipſe te vocaſſe Deus, ut ſe ſequereris, magno bono & commodo tuo: ac nunc his incommodis & difficultatibus te, quaſi adverſus ſtimulum ſuum, ſicut ſcriptum eſt, calcitrantem, & ſuave ejus jugum non ſuſcipientem, benigne revocat, ἀντιποιούμενον διαςδηποτοῦν ἐλευθερίας Sumus quidem omnes liberi, nec liber tamen quiſquam eſt: & ſervi omnes, nemo enim, teſte Euripide,

ὅςις ἔς' ἐλεύθερος,

ἢ τῶν νόμων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης.

Ac ſecutus eum quidam ex noſtris, *Servi legum*, inquit, *omnes ſumus, ut in libertate vivamus.* Utri, quæſo liberiores ſunt, qui parent, an qui imperant? Is quidem, qui in Eccleſia Sancta ſummum habet imperium, *Servus ſervorum Dei eſt*: nec id profitetur dicis cauſſa, & ἕνεκα τοῦ ἀφοσιώσασθαι tantum: ſed ἐνδιαθέτως, vere & ex animo. Jubemurque Chriſtiani ſubjecti invicem eſſe, alter alterum honore prævenire. In religioſis vero Sodalitiis hic ordo imperandi & parendi quam egregius? Juvenum officia ſunt, conſilia & imperia ſenum. ἄρχονται οἱ νέοι, ὅπως γεραιοὶ ἄρχωσι, & ad communem utilitatem, referuntur omnia. Ille paret, ac parendo, longe ſolutior liberiorque eſt, ἀπηλλαγὶς κηδεμονίας καὶ φροντίδων, alius imperat, plenumque habet imperium laboribus & curis: quibus poſtea ille ſuccedit, qui juvenis ἔμαθεν τὸ ἄρχειν, ἀρχόμενος: Vide περὶ πολιτειῶν *Platonem*,

*Ariſtotelem*, *Plutarchum*, *Polybium*, & apud *Stobæum Pythagoreos*: illa omnia præcepta in his Univerſitatibus religioſis perſpicies expreſſa: ut ex his exemplis illa θεωρήματα profecta videãtur. Jam in hoc Sodalitio quid deſiderare potes, quod tibi ſit aptũ? Clerici Seculares ſunt, ut pridem te edocui: non inhiant divitiis, non honoribus: ac multo minus voluptatibus capiuntur. Ad alterius utilitatem omnia referunt, & ad ſalutem communem: ad quam properant, cæteroſque ſtudent adducere: cujuſmodi homines à S. Daniele didicimus maximum gloriæ lumen habituros: monent palam, & clam: hortantur, præcipiunt, conſultoribus reſpondent: quodque caput eſt, id ſtudent, ut ſacra rite, & ſancte, & caſte faciant, ſicque melius certiuſque Deum exorent. Horum vero officiorum doctrinam habent ducem, ac ſcientiam ſacrarum literarum, legumque omnium Eccleſiaſticarum, & Sententiarum Patrum. Nuperque idcirco Neapoli Gymnaſium inſtituerunt, ubi juvenes poſtquam τὰ ἐγκύκλια, quæque προπαιδείας ſunt, didicerunt, imbuuntur Theologia Scholaſtica, certa duce ad ſanctam Scripturam, ad Canones Eccleſiaſticos, ad Patrum ſententias ſine errore intelligendas, & Hiſtorias omnes Eccleſiaſticas Conciliorumque ſeriem cognoſcendam. Ex his patribus, *a* alius *Annalium Eccleſiaſticorum* multa volumina, orbe terrarum admirante, condidit, *b* alius *De ſignis Eccleſiæ* quamplurima ſcripſit, quæ ad Paganos erudiendos, & ad redarguendos tum Judæos, tum Saracenos, tum hæreticos valde proſint: eſt ex iis, qui Virginum Romanarum hiſto-

*a* Baronius. *b* Boſius.

riam contexuit, eſt qui varia cruciatuum genera, ſacris Martyribus olim adhibita, collegit, ac edidit. His, ego, viris, ut te dares, ſtudebam, ac juvenibus, qui Neapoli inſtituuntur, talentum tuum impartires, vel Rhetorica explicando, vel Dialectica, vel Phyſica, aut literas ſive Græcas ſive Hebraicas, aut Elementa Euclidis, aut Coſmographiam, prout Præfecti adhibere te voluiſſent: ac interea Theologiam Scholaſticam addiſceres: quam edoctus, alios poſtea doceres. Deinde ſpem habebam, ſi qua pòſt colonia in Galliam duceretur, ejus te partem aliquam fore, tumque & Eccleſiæ & ſimul patriæ profuturum. Hæc in integro omnia ſunt, dum etiam es in Italia: ad hæc capeſſenda, omnium hominum ſumma facilitate uteris. Ipſe tibi Illuſtriſſimus Dominus author hortatorque erit. Nec ejus tibi præcepta, Neapolim ob hanc cauſſam proficiſcenti, deſutura ſunt. Si redire huc piget, Venetiis Anconam pete, vel diſpoſitis equis, vel navigio, inde Sipuntum, quod hodie Manfredonia dicitur, cujus in agro Garganus eſt mons, ubi in ſpecu ſubterraneo, S. Michaëlis Archangeli Apparitio mirabilis fuit. Nec te unquam pœnitebit, eum locum, religionis cauſſa, objiſſe. Idque mea cauſſa, aliqua ex parte, facies, qui obire in animo habui, nec potui per occupationes, nunc vero per ætatem ac valetudinem non poſſum. Inde vero Neapolim non multorum dierum eſt iter. Neapoli autem Barium aliquando proficiſci poteris, ubi ſunt ſacræ S. Nicolai reliquiæ: & Salernum atque Amalfim, ubi SS. Apoſtolorum Andreæ ac Matthæi. Si hæc tibi cordi erunt, ac me facies certiorem, dabo operam,

ne omnino peregrinus eò venias, ſed ut, ab illo Sodalitio accipiaris tanquam ſuus, nec hoc μαντεύομαι, ſed de eo egi ac certum habui reſponſum. Illuſtriſſimo Domino plurimam ſalutem velim dicas meis verbis, item ejus comitibus. Vale. Romæ. Ad VII. Idus Mai. M. D. XCVI.

Româ. *Die 24. Mai. Anno 1596.*

Epiſtola XXXIX.

## AD EUNDEM.

### LUTETIAM.

*De Æthiopicis D. Pauli Epiſtolis & Sardicenſibus Canonibus à Io. Maria Æthiope habendis.*

NOn dubito, quin, ſi Illuſtriſſimus Dominus Orator hic adeſſet, ejus cauſſa *D. Io. Maria Æthiops* faceret omnia, propter ſingularem & humanitatem ejus, & authoritatem: ſed tamen, ut ſe gerit, faceret invitus. Nam R. Pr. Maronitis Præfectus reſpondit *D. Georgium* nihil ab eo æqui impetrare potuiſſe, idque ſe ſcripſiſſe ad D. Oratorem. Meminiſti de *Æthiopicis S. Pauli Epiſtolis*, quid, me authore, egeris cum D. *Zacharia*, quamque parum profeceris, præciſe enim tibi negatum eſt: At tamen majeſtate viri permotus *Io. Maria*, tandem attulit, quæ deſiderabantur. Nunc autem incredibiliter doleo, *de Sardicenſibus canonibus* cum exorari non potuiſſe, qui videam,

ab Illuſtriſſimo Domino eos expeti cauſſa tuendæ Pontificum Summorum dignitatis, & perverſitatis hæreticæ confutandæ. Fieri etiam poteſt, ut *Io. Maria* ea profeſſus ſit ſe habere, quæ fortaſſe habuerit Hieroſolymis: ibi enim diu moratus eſt: Romæ vero non habeat. Utut res ſit, ſimul atque lippitudine liberatus fuero, quæ me nunc male habet, ac plurimùm tenet domi, ſi quid certius ſcriri poteſt, exquiram, teque faciam certiorem. Illos enim canones, aſſertores Pontificiæ poteſtatis, ac univerſe decernentes verum ſanctumque fuiſſe, quod de Magno *Athanaſio* erat geſtum, pluribus linguis haberi, egregie Illuſtriſſimus Dominus ſentit, cui plurimam ſalutem meis verbis impertias velim: ejuſque comitibus. Vale. Romæ. Nono Kalend. Junii M. D. XCVI.

Româ. *Die* 7. *Febr. Anno* 1597.

Epiſtola XXXX.

## AD EUNDEM.

### LUTETIAM.

*Epiſc. Ebroicenſis* Perronii *conſiliis utatur & conſuetudine, & D. Oratoris Arnaldi* Oſſati *benevolentia.*

Etſi tibi adhuc viſum eſt, male proceſſiſſe quod de tuis fortunis cepi conſilium, cùm te Illuſtriſſimo D. Oratori commiſi, teque ei quaſi in manum tradidi: tamen velim ἀύελπις

lis, quod juvenum etiam proprium eſt, tibique putes talem tantumque virum aliquando, Deo juvante, eſſe profuturum. Aliqua dabitur occaſio, quæ ſummam utilitatem ac perpetuam lætitiam ferat. Tu modò nullum prætermitte erga eum obſervantiæ locum: cole, ubicunque poteris, & hominem, & ejus proximos. Non enim nobis ejus ſtudium defuit, ſed occaſio tui juvandi non eſt oblata. Is bis honorificam mei mentionem fecit, ac ſemel te præſente, quem ita nominavit, quaſi ſolum reſpiceret, ac tui unius duceret rationem. Eam benevolentiam, non debes putare, imminutam eſſe, neque de ea exiſtimare ex commodis tuis. Nam etſi ſtudium perpetuum eſt, tamen commodorum ratio tempus requirit. Me quidem nunquam pœnitebit, tum hic adhibitum eſſe te ab eo, tum iter unà habuiſſe: teque in eadem ſententia eſſe puto. Nam qui unà mecum virtutem plurimi facis, & doctrinam, & in primis veram religionem: externa vero bona, commodaque vitæ longe poſthabenda judicas, vel potius, præ illis, nihili facienda: clariſſimo viro Epiſcopo Ebroicenſi aliquem uſum ac neceſſitudinem tecum interceſſiſſe, teque ei in longo itinere ſemper præſto fuiſſe, lætandum tibi eſt, ac ſemper gratulandum. Cauſſas autem, quæ plurimæ ſunt, afferre, & hominis tibi noti commemorare laudes, non eſt, ut quidam ait, ἐπιστολικόν. Tibi bene conſuluerim, an ſecus, ex eventu non metior: tametſi, niſi valde περιπετεῖς ac περιάλλεις ſumus, eventus adhuc in expectatione eſt. Nec mihi videor, quam mihi eſſes charus, magis potuiſſe oſtendere. Quodcunque de ſtatu rerum tua-

rum conſilium capies, quamcunque nanciſceris & accipies conditionem, hanc ſpem, quam in tanto viro habere debes, in conſilium quoque adhibe, nec unquam abjice. Ea te vix fruſtrari poteſt, nec niſi ipſemet tibi deeris, quod facturum non puto, ſi te bene novi. Multa in te ſunt, quæ hominum benevolentiam concilient: an imminuent eam, qui te uſi ſunt, quique tam longi itineris comitem habuerunt? An in mea commendatione nihil ponderis eſſe putas? Habe ergo bonum animum. Longi moleſtique itineris, multorum, quos feci, ac feciſſe lætor, ſumptuum pretium aliquando erit: vel potius jam fuit, quòd cum ſummo viro doctiſſimoque vixeris, cum ſæpe audieris, eique affueris eruditiſſimos habenti ſermones. Hæc tanti ſunt, ut nullum vel ego ſumptum, vel tu laborem recuſare debueris. Ego quidem, propter ſingularem meum erga te amorem, ſanctum *Vallicellicorum Patrum* Sodalitium & conſuetudinem cæteris rebus omnibus præferebam: in ſecundis vero poſui, ac plurimi feci, aliquam tibi cum *Reverendiſſimo Ebroicenſi* neceſſitudinem intercedere: cum præſertim eam mihi Deus nec opinanti obtuliſſet. Aliquam ſane rationem habui, te à matre optima, cujus unicus es filius, non longe abeſſe oportere, ei inſervire, tueri, interdum alloqui, & conſolari viduitatem ejus ac ſolitudinem: multoque plus, vel potius multis partibus plura te ipſi debere, quam mihi: meque, verius eſſe, carere te, quem charum ac jucundum habui, quam ipſam parentem: tibi præterea ad certiorem uberioremque doctrinam, aliquam exercitationem ſuſcipiendam eſſe, tum lin-

R v

guæ, tum diſciplinarum ἐγκυκλίων. Mihi ad-hæc veniebat in mentem, ad te tuendum, magnum ſumptum requiri, quem res mea vix ferre poſſet, qui ipſe ſumptuoſus ſum: nec poſſe me ea tibi commoda brevi proſpicere, quæ cupiebam, quæque ego multorum annorum labore eram adeptus. Sed his omnibus prçponderavit egregiæ neceſſitudinis ratio, quç tibi cum lectiſſimo & clariſſimo viro eſſet futura: cum præſertim ejus jam fundamenta hic jacta eſſent tua opera & induſtria & præclaro labore, & mea nonnulla commendatione, & Illuſtriſſimi Oratoris benevolentiæ ſignificatione in utrumque noſtrum. Hanc ſpem, ac neceſſitudinem, mi Pruſte, quamvis tuis commodis alia ratione proſpicias, ale ac tuere iiſdem artibus, quibus eſt parta, quæque & te Deo, quod caput eſt, commendabunt, & facient, ut omnibus hominibus carus ſis, nedum ipſi Reverendiſſimo Epiſcopo, qui te humaniſſime recepit in fidem & clientelam ſuam. Matri dic ſalutem, & conſanguineis, atque amicis. Dominus *Villa probata* ſitne Lutetiæ, ſcire cupio. Vale, Romæ VII. Idus Februar. M. D. XCVII.

Romæ. *Die 17. Sept. Anno 1597.*

Epiſtola X L I.

# AD EUNDEM,

## LUTETIAM.

*Ut Ebroicenſem Epiſcopum* Perronium *colat & obſervet ab eo tandem promovendus.*

CUm cognoveris, quæ mihi cauſſa ſcribendi fuerit ad Perilluſtrem & Reverendiſſimum D. *Amalteum*, valde miraberis, qui mores & integritatem vitæ noris R. D. *Gulielmi Ciapeleti*, quo contubernali Romæ non parum diu uſus es: vel potius non miraberis, qui avaritiam ſcias malorum radicem eſſe, ac nihil fere proclivius, quam de abſentis detrahere exiſtimatione. Cupio autem hac te uti occaſione Reverendiſſimi D. *Amaltei* colendi, ac ſpondeo fore, ut non pœniteat. ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ', ἐσθλά. Ac vix fallere nos poſſunt veterum ſententiæ, ideoque eas nos, Sacra etiam edocti, Græciæ Philoſophi meditari jubent: quod diſces ab Ariſtotele, ſi quando ejus Ethicis ſtudium tuum dedes. His autem recte juvenes imbuuntur, ut ex iis ad Sacras literas progrediantur. De Reverendiſſimo *D. Epiſcopo Ebroicenſi* ſpem deponere non poſſum, eum, ſi hominem coles ac promereri ſtudebis, tibi aliquando profuturum eſſe. Quamobrem vero id exiſtimem, proximis literis tibi expoſui. Si quid ex ſententia evenerit, fac me quam primum certiorem, ut & lætitiæ tuæ particeps

R vj

ſim, & viro clariſſimo gratias agam, cui jam intelligo plurimum me debere, ob egregiam ejus in me voluntatem, diligenti commendatione perſpectam: quamvis ex ea nihil dum fructus ceperim. Ei dic plurimam ſalutem meis verbis. Item conſanguineis, & amicis omnibus. Vale Romæ XV. Kalend. Octobr. M. D. XCVII.

Romã. *Die* 20. *Octobr. Anno* 1597.]

Epiſtola XLII.

## AD EUNDEM.

### LUTETIAM.

*De eodem argumento: ut* Perronii *benevolentiam obſervantia ſua colat, & alat, ac* Bogium *obſervet.*

Rerum tuarum expectatione ſuſpenſus ſum, quòd ſcripſiſti, certiorem me factum iri, quando meliore loco erunt. Nam quam habui in Reverendiſſimo *D. Epiſcopo Ebroicenſi* ſpem, ea magis ac magis in animo meo gliſcit. Sed mihi ſæpe in mentem venit, ſubvereri, ut poſſis occaſionem, quæ ſe confeſtim non offert, expectare. Tu modò perge tantum ac talem virum colere, & alere ejus in te benevolentiam obſervantia tua, eique præſto eſſe, ut plurimùm poteris. Nam in eo vincis multos, quòd probabilem cauſſam habes clariſſimum ac doctiſſimum virum adeundi, ejuſque ſermonibus non ſolum publicis, ut cæteri, ſed etiam privatis fruendi. Ac noli mirari, id

ſtudere me, ut quo conſilio ei te meque dedi-di, id aſſequar. Ego quidem cum obſervare cœpi, hominis virtutibus & ſingulari doctrina adductus: idemque ſecutus ſum, cum te ei addicerem: ſed præterea, utilitatem quoque tuam ſpectavi. Quem enim cepi fructum ex ejus ſermonibus, qui crebro intereſſe non potui, eundem uberiorem percepturum eſſe te lætatus ſum, ſi creberrimus auditor eſſes. Ceteræ autem utilitates & commoda vitæ nec magni facienda ſunt, & expectare ab eo tamen debes, ſi quid feret occaſio. Hunc reſpice, mi Pruſte, pende ab eo. Ac obſerva etiam, quæſo, Reverendiſſimum D. *Bogium*, quem tanquam fratrem majorem natu colo: nec me ejus obſervantiæ, aut meos, adhuc pœnituit. De friguſculo autem neſcio quo, noli valde laborare, fretus conſcientia tua, & exiſtimatione teſtimonioque eorum, qui te norunt. Nam ſi D. etiam *Bogius* norit, vix quenquam æquiorem aut amiciorem habebis. Conſanguineis & amicis ſalutem. Vale. Romæ XIII. Kalend. Novemb. M. D. XCVII.

Romæ Die 2. April. Anno 1598.

Epiſtola XLIII.

## AD EUNDEM. LUTETIAM.

*Vt Ebroicenſem colat, & ab ejus benevolentia ſperet. De Commentariis ſuis in ejus gratiam, De comparatione Hebraica lingua & Caldaica. Item Hebraicę Syriaca & Æthiopica. Item de* Petri Fabri, *De Dei nominibus & attributis eruditiſſimo libro.*

NUper audivi, Reverendiſſimum Epiſcopum Ebroicenſem Lutetiæ eſſe: idque lætatus ſum. Non enim dubito, quin tibi ſit profuturus, nec ullum locum'prætermiſſurus adjuvandi tui, noſtra utriuſque cauſſa, qui ei multum debemus, ſed ego plurimum. Tu modò æquo animo occaſionem expecta, & eam urge, ſi dabitur. Ei velim plurimam à me ſalutem dicas, & gratam memoriam ſingularium ejus in me ſtudiorum commemores: & hominem colas quibuſcunque poteris officiis. Quæ deſideras, commentatus quidem ſum, at non ſcripſi, *de comparatione Hebraica lingua, & Chaldaica.* Illa *de Hebraica, ac de Syriaca, & Æthiopica*, ſcis, tua cauſſa me ſcripſiſſe, adductum ſtudio tuo Æthiopicarum literarum. Sed vereor, ut proſint, adeo peregrina, & inuſitata. Sunt tamen, at ij pauci, qui peregrina valde amplectantur. Ita ſuo quiſque ſtudio ducitûr: alii præ melioribus ac magis

neceſſariis contemnenda putant, alii etiam conjungenda. Suſpenſus expecto, quodnam futurum ſit judicium ac ſtudium tuum. Nam proxime in manus ſumpſi quem librum apud me valde laudaſti, clariſſimi viri D. *Petri Fabri*. *De Dei nominibus & attributis*, cujus viri ſtudia ad imitandum propoſita ſunt omnibus Philologis. In eo cunctarum literarum ac diſciplinarum intelligentia eſt. Juriſconſultus, Theologiæ mirifice ſe dedidit, diligenter legit ſcriptores omnes Eccleſiaſticos, multa decerpſit, quæ in communem utilitatem promeret: in iis quidem, quæ edidit, nihil eorum prætermiſit, quæ ad propoſitum argumentum facerent. Tibi denique gratulor, qui aliquid ſtudii & induſtriæ in ea editione poſueris. Tot tantorumque authorum notata monumenta laborem in iiſdem evolvendis tuum ſublevabunt, indefeſſi ſtudii exemplo. Nam ad optima quæque capeſſenda, magnam vim exempla habent; eorum præſertim, quos diligas & obſerves. Quas ad ſobrinum tuum *Neamum* literas ſcribo, reddas velim. In iis facio, non ut augeam ejus in te amorem, quem ſummum eſſe ſcio, ſed ut laudem & alam. Cui etiam, non dubito, quin reſpondeas. Matri tuæ ſalutem, ac cæteris cognatis. Vale. Romæ poſtridie Kalend. April, XCVIII.

Româ. *Die* 25. *Octobr. Anno* 1598.

## EPISTOLA XLIV.

## AD EUNDEM.

### LUTETIAM:

*Ut Ebroicenſem ſtudioſe, non lucri ſpe colat. De re domeſtica herciſcunda.*

PErge, mi Pruſte, quod antea facturum te eſſe ſcripſiſti, colere & obſervare virum clariſſimum, in cujus te fidem & clientelam, me authore, tradidiſti: ac memento, quàm multa ab eo didiceris, cum ex ejus ore vel hic vel in itinere penderes. Dei munera ac dona vel Homerus oſtendit honore à nobis afficienda eſſe. Nec vero dubito, quin eum quoque iſtic, quemadmodum huc allatum eſt, concionantem, & doctis luculentiſque ſermonibus hæreſes confutantem & confirmantem bonos, ſtudioſe, ſiquando potuiſti, audieris. Ex quo, aliquid ad tuam in eum obſervantiam oportet accedere. Quòd ſi magnos ſumptus ejus cauſſa feciſti, exiſtimare debes, tanti fuiſſe, ei eſſe affixum. Quod vero nondum tibi profuerit, ne id quidem ſecutus es in eo colendo: eſſet enim puſilli animi, & ſe ſuaſque utilitates nimium reſpicientis. Qua igitur officii religione ductus es, eam obtine: ea ſatis ſibi magna eſt merces. ἡδὺ μὲν, ἄν τι φέρῃς: ὀλίγον δ' ἄχος, ἢν ἀπολίπῃς, potuiſti alicubi legere. Nec vero vir in primis humanus tibi defuit, ſed tempus, atque occaſio: quæ ſi venerit, προτέρω χρεῶ, Aliquid tibi impetrabit ejus celebritas nominis, authoritas, gratia. Nam vel

in eo, quod nunc cupis, plurimum ille te juvare poteſt. Quod ego valde miror, factum eſſe venale: non enim erat antea, nec mihi videtur eſſe è re publica. Quòd ſi tempori ſerviendum eſſe putas, ego quoque meas rationes ad id, ſi poſſem, accommodarem. Sed vides meam matriſque tuæ poſſeſſionem ejuſdem eſſe modi: ac longe eſſe ſatius, & utilius tibi, me ſororis meæ participem eſſe, quam alienum. Cogito equidem Romæ & vivere & mori. Verùm an non accidere poteſt, ut domum mihi ſit redeundum? Id non puto fore. Sed tamen non eſt τῶν ἀδυνάτων, ac ſcitè Euripides, πολλὰ τῶν ἀδοκήτων ἀπέβη: τὰ δὲ δοκηθέντ' οὐκ ἐγένετο. Memini præterea, illud rus opportunum fuiſſe perfugium in publica clade: teque item meminiſſe opinor: & ante tuam matriſque tuæ memoriam id accidit, cum illa infans domi à nutrice lactaretur. Patrem quidem familias, aiunt veteres, vendacem, non emacem eſſe oportere: at ſentiunt, non ipſa prædia, ſed fructus eſſe diligenter vendendos, ac pecuniam ex iis faciendam. Ad hæc, plerique ſcriptores nos docent, rem familiarem nec amplificandam nimia cupiditate eſſe, nec vero minuendam. Ac pater meus, quamvis multos ſuſcepiſſet liberos, quorum magnus numerus honeſto viro paupertati eſt, nihil tamen deminuit, præterquam quòd ædiculas quaſdam vendidit in vico *furni*, ut mater mea dotem, quam dederat, cohæredibus ſuis, fratri ac duabus ſororibus, conferret. Quantulum hæreditatis meæ percepturi ſunt liberi ſororis meæ *Mariæ*? De tantulo igitur nihil profecto accidi oportet, nec deteri. Nam eſſet injuria in

eos, qui nihil de me male meriti ſunt, quorumque parentes bene meriti. Id ſi olim cogitavi; nunc, Deo juvante, ac me opitulante, ſi erit, quod ſpero, facultas: nabis ſine cortice. Si neceſſe eſt, pecuniam confici: recte mater, tua cauſſa, qui unicus es filius, urbanum aliquod prædium ſuum vendet, ut tibi munus honorificum mercetur: & amici tui adjutabunt, ut id addicatur quam leviſſimo pretio. Quem habeo librum, mittam Lugdunum, ut ſcripſiſti. Sed pervelim, certiorem me facias ex *Roſſeleti* ad te literis, cui poſthac ipſe velit hic dari, quæ ad ſe mittantur. Nam habeo in animo, ſi illud munus tibi deferetur, mittere ad te, quæ proſint, eaque volo certo homini dare, qui rem rationemque cum D. *Roſſeleto* habeat; ne incertus ſim. Propior ſobrinæ tuæ, vereor, ut ſatis coluerit Reverendum D. *Bogium*, & ejus conſanguineos: quod debuit facere, vel ſua vel avunculorum ſuorum cauſſa, quorum D. *Bogius* fuit valde ſtudioſus, atque ut alter parens, ipſi quoque in loco parentis fuit: quæ neceſſitudo augeret adoleſcentis pietatem. Ignoſcamus tamen & ætati, & affectæ valetudini. Hortare, ut obtineat mores matris ſuæ, modeſtiam, comitatem, prudentiam: quarum virtutum laudem, hic etiam audivi, qui tribueret ejus fratri *Brizacio*, idque lætatus ſum. His certate inter nos, ac potiſſimum fraterna charitate. ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Matrem tuam jube ſalvere: & conſanguineos, amicos, neceſſarios. Vale. Romæ. Ad VIII. Kalend. Novembr. M. D.XCVIII.

Quem librum Sobrinus tuus deſiderat, miſi Lugdunum, ſed mari infero: ſerius pervehenor.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

Româ. *Die* 18. *Mai. Anno* 1599.

## EPISTOLA XLV.

## AD EUNDEM.
### LUTETIAM.

*De ejus acceptis litteris à Card.* Oſſato *nuper electo, eique cum munuſculo exhibitis.*

NUper in ſacrum ſenatum Illuſtriſſimus D. *Oſſatus* lectus erat, cum ad me literæ tuæ allatæ ſunt unà cum καλλιγράφου illius manu. Occaſionem nactus, feci ei inſpiciendi copiam: ac ut miſſum ad me munus verbis ornarem, dixi, tuum χαρμόσυνον utrique honori convenire. Laudavit & te, & manum elegantem, dixitque, & exemplum ſe ſumpturum, & redditurum αὐτόγραφον. De ea, quam ſubjiſti, provincia nihil unquam ſcripſi, ſiquid, mitterem. Habes, πλουτάρχου: & *S. Baſilii* πρὸς τοὺς νέους: cætera ſuppetent ex aliorum exemplis, & religione ac prudentia tua. Mihi videor neſcio quid olim *Sadoleti* Cardinalis legiſſe. Sancti vero Baſilii plurimi facio: & identidem puto inſtillãda. Scribe ubi degas, & quid cogites. Tum ſiqua in mentem venient de linguis Eois, mittam. Matrem tuam verbis meis jube ſalvere: & conſanguineos, & amicos: &, quid agant omnes, fac me certiorem: & cui hîc trapezitæ velis dari ad te literas, & ad quem Lutetiam mitti. Ad D. *Roſſelletum* miſi quos libros *Noamus* ſobrinus

ſuus deſiderat. Vale. X.V. Kalen. Jun. Romæ M. D. X C I X.

Româ *Die 25. Novemb. Anno 1599.*

## EPISTOLA XLVI.

## AD EUNDEM.

## LUTETIAM.

*De Hebraica loquutione & interpretatione. Pſ 85. v. 7.* Benedictionem dabit Legiſlator, &c. *Pſ.100. v.9.* Non direxit in conſpectu oculorum, &c.

PRoximis literis *D. de Villeprovee* ad me ſcripſit quid acciderit, quamobrem literas ad me tuas dederis ſine ſuis. Tum vero intellexi, cur eas non accepiſſem. Deinde certiorem fecit, quæſiſſe ex te, numquid ad me literarum, & abs te reſponſum, jam ſcripſiſſe, literaſque per alium miſiſſe. Ne eas quidem accepi. Quare conſiderandum tibi eſt, an in iis aliquid fuerit, quod mea interſit ſcire. Vides enim intercidiſſe binas: alteras caſu; alteras, quòd, cum poſſes amico communi, cèrto homini dare, incerto committere maluiſti. Expecto igitur longiores literas. Quòd autem iis, quas recentiſſimas accepi, oſtendiſti deſiderare te, ſiqua annotata mihi ſunt: ea leviora duco, ſi qua forte ſunt, quàm ut ſcribenda iſtuc ſint, ubi & hæc & meliora & plura naſcuntur. Quæ quidem proficiſcenti ab Urbe dedi, ea vides fuiſſe πάρεργα, cum mihi conſilium eſſet, informare te literis Syriacis & Æthiopicis, non ea, quæ cuivis non

oſcitanter legenti, & non ſolum ſententias, ſed etiam παρέργως verba verborumque vim conſideranti, in mentem veniunt, exponere.

Verumtamen ne nihil obtulerim deſiderio tuo, his pauculis defungar: quòd ubi in libro Pſalmorum eſt, *Benedictionem*; ſive, *Benedictiones, dabit legiſlator:* verbum Hebraicum, cui reſpondet, *dabit*, dandi ſignificationem vulgo non habet: ſed habet in lingua Arabica. Præterea quod in Pſalmis quoque eſt, *Qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum:* illud, *non direxit*, ſignificat, ex Æthiopica lingua, *non fuit*: eum videlicet averſatus ſum. Mihi enim teſtis ipſe eſſe potes, vocabulo illo Æthiopice declarari, *eſſe.* Ad hæc, *immò*, Latinum, eſt ab Hebraico, *immo*, quod, *cum eo*, ſignificat. Itaque in altero eſt *daghes*: in altero geminum, *M*. & *quin immo*, Latinum, eſt ductum ab Hebraico, *qui im*. In literis Græcis, non dubito, quin, *ſeculum*, ſit ab ἑκατὸν, &, *celum*, à Poëtico, βηλός.

*D. Bogio*, qui ad me ſcripſerit, quæ tibi obtuliſſet, egi gratias. Sed aveo ſcire, quænam illa ſint, quæ te obſtrictum ad aliquot annos teneant: quod ſignificavit te ſcripſiſſe. Fac denique certiorem de rebus tuis: & quo mittam literas, ne ſemper amicis tua cauſſa ſim moleſtus. Nondum ſcripſit ſobrinus tuus *Neamus*, ad ſe allata, quæ Lugdunum miſi ad D. *Roſſeletum*, & miror. Idem D. *Noamus* literas ad me miſit, quas redderem *à Monſeigneur le Cardinal de la Mirande*. Miror id quoque. Nam eo nomine Cardinalem non novi. Quod fugit me ſcribere, cum ejus literis reſponderem. Dic igitur ei, faciat, ut ſim certior.

Nam expectare malui, quàm reſignare eas literas. Matri tuæ plurimam ſalutem: & conſanguineis, atque amicis. Vale. Romæ. Ad VII. Kal. Decemb. M. D. XCIX.

## EPISTOLA XLVII.

# AD EUNDEM,

*De Græcorum erroribus, & eorum contra novatores hæreticos odio.*

Cum multis abhinc annis quidam *Cretenſis* ad Urbem veniſſet, librarium ſe profitens, ac idcirco diceret, Lutetiam ſe pergere, ut ibi R. D. *Iacobo Bilio* bo. mem. nonnulliſque aliis daret operam, Græca deſcribendo: quoſdam habuit libros, eoſque, viatici conficiendi cauſſa, venditabat. In his fuit. Ἰωάννȣ Καναβȣ́τζȣ τȣ̃ μαγίϛρȣ πρὸς τὸν αὐθέντlω Αἴνȣ καὶ Ζαμοθρᾴκης. Eum librum ab eo emi, recentioris quidem ſcriptoris, ſed docti, ut illa tempora ferebant. Doctrinam quidem Græci, literaſque & φιλολογίαν, quoad Imperium Orientis ſtetit, coluerunt. Ac nunc quoque, pro reliquiis fortunarum ſuarum, colunt. Mihi vero *Canabuzus* ibi maxime placuit, ubi refellit *Dionyſii Halicarnaſſei* errorem, ex illis Helleniſmi tenebris ortum, quas lux Evangelica diſcuſſit. Eum locum notavi, ac velim deſcribas: nec eſt multi laboris: & ad Illuſtriſſimum Dominum *Oratorem* perferas. Qui quamvis vetera recentioribus in confutandis hæreticis longe anteponat: ut certe anteponenda

ſunt: his tamen aliquem etiam dat utilitatis locum. *Canebuzum* ideo probavi ac legi non ſine voluptate, quòd, *Dionyſium* reprehendens, mirifice arguit noviſſimæ hæreſeos pravitatem: quemadmodum olim *Theodoritus*, dum Græcis reſpondet, qui Chriſtianis objicerent SS. Martyrum honores, cum hæreticis noſtræ ætatis congredi videtur. Nec tamen hunc cum *Theodorito* comparo, ac ſcio, quantum interſit. Sed hic quoque, ad modulum ætatis ſuæ, eſt eruditus. Urbis quidem dignitatem ac majeſtatem mihi videtur egregie explicare, Græcus homo, & in media natus Græcia: pudoremque obtrectatoribus & maledicentiſſimæ hæreticorum nationi afferre. Quorum ſane miſereri nos oportet, circunfuſorum ignorantiæ tenebris, ac parenti ſanctiſſimæ, pietate contempta, oggannientium. Quos, ut vides, reprehendunt, vel nobis tacentibus, tot exteræ gentes, ad hanc arcem & domicilium religionis ſingulari religione confluentes. Præter Græcos, citimos Italiæ, quorum hic eſt celeberrimum collegium, vidiſti nuper Ægyptios, profiteri ſe in clientela & fide eſſe Apoſtolicæ Sedis. Vidi olim Babylonios, iiſque in crypta S. Petri, ſubter Apoſtolorum Martyrium, ſacra facientibus Syra lingua aſtiti. Superiore vero memoria, ultimi gentium Æthiopes legationem miſerunt, ac fidem Romanam profeſſi ſunt. Nunc vero Scythica quædam gens hanc ob cauſſam Romæ eſt. Noſti Syrorum collegium. Vidiſti apud Neophytos eſſe qui Arabice loquantur, qui Armenice, qui Perſice; ſua nempe quiſque lingua: & Latinam ſtudioſe addiſcant. Hi ſi audiant, profecti ab Oriente, à Septen-

trione, & Meridie, eſſe in Occidente qui templa Altiſſimi & aras demoliantur, aſpernentur ſacras Reliquias, Sacerdotium etiam & ſacrificium incruentum repudient, quod ubique terrarum celebrant Chriſtiani: profecto mirentur, ac Chriſtianos populos eſſe negent; ac vix, quod dicatur, credant. Hierarchiam vero Eccleſiaſticam evertere, nec ullos agnoſcere ordines Cleri: quid dicent eſſe? Non putabunt cadere poſſe in homines Chriſtianos tantam amentiam. Suas enim quæque gens literas habet, ſua vetuſtatis monumenta, Eccleſiaſticas hiſtorias: ex quibus intelligunt, hæc, quæ celebramus & colimus, à majoribus eſſe accepta: &, quia tradita ſunt, tenenda, etiam ſi nullæ literæ extarent. Hi tamen non pudefiunt tot nationum conſenſione, *nec*, ut ait Pſaltes, *opera Domini intellexerunt*, qui disjunctiſſimos populos, nec linguis inter ſe congruentes, unius religionis fœdere conſociavit. Huc me pauca *Canabutzi* ſcripta neſcio quo modo adduxerunt, alia ex aliis meditantem, ac miſerantem tam multorum populorum infœlices errores: qui ut ipſis eripiantur, vides quantopere plerique laborent. In quo te clariſſimi viri ac doctiſſimi fuiſſe ὑπουργὸν, vehementer lætor: nec me velim putes male conſuluiſſe, quòd te à ſuſceptis ſtudiis ad hanc induſtriam avocavi. Tanti eſt, opellam navaſſe rei ſanctiſſimæ ac maxime neceſſariæ: cujus cauſſa perſpicis ipſum Illuſtriſſimum Dominum, valetudinis pene oblitum, magno ſuo incommodo pleraque obire, & copioſam Bibliothecam Vaticanam, dum licet, perluſtrare; undique novas authoritates ac teſtimonia colligentem, & inuſitato labore

bore

bore gentium multarum ſtudentem linguis, cujus ſtudium video hanc ob rem incitari, quòd perſpiciat, plurimùm jam, Deo juvante, his rationibus profectum eſſe Gratulare igitur tibi, cui contigerit, in eo λελειτουργηκέναι, non deſerta ſtudia ſunt, ſed intermiſſa, ac facilis erit reditus. Vale.

Epiſtola XLVIII.

## AD EUMDEM,

*De neceſſaria faciliſque Chaldaica Syriacæque prolis ejus linguæ cognitione iis qui Hebraicè ſciant.*

